साधारण
बाइन्डींग

00037876

THE
ASIATIC SOCIETY OF BOMBAY
TOWN HALL, BOMBAY-1.

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 15 June, 2016

WW P 1037876

GUILIELMI CAMDENI

ANNALIUM RERUM ANGLICARUM ET HIBERNICARUM, REGNANTE ELIZABETHA,

VOLUMEN TERTIUM, Vol III.

Complectens operis Tomum ſecundum, ſive partem quartam.

[illegible]

[illegible]

Ref: 942.055-37876

00037876

[1] Ad Guilielmum Camdenum, antiquitatis Antiſtitem;

Τὸν μακαρίτην.

CAmdene quid agis, Cœlitum adſcriptus choro?
Metire Cœli ſpatia, quam late patent,
Ut explicâſti nuper Inſulas duas?
An Angelorum denotas claſſes ſacras,
Sicut Britannos ordinâſti nobiles,
Dum Fecialis munere es functus gravi?
An quæ geruntur ſcribis, in ſuperis locis,
Ut Divæ Eliſæ (fama quam Cœlo locat)
Res eleganti comprehendiſti ſtilo?
Humana capere tanta ſi indoles poteſt
Momenta; genius iſta Camdeni ſapit.
Verùm quieſcant ſeduli manes Viri;
Satis eſt laborum tot tuliſſe ſarcinam,
Dum vixit; alia ſorte nunc mactus viget.
Moleſtiarum lætus abjicias onus;
Quiete gaudens & liqueſcens gaudiis,
Speculare numen, fruere ſecurus Deo.
Probitatis almæ ſtella præſignis mices,
Et litterarum fulgeas ſummum decus.
Sic intuentes, quotquot affectant bonum,
Exempla ſtudeant tanta ſectari; ut pii
Doctique fiant; qualis exemplar fuit.
Multi ſequentur, aſſequentur pauculi:
Nam ſecla ſimilem haud dena Camdeno dabunt.

Sic parentavit
Rich. *ab* Andrea,
Φιλομουσοσοφίατρος.

1. *Carmina hæcce Encomiaſtica deſunt in Edd. Belg.*

Nubibus

Nubibus æquas
moles marmoreas;
cœlo obvias columnas;
ſoli æmulos Coloſſos;
Caris ſepulchrum penſile,
urna cui conjux fuit;
quin ipſas Pharias ſtrues,
bellum Jovi ſummo inferentes,
ſtulta demētū monumēnta regum;
ſpirantes ſtatuas Cypri è metallo
ſolertem artificis manum ſecutas;
firmata & manibus fortia mœnia
Cyclopum atque Deûm, ſubruit ævitas,
ignis, tempeſtas & caprificus edunt.
Hæc ſcapre & carie ſi monumenta ruant:
divina Virtus, quique virtutem colit,
non interibit, non nigram viſet Styga;
ſed temnet iras temporis, ſpernet minas
livoris, alas fulminis, ſtragem poli
ruentis; extra Mortis & Fati vias.
Ergo non clauſus laterū ſtrue, marmore & ære,
pectore ſed memori, grato, ſeroque diurnat
ultra duratas ſolido ex adamante columnas,
(dum ſecat à toto circumfluus orbe *Britannos*
Oceanus, magnæ ſuperat dum nomen *Elizæ*)
Virtuti æquævus, Mundo Fatoque ſuperſtes,
Formator juvenum, Graiæ Latiæque Minervæ
Cultor & excultor, columen clavuſque trabalis
Hiſtoriæ, Patriæ Sol, Imperii negotiis par
Ingenium ſummis, Anima & Genius ſoli Britanni;
Præco famæ, oraculū nataliū, armorū ſacerdos, ſtemmatū Hermes,
temporum Vindex, rei antiquariæ conſultus, Regum Fecialis,
GVILIELMVS CAMDENVS, CLARENTIVS, REX FECIALIVM.
L. M. L. M. Q. poſuit
Tho. Farnabius.

ELIZABETHA
ANGLIÆ, &c.
REGINA.
PARS QUARTA.

M. D. LXXXIX.

POSTEAQUAM Hiſpanorum contra Angliam expeditio tam adverſa, ingloria, & plane irrita ceciderat, illi ut gloriam reſarcirent, & Anglos diſtinerent quo minus de Hiſpani ditionibus invadendis cogitarent, ſuſceptum conſilium de Anglia per Scotiam infeſtanda revocarunt. Hac in re inprimis uſi ſunt opera Roberti Bruſei Sacerdotis, Chreictoni, & [1] Haii è Societate Jeſu; qui Comites Huntleium, Arrolium, [2] Crawfordium, Pontificiæ religioni deditiſſimos, & Bothwellium Joannis *Prioris* Coldinghamiæ filii naturalis Jacobi v. Regis Scotorum filium, hominem verſatilem, alioſque facile in partes pertraxerunt. Summa conſilii erat ut Rege intercepto, externas copias ad religionem Romanam reſtaurandam, & Angliam

Hiſpanorum in Scotia contra Angliam machinatio.

Motus in Scotia.

1. Hay *Edd. priores.* 2. Crarofordium *in Edd. priorib.*

1589. gliam invadendam in ultionem necis Reginæ Scotorum admitterent. Velamenta ad multitudinem contrahendam hæc obtenderunt, Regem invitum à Maitlando Cancellario & Anglica factione in cuſtodia detineri, Anglos qui nuper Regis matrem inulti obtruncarunt, jam ad Scoticam nobilitatem exſcindendam arma expedire. Se Regis rogatu arma contra ſumere ut eum Cancellarii cuſtodia, & patriam pernicie quamprimum liberarent. Rex venatum profectus, uno eodemque die urgentibus aliis ſuper alios nunciis edoctus hinc Bothwellium è proximo cum limitaneorum prædonum cohortibus inſtare, inde Huntleium & reliquos è Boreali plaga cum juſto exercitu adventare,[1] nil perterrefactus,ſed animo & conſilio plane regio, propoſito edicto eos proditores denunciat, & fideles ſubditos quotquot ſupra XVI. & citra ſexageſimum ætatis annum ad vexilla vocat. Hinc Bothwellius territus, & derelictus ad ſua ſe recipit. Ex altera parte Huntleius Glamiſum, Satellitii Regii Præfectum, quocum inimicitias geſſit in via intercipit.

Compoſiti. Elizabetha quæ non minus Anglorum quam Scotorum intereſſe cenſuit, ut hoc Hiſpanorum conſilium elideretur, nihil non per ſuos apud Scotos & pecunia & ſolidis rationibus egit, ut Rex hos mature coërceret. Ille periculi gnarus in Huntleium movit, qui jam ad Pontem *Dee* flu. cum numeroſo exercitu progreſſus, illico ac audiſſet Regem advenire, Glamiſum demiſit, & ad ſuas ædes *Strathbolgy* inter confragoſos montes ſe recepit. Quo quum Rex inediæ, laboris cœlique aſperrimi ſupra ætatem patiens, acriter perſequeretur, primum deditionem vita boniſque ſalvis obtulit, & mox abſolutam, quum non alia admitteretur, fecit. Rex tamen nec alloquio dignatus in carcerem conjecit. Brevi autem

1. *Deſunt* nil pert. *&c.* regio, *in Edd. priorib.*

liberavit,

liberavit, & ei & ceteris crimina deprecantibus cum clementiæ laude remiſit. 1589.

Quo menſe hæc in Scotia contra Hiſpani fautores agebantur, eodem in Anglia Philippus Howardus Arundeliæ Comes, qui Hiſpanicarum partium ſuſpectus in carcerem ante triennium, ut dixi, conjectus, in Prætorio Weſtmonaſterienſi *Parium* judicio ſiſtitur coram Henrico Comite Derbiæ, qui ad hanc cauſſam Summus Angliæ Seneſchallus conſtitutus. *Pares* hi evocati, Guiliel. Cecilius Baro Burghleius Summus Angliæ Theſaurarius, Guiliel. Marchio Wintoniæ, Edwardus Comes Oxoniæ Magnus Angliæ Camerarius, Henricus Comes Cantii, Henricus Comes Suſſexiæ, Henricus Comes Penbrochiæ, Edwardus Comes Hertfordiæ, Henricus Comes Lincolniæ: Barones Hunſdonius, Willoughbeius de *Eresby*, Morleius, Cobhamus, Greius, [1] Darcius Borealis, Sands, Wentworthus, Richus, Willoughbeius de *Parrham*, Northus, S. Joannes de *Bletneſho*, Buckhurſtus, Lawarus, & Norriſius. Juſſus manum tollere, ſuſtulit, ſimulque dixit, *Ecce manum puram mentemque ſinceram.* Capita accuſationis erant fere eadem quæ ſupra anno M.D.LXXXVI. memoravi: ſcilicet; Quod arctiorem amicitiam contraxerit cum Alano Cardinali, Perſonio Jeſuita, & aliis proditoribus, qui Principi & patriæ perniciem ſtruunt excitando & exteros & ſubditos contra patriam ad Romanam religionem reſtaurandam. Quod litteris per Weſtonum alias Burgeſium Sacerdotem eidem Cardinali operam ſuam detulerit ad cauſſam Catholicam promovendam, eoque conſilio ſe è regno ſubducere [2] cogitarit. Quod conſcius fuerit Bullæ qua Sixtus v. Pontif. Rom. Reginam abdicaverat & Regnum in prædam Hiſpano expoſuerat. Quod incarceratus in

In Arundelium judicium.

Pares.

Accuſationis Capita 4.

1. Darcius, Borealis, *cum commate poſt* Darcius, *in Edd. prioribus.*
2. Cogitarat *in Edd. priorib.*

1589. Arce Londini Miſſam celebrari pro proſpero Hiſpanicæ claſſis ſucceſſu curaverit, eoque nomine precationes peculiares ipſe concêperit. Horum an reus, interrogatus, ad Juſtitiarios Adſeſſores converſus hæc ordine quæſivit. Primum, an tot crimina in unam accuſationem congerere liceat? Licere reſponderunt. Deinde, an argumenta ex præſumptionibus in accuſatione valeant? Exceptionem contra interponere licere dixerunt. Tum, an de iſtis quæ inter Majeſtatis crimina anno XIII. Reginæ relata fuerunt, poſt tempus in illâ lege præſcriptum, accuſari poſſit? Non ex alia quam veteri Edwardi Tertii Majeſtatis lege, contra eum agendum eſſe promiſerunt. Poſtremo, an ea legitima ſit accuſatio in quâ erratur tum in locorum, tum temporum notatione? [1] Iſta regulariter non attendenda eſſe, niſi criminis ipſius naturam varient, pronunciarunt. Poſt hæc iterum interrogatus, *An reus*, negavit, Deique & Parium judicio ſe ſubmiſit. Petiit autem ne memoriola ex incarceratione & adverſa valetudine vacillans, multiplici rerum confuſione obrueretur. Puckeringus *Regius ad Legem ſerviens* exorſus primam accuſationis partem fuſius explicavit. Alanum ſcilicet Cardinalem perniciosa in patriam & Principem conſilia cum Jeſuitis & aliis ſuſcepiſſe, eoque nomine proſcriptum fuiſſe, Comitem tamen cum iſto litterarum commercia habuiſſe atque de Catholica cauſſa promovenda diſerte ſcripſiſſe; & hoc niſi de Anglia invadenda non poſſe intelligi. Reſpondit Comes, ſe nihil [2] cogitaſſe, quum de Catholicâ cauſſâ promovenda ſcriberet, quam ut Catholica religio plurium converſione promoveretur. Pophamus Regius Procurator Primarius, hoc non poſſe intelligi de converſione

1. Iſta minime attendenda eſſe, modo factum probetur, pronunciarunt *in Edd. priorib.* 2. Cogitaſſe niſi ut Catholica *tantummodo in Edd. priorib.*

per

per informationem, ſed invaſione per arma, ex confeſ- 1589.
ſionibus Savagii, Throgmortoni & Babingtoni contendit. Schutleworthus ad Legem Serviens ex Edictis contra Jeſuitas & Seminarios explicavit quo conſilio illi in Angliam fuerint ſubmiſſi. Eos proditores eſſe, ex ipſius Comitis ore affirmavit, qui quum Valongeri cauſſa de famoſo libello in *Camera Stellata* ageretur, palam dixerat, *Qui admodum eſt Pontificius, fieri non* [1] *poſſe quin idem ſit proditor.* Comitem tamen hoc genus hominum in familiaritatem admiſiſſe. Romanæ Eccleſiæ reconciliatum fuiſſe, atque inde ſe Romano Pontifici ſubjeciſſe. Hoc Comes ſtrenue pernegavit, teſtemque Reconciliationis produci poſtulavit. Agnovit ſe apud Brugeſium peccata confeſſum fuiſſe. Hinc argumentatio: Neminem niſi reconciliatum ad Rom. Eccleſiæ Sacramenta admitti poſſe, at illum à Gratleio Sacerdote admiſſum eſſe; ideoque prius reconciliatum fuiſſe. Pophamus hîc magna vi verborum reconciliatum fuiſſe ex ipſius litteris pertendit, exteras etiam Regiones cogitaſſe, ad [2] Alani nutum ſe in omnibus applicuiſſe, & inde in Majeſtatem peccaſſe; prolatiſque Gratleii & Morgani ad Scotorum Reginam litteris, concluſit eum ex ſtomachoſa animi ægritudine non ex conſcientia Romanam religionem amplecti. Exhibuit deinde Emblema in Comitis arcula repertum, in quo depicta Manus Serpentem in ignem excutiens cum inſcriptione, SI DEUS NOBISCUM, QUIS CONTRA NOS? in altera parte Leo inſurgens falculis ſive unguibus præſciſſis cum adſcriptione, TAMEN LEO. Addidit, Cardinalem ſuaſiſſe Comiti Regno exire cogitanti, ne exiret, ut qui melius intra Angliam quam extra de Eccleſia Rom. mereri poſſet. Juſtitiam Regni in capitalibus contra avum & patrem ſententiis contu-

1. Poſſit *Ed. Lond.* 2. Alani Cardinalis nutum *in Edd. priorib.*

meliofe

1589. melioſe in epiſtola ad Reginam ſugillaſſe, Reginam Scotorum eum Babingtono in Catholicorum anteſignanum commendaſſe, Alanum ſignificaſſe Bullam illam interpellatione *Viri magni* in Anglia impetratam fuiſſe, qui neceſſario ſit ipſe Comes, quum non alius magnatum Alano familiarior,& quem patriæ proditorem fuiſſe ignorare non poterat ex iis quæ præſens in Cameræ Stellata jam ante audierat. Perlectæ etiam [1] fuerunt D. Guilielmi fratris Comitis, & Margaretæ ſororis confeſſiones, & etiam ipſius quum regno exire cogitaret, litteræ; Reginæque clementia celebrata, quæ eo tempore illum non in Majeſtatis, ſed contemptus crimen vocari voluit. Ad hæc Comes intermixte reſpondit. Emblema illud leve eſſe atque nugatorium, ſibi à famulo donatum. Cardinali operam ad Catholicam cauſſam devoviſſe, at non contra patriam aut Principem: de ſententiis in avum & patrem quæ ſcripſerat, in Annalibus exſtare. Quæ Cardinalis & Scot. Regina de illo ſcripſerint, ad ſe non ſpectare, quum nihil ejuſmodi fecerit; aliorum calamis neminem poſſe imperare; ſe ſub Parmenſi militare cogitaſſe, quum ex rigore legum contra Pontificios domi ſecure manere non poſſet. Procuratorem ex litteris & confeſſionibus, ut ſolet Aranea ex floribus, venenoſa exſugiſſe, ſe vero ex iiſdem, ſi videre liceret, ſalutaria poſſe exſugere. Prælectæ deinde Alani ad Scot. Reginam & Epiſc. Roſſenſis litteræ de Anglia, eo anno quo fugam cogitavit, invadenda; Bulla etiam Sixti v. & quædam excerpta ex Alani ad Anglos Admonitione Antverpiæ anno ſuperiore excuſa. Titulus præterea *Philippus Dux Norfolciæ* inter chartulas repertus urgebatur, quandoquidem Alanus monuerat ut titulum celſiorem aſſumeret. Hæc ad convincendum, eum ante incarcerationem Majeſtatem læſiſſe. Egertonus *Sollicitator* ſive

1. Fuerunt Guilielmi, *omiſſo* D. *in Edd. priorib.*

Procu-

Procurator ſecundarius his ſummatim repetitis, etiam 1589.
poſt incarcerationem Majeſtatem læſiſſe arguit ex triplici temporis diſtinctione, ſcilicet priuſquam claſſis Hiſpanica adveniret, quum [1] advenerit, quum fugeret. Priuſquam veniret, felicem ſucceſſum optando, quum [2] advenerit, preces peculiares pro felici ſucceſſu concipiendo, & curando ut Miſſa Spiritus S. celebraretur preceſque totas XXIIII. horas ſine intermiſſione haberentur, atque quum fugeret, infelicem ſucceſſum præcipuo quodam dolore deplangendo: ut totam ſpem in hoſtili Hiſpanorum contra patriam & Principem claſſe collocaſſe videretur. Hæc contra eum teſtati ſunt; Tho. Gerardus ex equeſtri ordine, Guil. Shelleius qui anno M.D.LXXXVI. læſæ M. damnatus, Benettus Sacerdos Pontificius, & alii incarcerati. Ille muſſavit preces à ſe conceptas & Miſſas celebratas eſſe ad Lanienam, quam Catholicis intentari audiverat, amoliendam. Gerardi teſtimonia valide negavit, utque nihil niſi verum proferret obteſtatus, objecto extremi judicii terrore ita hominem terruit, ut parum ad rem dixerit; Benetti elevavit ut ambiguæ fidei qui inter ſe repugnantia confeſſus, & reliquorum ut hominum reorum, incarceratorum, improborum & fide indignorum, quaſi cum eo verſari permiſſi ut facilius legum periculis illaquearetur. Quod quum in eo tanquam audaculo, contra teſtes pro Regina reprehenſum; lex antiqua Richardi ſecundi Sollicitatore monente prælegitur, qua declaratur Coronam Angliæ nullius niſi Dei ſolius *imperio ſubeſſe*, & nihil juris Pontifici Romano in eandem eſſe. Die jam in veſperam vergente, quum nihil amplius objiceretur, Comes ſeorſim abducendus, ſe Parium judicio (obſequium in Reginam proteſtatus) demiſſe ſubmiſit, precatus ut id facerent quod ad Dei gloriam, Reginæ ſalutem, &

1. Advenerat *in Edd. Belg.* 2. *Hîc etiam* advenerat *in Edd. Belg.*

ipſorum

1589. ipſorum cum integra conſcientia honorem cederet. Illi ſecedentes inter ſe horam integram conſultarunt Juſtitiariis advocatis, ut in nonnullis de jure ſatisfacerent. Ad ſedilia reverſi ab Actuario interrogati ſunt, *An Comes reus?* Singuli manu ad pectus rite appoſita, ex conſci-

Condemnatur.

entia & honore affirmarunt. Ille [1] deinde interrogatus ſi quid dicere haberet cur ſententia in eum non feratur, dixit quod jam ante pater in eodem loco, *Fiat voluntas Dei.* Sententia pronunciata, oravit ut uxorem alloqueretur, filiolum ex quo ille incarceratus natum videret, rationales ſuos conveniret, debita diſſolverentur, Regina filiolum in fidem reciperet atque gratioſo favore dignaretur. Jam Seneſchallus bacillum Seneſchalciæ inſigne fregit, & Comes ad Arcem Londinenſem funeſta ſecuri adverſa prægeſtata reducitur. Hunc nobilitatis florem immature defloruiſſe (annos enim XXXIII. vix viderat) alii doluerunt, alii Reginæ prudentiam prædicarunt quod hoc exemplo Pontificiis potentioribus

Vitæ parcitur.

terrorem incuſſerat. Vitæ enim pepercit ſatiſque habuit tanti viri & apud Pontificios inprimis gratioſi potentiam ita labefactaſſe.

Quod quum domi hoc judicio in terrorem præſtitiſſet, ut foras etiam præſtaret & victoriæ divinitus contra Hiſpanos datæ inſiſteret, magis tutum & honorificum rata hoſtem oppugnare quam oppugnari, claſſem in Hiſpaniam emitti permiſit, quam magno auſu & militari quadam alacritate nunquam ſatis laudata Joannes Norriſius & Franciſ. Dracus (perſuaſi Hiſpani potentiam in Hiſpania magis opinione quam viribus niti) ſuis & aliorum privatorum impenſis appararunt, ab illa nihil fere præter aliquot naves bellicas poſtulantes; inita conditione, ut naves captæ & ſpolia ipſis partitione cederent. In hanc militiam nomina dederunt pauciores

Expeditio in Hiſpaniam.

1. Inde *pro* deinde *in Edd. priorib.*

quam

quam, putarunt. Ordines aliquot naves conſociarunt, 1589.
etſi Anglis offenſiores quod Gertrudis Bergam J. Wingfeldus Præfectus & Angli præſidiarii Hiſpanis tradiderunt. Numerabantur milites XI M. & nautæ M.D. plus minus. Antonius Nothus Prior *a Crato* cum pauculis Luſitanis ſe adjunxit, qui Luſitaniæ regnum populari electione (qua & nothi in Reges lege patria electi fuerunt) vendicans Anglos magnis promiſſis oneraverat, ſpe plenus regnum his auxiliaribus, Luſitanorum ab Hiſpano defectione, & Mulleii Hametti Regis Morocci ſubſidio recuperandi.

Corunna oppugnatur.

E Plimoutha menſe [1] Aprili ſolventes quinto die Corunnam Gallitiæ (Flaviam Brigantium veteres dixerunt, vulgus Groyne) appulerunt, nemine prohibente. Dum oppidum inferius peterent, crebris ejaculationibus è nave vaſtæ magnitudinis & duabus in portu triremibus impetiti nonnihil damni pertulerunt, donec eas majoribus tormentis in littore diſpoſitis longius [2] ſubmoverent. Poſtridie oppidum illud inferius uno eodemque tempore tribus ex partibus adorti ſunt; [3] è navium ſtatione Huntleius & Fennerus in ſcaphis cum M.CC. militibus, è continente hinc Untonus & Brettus cum CCC. inde Richardus Wingfeldus & Sampſon cum D. Hi duriter excepti ſemel atque iterum à ſcalis dejecti & repulſi. Ceteris interea ſine ulla fere jactura irrumpentibus, Hiſpani protinus armis abjectis ad ſuperius oppidum per nota compendia evaſerunt. Qui in vaſta illa nave, igne injecto, in terram ſe receperunt. illa totum biduum deflagravit, & tormenta pleraque omnia pyrio pulvere plus æquo onerata horrendo cum fragore diſſiluerunt. Commeatus omnis generis & apparatus bellicus ad alteram contra Angliam expeditionem, in Anglicas naves convectus.

Inferius oppidum capitur.

1. Aprilis *Edd. priores.* 2. Submoverint *Ed. Lond.* 3. *Deſunt* è navium &c. cum M.CC. militibus, *in Edd. priorib.*

1589. Aſcenditur deinde ad ſuperius oppidum; quod quum Norriſius in rupe ſitum obſervaret, uno, quo tantum poterat, loco cuniculum agi juſſit, ruinam in mœnibus ad alteram partem tormentis majoribus aperuit, & utrinque impreſſionem ſimul facere ſtatuit[1]; ſed fruſtra, igne citra mœnia è cuniculo erumpente, Cunicularii denuo mœnium fundamenta magis penetrarunt, & pyrio pulvere ingeſto altera pars propugnaculi ſuperpoſiti cecidit, altera mox corruens Anglos nonnullos ſubeuntes obtrivit; reliqui inopino caſu territi deſeruerunt ductores. Qui per ruinam in adverſa parte eodem momento impetum fecerunt, ruderibus ſubterlabentibus quum nullus conſiſtendi locus, pluribus deſideratis, receſſerunt.

Superius fruſtra oppugnatur.

Jam certo acceperat Norriſius Comitem Andradæ ad *Pontem* [1] *Burgos* copias contraxiſſe, Comitemque Altemiræ cum pluribus properare eo conſilio ut Anglos in oppido inferiore obſiderent, aut reditum ad naves intercluderent. Ille prævertendum ratus in eos cum x. cohortibus ſigna movit. In exercitus fronte diſpoſiti erant Edwardus Norriſius & Guil. Sidneius, in medio ipſe Norriſius cum Medkerco Belga, in tergo Henricus Norriſius, Huntleius, & Brettus. Citra Pontem Hiſpani ſe objecerunt, ſed ad pontem fortiter rejecti facilem tranſitum, ſepimento vaſorum relicto, Anglis præbuerunt, qui tam continenti impetu incubuerunt, ut illi confeſtim effuſe fugerint, & paſſim per tria milliaria ceciderint. [2] Clade peracta, Angli circumvicinos pagos diripiunt, & incendunt, poſt biduum naves nullo negotio conſcendunt, & dum Luſitaniam verſus vento ſatis adverſo curſum dirigunt, incidit in eos Robertus Comes Eſſexiæ, qui admodum juvenis ex militaris gloriæ ardore, odio in Hiſpanos, & miſeratione in Antonium, ſpretis aulæ illecebris, Regina neſcia & ægre ferente ſe

Hiſpani rejecti.

1. Burges *Edd. priores.* 2. *Deſunt* clade peracta *in Edd. priorib.*

mari

mari commiſerat & claſſem [1] diu quæſierat. [2] Nec ab- 1589.
ſentiam aut periculum ejus libenter admiſſura eſſet, & expeditionem ipſam potius à privatorum alacritate quam Principis deſignatione ſuſceptam videri vellet. Ille tamen imperium penes ſe futurum ſperavit, quum frater ex equitibus, & plures Chiliarchas & ductores ſibi haberet devinctiſſimos, utpote quos promoverat. Perendie mari admodum irritato, ad *Penicham* Luſitaniæ appellunt, nonnullis in exſcenſione ſubmerſis, & incolis illico in fugam conjectis [3] oppido potiti ſunt, caſtrumque Antonio deditur. Hinc terreſtri itinere Ulyſſiponem, quæ LX. millia paſſuum plus minus aberat, copiæ pedeſtres ſub Norriſio contendunt, & Dracus cum claſſe per Tagum fluvium ſequi promittit. In itinere ad *Torras Vedras* militari conſilio [4] convocato, viſum eſt caſtrametari ad Orientalem urbis partem, ut auxilia ex Hiſpania occluderent, & Luſitani facilius Regem ſuum accederent. Sextis caſtris ad Occidua Ulyſſiponis ſuburbia, quæ à S. Catharina nomen habent, perventum, nemine inhibente, ubi contra ac ſtatuerant, ſubſtiterunt, & nullos viderunt præter pauperculos inermes ſubinde conclamantes *Vivat Rex Antonius.* Arma enim Luſitanis Albertus Auſtriacus qui præfuit, jam antea ademerat. Die inſequente quum Angli morbidi & longo itinere laſſati quieti ſe traderent, præſidiarii Hiſpani erumpunt, impetumque Brettus cum ſuis animoſe ſuſtinuit, donec plures Angli & Luſitani opportune ſuccurrentes in urbem rejicerent, Eſſexio ad urbis portam perſequente. Brettus tamen, Carſeius, Carrus, ſtrenui ductores, & aliquot gregarii milites occubuerunt. Quum jam biduum hîc

Penicha capitur.

Ulyſſipo tentatur.

1. Dici *pro* diu *in Edd. priorib.* 2. Nec enim à Regina veniam abeundi impetrare ſperavit, quæ neminem è primaria nobilitate in hac expeditione periclitari voluit. Ille tamen imperium *&c. in Edd. priorib.* 3. Oppidi *in Edd. priorib.* 4. Vocato *Edd. priores.*

1589. hæſiſſent, & ſpes defectionis Luſitanorum quam credulus Antonius oſtentaverat, plane nulla appareret, Rex Morocci promiſſa auxilia non ſubmitteret, recentes auxiliares magno numero ex Orientali parte in urbem confluerent, morbus per exercitum indies gravius graſſaretur, annona & pulvis tormentarius deficerent, tormenta majora ad mœnia perrumpenda à Draco non deveherentur; Angli è ſuburbiis, quæ exoticis mercibus opulentiſſima, nihil omnino auferentes, ne Luſitanorum animos abalienarent, iter verſus *Caſcais* oppidulum ad oſtium Tagi, Hiſpanis ſatis lente inſequentibus, ne noviſſimos quidem carpentibus, inſtituerunt. Draco qui *Caſcais* interea ceperat, [1] quique militia navali bonus terreſtri impar habebatur, in contumeliam verterunt quaſi per ejus ignaviam ſperata victoria exciderint, eo quod juxta ac promiſerat cum claſſe non ſecutus. Ille ex impoſſibilitate excuſavit, quum per *Alcacævæ* canalem ob brevia tranſire non poſſet. Si recta tranſiſſet per propugnaculum S. Juliani quinquaginta majoribus tormentis munitum, & plures triremes ibi proris obverſis diſpoſitas, claſſem certiſſimo periculo expoſuiſſet, nec ſpes ulla redeundi ſuperfuiſſet, ſed certa pernicies ſi naves hoſtiles ſe ad oſtium Tagi interim objeciſſent: claſſe autem pereunte, exercitum non potuiſſe non una perire demonſtravit. Caſtrum deinde ad *Caſcais* deditione acceptum, & ſubjecto pulvere tormentario magna ex parte ſubrutum. Ibidem ad expenſas reſarciendas ſexaginta plus minus Holcadas Hanſeaticas è Germania frumento & omni apparatu nautico onuſtas ad novam claſſem contra Angliam inſtruendam interceperunt, quæ per Orcadas, Hebridas, & Hiberniam longa & periculoſa navigatione, ne interciperentur, uſæ erant; licet Regina jam antea Hanſeaticas urbes litteris monuiſſet

Recedunt.

Dracum criminantur.

Caſtrum Caſcais deditione capiunt.

Holcadas Hanſeaticas intercipiunt.

1. *Deſunt* quique *&c.* impar habebatur, *in Edd. priorib.*

ne

ne commeatum aut apparatum bellicum in Hiſpaniam 1589.
aut Luſitaniam ſubveherent, pœna amiſſionis navium
& mercium conſtituta. Angli inde ſolventes (Antonio omnibus precibus nequicquam obnitente) *Vigo* oppidum in littore deſolatum incenderunt, tractumque vicinum deprædati in Angliam reverſi ſunt cum CL. tormentis majoribus, & præda ſatis opima, cujus pars aliqua viritim diſtributa claſſiariis qui tumultuari cœperant minime ſatisfecit. Satisfactum tamen abunde & vindictæ & gloriæ Anglorum plerique exiſtimarunt, quod tam brevi tempore alterum oppidum ſcalis admotis expugnaverint, alterum ſtrenue oppugnaverint, potentiſſimi Regis copias fugarint, exſcenſiones quatuor diverſis locis fecerint, ſeptem diebus explicatis vexillis & inſtructa acie in hoſtico perrexerint, maximam urbem exigua militum manu tentaverint, tres integras noctes in ejuſdem ſuburbiis egerint, hoſtes proruentes ad portam repulerint, duo maritima caſtella ceperint, & bellico apparatu hoſtes ſpoliaverint. Alii tamen erant qui putarunt hæc minime reſarciſſe incommoda accepta, ſex millibus hominum bellicoſorum & nautarum vi morbi abſumptis. Verumenimvero hujus expeditionis hunc fructum percepit Anglia, ut nihil jam inde ab Hiſpania timuerit, ſed in Hiſpanos majores animos ſumpſerit. An hic funeſtus morbus Anglis acciderit ex vino immodice hauſto, fructuum eſu, aëris intemperie, aut omnibus conjunctim, varie diſputatum: Obſervatumque omnes hactenus terreſtres Anglorum in Hiſpaniam expeditiones funeſtas fuiſſe; ut illa Joannis Gandavenſis Ducis Lancaſtriæ circa annum M.CCC.LXXXVI. in qua ex XX M. Anglorum X M. perierunt: & Marchionis Dorceſtriæ anno M.D.XII. in qua ex decem millibus brevi tempore mille morbo occubuerunt, idque in citeriori Hiſpaniæ ora. Sed adnotarunt eruditi, exercitus ab

Vigonem incendunt.

Præda relata.

Et gloria.

Necnon alacritas contra Hiſpanos.

Angli in Hiſpania morboſi.

1589. [1] Aquilone in Auſtrum profectos paullatim langueſcere, & contra ab Auſtro in Aquilonem magis obdureſcere, prout internus calor externo aëre laxatur, aut conſtringitur; verumque illud Vitruvii eſſe: *Qui à frigidis regionibus traducuntur in calidas, non poſſunt durare ſed diſſolvuntur. Qui autem ex calidis locis in frigidas ſub Septentrione regiones, non modo non laborant immutatione loci valetudinibus, ſed etiam confirmantur.*

Ad Hanſeaticas reſponſum. Quum urbes Hanſeaticæ graves [2] inſtituerent querimonias, etiam minis intermixtas, de Holcadibus interceptis, quaſi privilegia antiqua violata eſſent, reſpondet Regina ſe præmonuiſſe ne apparatum bellicum ad hoſtes Regni Angliæ ſubveherent, ſubvehentes licite intercepiſſe, nec aliter potuiſſe, niſi perniciem ſibi & ſuo populo ſponte attrahère maluiſſet. Privilegia quæ ſunt leges privatæ, contra publicam ſalutem quæ *Lex ſuprema* non aſſerenda. Imo Privilegio illo Regis Edwardi Primi Hanſeaticis indulto, diſerte caveri *ne merces in terras manifeſtorum & notoriorum hoſtium Regni Angliæ deveherent.* Eorumque merces ſæpius detentas fuiſſe, quod ardente bello, Gallis commeatum ſuppeditaſſent, nec ſolum ab Anglis, ſed etiam eadem de cauſſa à Carolo v. à Sueco, Dano, Polono, & nuperrime ab Auraſionenſi Principe, idque jure gentium. Neutralitatis jure ita utendum eſſe, ut dum alterum juvemus, alterum non lædamus; Civitates minime decere minas Regibus intentare; ſe non maximorum quidem Regum minas, nedum Civitatum timere, & velle vicinitatis jura cum omnibus ſanctiſſime ſervare.

Elizabetha Navarro ſubvenit. Et ſervavit quidem, nam & Navarrum bello difficillimo involutum tum præſenti pecunia tum bellico apparatu adjuvit, & Gallum ſuis rebus diffidentem per

1. *Deſunt* Aquilone *&c.* & contra ab *in Edd. priorib.* 2. Inſtituerint *Ed. Lond.*

Thomam

Thomam Bodleium clam ſubmiſſum confirmavit. Quum enim.(ut digreſſiuncula neceſſaria paullo altius repetam) Andinus Regis frater diem ſine liberis obiiſſet, Rex prolem non haberet, nec habiturum ſpes ulla eſſet, & regnum Navarro, & poſt Condeo Reformatæ Religionis propugnatoribus ex jure deberetur; Pontificii Galliæ Principes, Pontifice & Hiſpano conſciis, conjurationem pernicioſam occulte inierunt ſub Religionis Catholicæ tuendæ velo, nomine *S. Unionis* ſive *Ligæ*, ad Regem peſſundandum publicam in illum invidiam pravis conſiliis accendendo, & ad Reformatam Religionem funditus exſtirpandam prævertendo legitimam in Regno ſucceſſionem. Qui in hanc nomina dederunt fidem mutuam jurejurando obſtrinxerunt ſe neutiquam in Gallia quemcunque regnare paſſuros qui aliam Religionem quam Catholicam Romanam profeſſus fuiſſet aut profiteri vellet, neque eum admiſſuros qui in alia innutritus etiamſi eam abjuraret; ne Regnum adeptus Religionem avitam labefactaret. Hæc ſingula ad excludendum Navarrum & agnatum Condeum ſpectaſſe nemo dubitavit. Conjuratio etiam iſta nunc aperte ubique graſſabatur his quaſi gradibus ſenſim proſerpens. Guiſius conjurationis Princeps quum Pictaviam adhuc juvenis fortiter contra Proteſtantes defendiſſet, equites Germanos, quos Alenconius accerſierat, fudiſſet, & ingentem illum Germanorum ſub Barone Dohna exercitum jamdudum profligaſſet, à plebe & Eccleſiaſticis immodicis laudibus ſupra Regem ut unicus Romanæ Religionis aſſertor, & Proteſtantium malleus paſſim celebratus, Lutetiam ingreſſus tumultum tantum excitavit, ut ipſe Rex neceſſario urbe excederet, conventum Blæſis indiceret, in hanc unionem ad Reformatæ Religionis cultores exſcindendos edicto Julii promulgato conſentiret, Guiſium Magnum Magiſtrum Gallicæ militiæ renunciaret,

1589.

Sacra Liga in Gallia.

Baricades de Paris.

Guiſius occiditur.

1589. nunciaret, cum eo ad mutuam fidem firmandam ſacræ Synaxi communicaret. Mox tamen dum eum timeret quem timendum & tantum fecerat ut legibus interrogari non poſſet; atque hominis animum ad altiora & non conceſſa præfeſtinare ſuſpicaretur: perſuaſus inſidias in ſuam vitam ab eo ſtrui, & non aliam conſervandi regiam auctoritatem ſupereſſe rationem niſi è medio tolleretur; eum ex inſidiis intra aulæ parietes confodi & mox fratrem Cardinalem ſtrangulari juſſit. Guiſii filium, Borbonium Cardinalem atque conjuratos quos apprehendere poterat in cuſtodiam dedit. Hinc tanta rerum per Galliam erat confuſio, ut pulcherrima Gallici imperii compages in multas partes diſſultura videretur. Populus enim ubique magiſtratibus parere dedignatus, Regias ædes Lutetiæ diripuit: ex civitatibus aliæ Democratiam, aliæ Ariſtocratiam, aliæ Oligarchiam affectarunt, pleriſque Monarchiam averſantibus. Conjurati novo conſilio inſtituto, novo Sigillo ad res adminiſtrandas confecto Regiam ſibi auctoritatem arrogarunt, munitiſſima quæque loca, imo integras provincias ſibi raptarunt, Regni reditus interceperunt, auxiliares Hiſpanos è Belgio evocarunt, quatuor ex ampliſſimis Galliæ Senatibus (Parlamenta vocant) ſuffragantibus, & Eccleſiaſticis bellum in Regem ubique buccinantibus.

Henricus III. Rex Galliæ occiditur.

Adeo ut Rex neceſſario ad Proteſtantes quos exagitaverat, confugeret; [1] unde duplicata invidia conjurati & iſti ad deteſtabile ſcelus converſi illum per Jacobum Clementem Monachum parricidio [2] tollerent. Navarrum, quem Rex moriens ſucceſſorem ex jure declaraverat, quaſi hæreticæ pravitatis manifeſtum & qui hoſtiles exercitus in patriam attraxerat, regno programmate excluſerunt. Quem autem Regem crearent, opi-

De Rege ſubſtituendo variatum.

1. *Deſunt* unde d. inv. conjurati *in Edd. priorib.* 2. *An,* ſuſtu- ſtrunt ?

nionibus

nionibus diſcreparunt. Carolus Dux Mainius Guiſii occiſi frater, regnum ſibi deferendum cenſuit, eo quod res fortiter contra Proteſtantes geſſerat, præcipuæ urbes ei obſequium detulerant, Cardinalis Borbonius in carcere jam detineretur, quem Sacerdotem & imbellem Galli gens bellica ferre non poſſet. Illum etiam Regem creando familiæ Borboniæ jus agnoſcerent, & abſolutum jus patrui contra nepotem revocarent. Alii Lotharingum aut ex ejus liberis aliquem præferendum contenderunt, ut hæc familia ab Hugone Capeto Galliæ regno injuſte olim ſpoliata jam tandem poſtliminio juſte reſtitueretur: Hiſpanum huic familiæ faûturum & filiam ſuam alicui ex hac electo libenter in conjugem daturum. Alii Sabaudum nominarunt ex Regis Galliarum filia natum, Hiſpani generum, Principem vicinum, potentem & animoſum; Nonnulli Guiſium ob avi & patris in Religionem Romanam & Rempublicam merita prætulerunt. Nec defuerunt qui eblandita ſuffragia pro Hiſpano utique longe potentiſſimo tulerunt. Pars tamen maxima, ut juſtum & jus colere viderentur, in Cardinalem Borbonium propendit, uno gradu regi ſublato quam nepos Navarrus proximiorem, multa pro Catholica cauſſa perpeſſum, qui facile è carcere poſſet liberari, & per quem Catholici ad religionis Reformatæ cultores opprimendos ſine externis auxiliis conjungerentur. In hanc ſententiam itum, Mendoza Hiſpani Legato inprimis auctore, qui per hunc pontem viam Hiſpano ad Gallicum ſceptrum pandi poſſe putavit. Cardinalis itaque Borbonius Rex Galliarum promulgatur, nummi ejus imagine cum titulo *Caroli Decimi* procuduntur, Mainius *Locum-tenens Generalis* [1] *Status & Coronæ Gallicæ* declaratur; qui ſtatim copiis undiquaque contractis in Navarrum, à ſuis itidem Galliarum Regem juſtiſſime pro- 1589.

Borbonius Cardin. rex declaratur.

Navarrus periclitatur.

1. Status & *deſunt in Edd. priorib.*

1589. mulgatum,ad Diepam, maritimum Normanniæ oppidum, jam agentem, ſigna infeſta movet, ſpe certa vel intercipiendi, vel è Gallia expellendi.

Regina ſubvenit. Ille in has anguſtias redactus prope oppidum cum ſuis caſtra-metatus, primum Beavorium la Noëclum, ſtatimque Buhium & Buzenvalium feſtinato in Angliam ad opem petendam & fœdus tam offenſionis quam defenſionis offerendum miſit. Regina ne Regi ejuſdem profeſſionis & bellica gloria florenti in re tam præcipiti deeſſet, & verita ne ſtipendiarii Germani & Helvetii corruptelis deficerent, protinus XXII. mill. librarum Anglicarum in auro (quantam vim monetæ aureæ ille ſe non prius ſemel ſimulque vidiſſe profeſſus erat) ſuppeditavit, arma & IV M. auxiliarium ſub imperio Peregrini Baronis Willoughbeii (qui Belgico exercitui poſtquam Leiceſtrius abierat cum laude præfuerat) miſit. Chiliarchas conſtituit Thomam Wilfordium qui Mareſcallus deſignatus, Joannem Boroughum, Guilielmum Drurium & Thom. Baskervillum viros dignitate equeſtri, menſtruumque ſtipendium prompte in anteceſſum aſſignavit. Hinc conjurati, qui jampridem in prœlio ad Arquas à Rege præter omnem opinionem profligati, nunc omni ſpe dejecti pridie quam Angli appulerant, convaſarunt.

Anglorum in Gallia militia. Rex his auxiliaribus firmatus cum exercitu Lutetiam Pariſiorum perrexit. Angli & Helvetii juſſi adoriri partem illam quæ intra portam S. Marcelli & Sequanam interjacet, vallum & objecta ſepimenta perrumpentes ad S. Victoris portam uſque penetrarunt, parumque abfuit quin intraverint. Sed Rex qui non putavit maximam & numeroſiſſimam urbem tantilla militum manu occupari poſſe; nec lubuit prædæ objicere quam ſui juris brevi futuram ſperavit, nec Mainium ad pugnam elicere poſſet, receptui cecinit. Inde Stampas movit, Willoughbeium cum Anglis in via reliquit ut iter conjuratis

occlu-

occluderet, dum oppidum cum caſtro deditur. Vindocinum poſtea expugnatur, quod cum Comitatu Vindocinenſi (ut obiter adnotem) Robertus Willoughbeius Normanniæ Præfectus olim ab Henrico Quinto Angliæ Rege ob fortitudinem dono acceperat. Strenuam deinde operam Angli navarunt redigendo Cenomanum, Alenconium, Faleſiam, Luxonium & Honflevum in Regis poteſtatem; ubi omnibus Hibernæ expeditionis difficultatibus delaſſati, quingenta plus minus milliaria jam permenſi cum laude dimiſſi in Angliam, quotquot ſuperſtites, redierunt. Vi morbi perierunt Hunningus militum ductor, Stubbius cui dextram ob libellum contra Andini cum Regina nuptias præciſam dixi, & qui magnum ſui deſiderium reliquit Guilielmus Drurius, vir genere & omni elegantia ſplendidus, à Joanne Borougho ſingulari certamine occiſus dum ille Eques auratus cum Borougho Baronis filio juniore de honoratiori loco (contra præſcriptam in claſſe Anglicæ nobilitatis rationem) contenderet.

1589.

Eorum reditus.

Anglos dimiſſos noluit Regina & Rex doluit, certis nunciis edocti Hiſpanum regno Gallico tecte inhiare. Ille enim per Commendatorem Moream Jo. Taxium & Bernardinum Mendozam in Conjuratorum conciliabulo propoſuerat, ut quandoquidem tanta auxilia tantis impenſis tulerat, Catholicorum in Gallia Protector declararetur, cum eadem prærogativa qua in regno Neapolitano & Siculo fruitur, munia cum civilia tum Eccleſiaſtica in Gallia quibus vellet per ſuos delegatos conferendi. Quod quum etiam Cardinalis Cajetanus Pontificis nuncius enixe promoveret, multis cordatis Gallis etiam catholiciſſimis ſtomachum movet.

Hiſpanus Galliæ Regnum affectat.

Ut Elizabethæ nihil prius erat quam Navarrum in Galliarum regno confirmare, ita jamdudum percupierat Catharinam ejus ſororem Regi Scot. in matrimonio collocare.

Regina nuptias Scoto commendat.

1589. locare. Utrumque enim ad Pontificiorum contra Proteſtantes conatus retundendos neceſſarium videbatur. Verum res non ſucceſſit, quod illa ætate grandior, minus opulenta, & frater bellis exhauſtus. Quumque Rex ille ſubinde Elizabetham de uxore deligenda conſuluiſſet & illa lente reſpondiſſet, Scoti ſuſpicari imo & palam clamitare cœperant, Anglos callidis conſiliis honorem & liberos regi invidere, tum ut ultionem ob matrem exſtinctam effugerent, tum ut Scoticum genus à Succeſſione in Anglia excluderent. Quod quum illa audiſſet, monuit Regem ut ejuſmodi uxorem aſſumeret, quæ ſibi inprimis placeret, populo non diſpliceret, & per quam amicitia inter [1] Regna ſine ſuſpicione conſervaretur. Et ille qui animum ad Annam Frederici II. Danorum Regis filiam (quam Elizabetha præ ceteris commendavit) ante annum applicuerat, cum eadem menſe Auguſto hoc anno, Comite Mareſcallo auſpice, procuratorio nomine verbis conceptis regio ritu pactus erat. Verum quum illa in Scotiam navigans in medio curſu horridis tempeſtatibus in Norwegiam rejiceretur, claſſe adeo afflicta ut iterum ſolvere non poſſet: Rex conſilio prius Elizabethæ communicato; quæ honoraria dona ad nuptiarum ſolennia miſerat: in Norwegiam menſe Octobri cœlo hibernante trajecit, ut nuptiæ intra annum (quod ordines Regni ſtatuerant, & ipſe voverat) conficerentur, quæ auſpicato confectæ: & in illis partibus ad Maium uſque hæſit, non prius commodum revertendi tempus nactus.

Ille Annam Danicam deſpondet.

In Norwegiam navigat.

Nonnulli has tempeſtates Magorum & Sagarum maleficiis excitatas opinati ſunt, eo quod venti fuerint rapidiores, fluctus ex imo concitatiores, procellæ breviores & crebriores, quam quæ ex cauſſis naturalibus. Quodque Dæmones principes aëris in gentibus Septen-

Tempeſtates à Magis excitatæ.

1. Reginam *pro* Regna *in Edd. priorib.*

trionalibus

trionalibus barbare ſimplicibus atque Evangelica luce 1589.
deſtitutis licentius graſſantur. Et horum opinionem confirmarunt Magi quidam & Sagæ in Scotia deprehenſi, qui palam confeſſi ſunt ſe tempeſtates illas ad Reginam à Scotiæ littoribus arcendam excitaſſe, atque Bothwellium ipſos de Regis fato conſuluiſſe. Quod quum capitale ſit apud Scotos ex lege Mariæ R. ille in carcerem conjectus; ſed poſt breve tempus erupit, & novis in Scotia motibus initium dedit.

Bothwellius ab illis accuſatus.

In Anglia è vita hoc anno exceſſit Franciſca Comitiſſa Suſſexiæ Thomæ Comitis Suſſexiæ vidua, Henrici Sidneii ſoror, memoria digna quod Collegium Sidneio-Suſſexium bonarum litterarum ſtudioſis Cantabrigiæ poſuit, imitata Gualterum Mildmaium, qui per hoc tempus in cœleſtem patriam commigravit. Vir pietate ſpectata & prudentia ſingulari, omnibus boni civis virique boni officiis perfunctus, ab Henrico VIII. Curiæ Augmentationum Superviſor conſtitutus, ab Edwardo Sexto Equeſtri dignitate ornatus, & ab Elizabetha in Sanctius conſilium adſcitus, Fiſci Regii Cancellarius & Subtheſaurarius, qui ut pietatem & bonas litteras promoveret, Cantabrigiæ an. M.D.LXXXIV. Emanuelis Collegium, in quo ſtudioſi ſexaginta duo ſub præfecto aluntur, exſtruxit. In ejus locum ſuffectus Joannes Forteſcuus vir integer, Græce, Latineque apprime eruditus, qui liberalibus Reginæ ſtudiis & Regiæ Syntheſi,ſive *Garderobæ* (ut vulgo vocant) *diu* præfuerat, & mihi hæc ſcribenti in nonnullis lumen porrexit.

Comitiſſæ Suſſexiæ obitus. Et Gualteri Mildmaii.

Animam etiam Deo reddidit ætate jam declivi Guilielmus Somerſettus Comes Wigorniæ, filius Henrici, nepos Caroli. Succeſſit Edwardus filius unicus, numeroſa prole adeo fœcundus ut plures liberos utriuſque ſexus quam univerſi Angliæ Comites nuper numeraret.

Comitis Wigorniæ.

Naturæ

1589. Naturæ quoque debitum perſolverunt Joannes Baró Sturtonus, Caroli (quem ob homicidium Maria Regina ſuæ juſtitiæ exemplum ſtatuit) filius ex Anna Stanleia, Edwardi comitis Derbiæi filia, progenitus, cui Edwardus frater ſucceſſit; atque Henricus Baro Comptonus ingenii judiciique laude efflorefcens, Guilielmo filio è Franciſca Haſtingia, Franciſci Comitis Huntingdoniæ filia, herede relicto. Et Bruxellis Thomas Baro Paget, qui Mariæ Scotorum Reginæ devotiſſimus, ideoque ſuſpectus ex Anglia ſe ſubduxit, ut anno M.D.LXXXV. diximus, unico filio Guilielmo ex Nazareta Newtonia relicto. Reipublicæ vero litterariæ triſte ſui deſiderium reliquit Laurentius Humfredus Oxonienſis Sacræ Theologiæ Doctor, qui in Germania regnante Maria exſul, Origenem de recta fide & Philonem de Nobilitate è Græco tranſtulit, tres libros de Nobilitate, quibus titulum *Optimates* fecit, ſcripſit. Domum reverſus Magdalenenſi Collegio Oxoniæ, in quo educatus, Præſes factus, Regiuſque S. Theologiæ profeſſor, publice multos annos legendo, concionando, & plura ſcribendo Eccleſiæ profuit laudemque promeruit. Nec tamen altiorem in Eccleſia dignitatem quam Decanatum Wintonienſem conſecutus, fortaſſe eo quod de Adiaphoris non juxta cum Eccleſia Anglicana ſenſerit.

Baronis Sturton.

Baronis Comptoni.

Baronis Paget.

Et Laurentii Humfredi.

M. D. XC.

ELIZABETHA quæ pacem ſummam cogitationum ſemper fecerat, ideoque belli curas nunquam abjecerat, ne ex improviſo ab Hiſpano opprimeretur, primo vere militum delectus in Anglia & Auſtrali Hiberniæ parte habet. Ibi *Duncanon* ad oſtium *Suiri* fluminis atque in Wallia Milfordicum portum novis operibus communit. Ad claſſem ſartam tectam conſervandam 8970. libras monetæ Anglicæ ſive Sterlingæ in ſingulos annos

Regina portus munit.

Claſſem curat.

Gallo pecuniam ſuppeditat.

annos aſſignat. Et quamvis anno M.D.LXXXVII. ad exercitum in Germania ſub Barone Dohna pro Navarro colligendum 101960. Aureorum Francorum per Horatium Pallavicinum mutuo dederit, & ſuperiore anno 71165. ex Syngraphis Beavoiri, Buhii & Buzenvalii; atque 20000. in tranſmittendis auxiliaribus ſub Barone Willoughbeio expenderit: nihilominus hoc anno primum 33333. ad conſcribendum in Germania exercitum ſub Principis Anhaldini auſpiciis, ex Syngrapho Vicecomitis Turaniæ, deinde tantundem ex Syngraphis Beavoiri & Incarvilli numerat. Singulis præterea binis menſibus præſidiariis in Fluſhingha & Briela centum viginti quinque millia Florenorum & III mill. peditibus & equitibus in Belgio merentibus ducenta & ſexaginta millia perſolvit, plures naves undique emittit, contra Pontificis Romani atque Hiſpani in Scotia molitiones ſumptus magnos inſumit, necnon pecuniam à ſubditis jampridem mutuo acceptam præter exſpectationem rependit. Uſque adeo ut plerique demirarentur, unde opes ad hæc ſuppeterent quum nullius in ære eſſet, (ut ceteri Principes fere omnes) & ſine externis auxiliis ſe ſuoſque defendere valeret (quod vicinorum Regum plane nullus poterat.) 1590.

Verum enimvero illa provide frugalis vix quicquam effudit niſi ad Regiæ Majeſtatis honorem tuendum, regnum defendendum, aut vicinos ſublevandos. Et Burghleius Theſaurarius in eos qui portoria & vectigalia curarunt, quorum avaritia multa ſubrepta, & negligentia plura non exacta, penitius inſpexit. Maxime ex quo non ita pridem Regina, de myſteriis publicanorum à Caermardino viro ſolerti edocta, effecerat ut Tho. Smithus Cuſtumarius, ut vocant, qui portoria redemerat pro [1] XIIII M. libris monetæ Anglicæ in ſingulos annos,

Redemptionem Cuſtumæ auget.

1. XIII. M. libris *tantummodo in Edd. Belg.*

nos,

1590. nos, jam inde pro XLII. mill. lib. redimeret, non parva pecunia pro tam quæſtuoſa tot annos redemptione in compenſationem collata, & poſtea pro quinquaginta millibus redimeret. Etſi Theſaurarius, Leiceſtrius & Walſinghamus contraniterentur, Carmardino ſe opponerent, atrienſibus interioris admiſſionis ne admitteretur juberent, imo & cum Regina expoſtularent, quaſi hoc ipſi & conſiliariis in opprobrium cederet ſi tantilli delatoris accuſationibus auſcultaret. Verum illa reſpondit, Principis eſſe ſummos pari jure cum infimis continere, qui Magiſtratus & Conſiliarios temere accuſant plectendos, qui juſte exaudiendos; ſe Reginam eſſe infimorum, non minus quam maximorum, nec aures illis velle occludere, nec paſſuram ut Publicani quaſi hirudines Reipublicæ bonis ſaginentur dum ærarium inops tabeſcit; nec illud ex egentium ſpoliis redundaret. Illa ſane extorſiones ſemper averſata eſt & acerbitates in vectigalibus extra ordinem exigendis, quas ſuperiores Reges blandis nominibus *Liberalitatis populi*, *Benevolentiæ*, *Amicabilis conceſſionis* & id genus aliis edulcarunt. Capitationem animalium regnante Edwardo Sexto propoſitam ne nominari voluit. Præterea populus Subſidia alacriter ſemper contulit,& licet taxatio ex cenſu major quam olim videretur, nulla tamen rigida taxandi ratio eſt adhibita. Ita ut Subſidia illa potius ſpontanea ſine inquiſitione aut aliqua coërctione eſſent, & ſemper minora quam Regni Ordines exiſtimaverant. Quinimo ad Regni Ordines referri juſſit ut opulenti plus dependerent, & egentioribus parceretur, quod ſemel factum regnante Richardo Secundo. Sed ſucceſſu caruit. Illi enim rationibus ſubductis deprehenderunt, Subſidia admodum exilia futura ſi mediocrium fortunarum homines quorum maximus numerus ([1] Three pound men vocamus) minus quam ſolent, perſolverent.

Acerbitates in vectigalibus vetat.

1. The pound men *in Edd. priorib.*

Ut

Ut amicitiam etiam cum exteris coleret, Groning- 1590.
ham opulentiſſimam Friſiæ urbem, quæ nec Hiſpanos Ordinibus in Belgio proſpicit.
ferre nec Ordinibus ſubeſſe voluit, ad fidem ejus confugientem, in tutelam accipere abnuit ne Ordinibus offenſionem crearet. Zelandis indignata quod Gallum in patronum, inſciis Hollandiæ Ordinibus, advocare cœperint (hoc ipſe Gallus edocuit:) cum Hollandis tamen in gratiam reduxit, & nonnullos in illis Provinciis per publica ſcripta improbando coarguit qui fuco obſequii & benevolentiæ erga ipſam diſſenſiones ſeminarunt & Ordinibus ſe oppoſuerunt: Eoque acrius, quod intellexerat Richardotum egiſſe ut venia & conſcientiæ libertas omnibus Belgis qui ex aliis provinciis profugerant concederetur, modo domum redirent. Quod ſi fieret, in Ordinum damnum futurum proſpexit, quum id genus homines Hollandiæ urbes prius quodammodo vacuas habitarent, ditarent & in bellum plurimum contribuerent. Venetorum & Florentinorum naves ab Anglis interceptas Magni Hetruriæ Ducis rogatu reſtitui juſſit, ſeveroque dicto ſuis imperavit ne Italis, Venetis, Gallis, Piratas coërcet.
Danis, Belgis aut Hanſeaticis vim inferrent. Hiſpanos tamen graviter afflixerunt, dum alii Mare Atlanticum juxta *Azoras* quo naves utriuſque Indiæ neceſſario appellunt, infeſtant, navibus plurimis direptis, propugnaculo in inſula [1] *Faiala* à Cumberlandiæ Comite ſolo æquato, & LVIII. tormentis majoribus ablatis; alii per medias triremes in Freto Gaditano magno damno illato fortiſſime perrumpunt, & longe lateque per maria terrorem ſpargunt.

Gloria Elizabethæ jam pervagata, gratiaque longe Pacem Moldavo & Polonis impetrat.
diffuſa, & quietem ab Imperatore Turcarum Vaivodæ Moldaviæ miſere à Turcis exagitato, & pacem Polonis difficili bello imminente, impetravit, quod gratiſſimis

1. Fiala *in Edd. priorib.*

1590. litteris Polonus & ejus Cancellarius agnoverunt. Interim ut amicitiam cum Scotorum Rege confirmaret, Edwardum Somerſettum Vigorniæ Comitem mittit, qui nuptias & è Dania reditum congratularetur, illum una cum Rege Gallorum in ſocietatem Ordinis Georgiani eſſe allectum ſignificaret, at ſubmoneret ut graſſantem in Scotia Pontificiorum factionem tempeſtive comprimeret. Ille benigniſſime excepit, utque ſuſceptam cum Anglia amicitiam conſervaret, & eximium publicæ pacis ſtudium declararet, Chiliarcham Stewartum in Germaniam miſit, ut cum Dano & Principum Legatis ratio iniretur de pace inter Angliam, Hiſpaniam & Galliam redintegranda.

Nuptiis Scoti congratulatur.

[1] Gallia enim periculoſiſſimo incendio, ut dixi, à Conjuratis & Hiſpano excitato deflagravit, ad quod exſtinguendum illa omnia momenta diligenter obſervavit, & qua ratione ſubveniret crebra habuit conſilia: An Angli veterani in Belgio Germanorum copiis in Galliam adventantibus ſe conjungerent: An juſtum exercitum in Belgium mitteret qui Parmenſem jam Galliam cogitantem diſtinerent. Inprimis vero quomodo Hiſpani à maritima Galliæ ora prohiberentur, quos de *Portu Gratiæ* in poteſtatem per corruptelas [2] redigendo agere & claſſem in Britanniam Armoricam deſtinare audiverat.

Galliæ proſpicit.

Ecce inter medias has conſultationes, Parmenſis cum juſto exercitu Galliam ingreſſus (hoc enim Hiſpanus imperaverat Conjuratorum efflagitationibus facile perſuaſus ſub ſpecioſo Religionis Catholicæ tuendæ & charitatis in proximum obtentu, poſtquam Rex inſignem victoriam de iis ad Yverium retuliſſet) Picardiam perſultat, Lutetiam rebellantem fameque miſerrime contabeſcentem annona ſublevat, Carboilum & Laignium ut an-

Quam Parmenſis invadit.

1. Gallia cum omni periculoſiſſimo *in Edd. priorib.* 2. Redigenda *Edd. Belg.*

nona

nona in Lutetiam ſubveheretur expugnat, copiaſque reducit majore cum laude tam militaris ſcientiæ in vallis militum manibus more Romano ducendis, & pugna prudenter detrectanda, quam militaris diſciplinæ in militibus coërcendis qui etiam templa ſacrilege violarunt. 1590.

[1] Ex altera parte aliæ Hiſpanorum cohortes præter exſpectationem ſub Æquinoctium Autumnale ad Blawetum in Britannia Armorica auſpiciis Joannis D'Aquilæ appulſæ Henebonum munitum ad mare oppidulum obſident & occupant auxilio Philippi Emanuelis Ducis [2] Mercæuri è familia Lotharinga, qui accerſierat, quum conjurati Galliam viritim dividendam ſperarent, & ipſe Britanniæ Ducatum aut ſaltem ejus partem animo invaſerat Hiſpani ope, & uxoris jure quæ unica filia Sebaſtiani Martigui cui mater Caroletta Britannica heres J. Broſii Ducis Stamparum. Hanc occaſionem Hiſpanus libens arripuerat, qui Britanniam ad filiam jure ſpectare exiſtimavit, quandoquidem *Feudum* eſſet femininum, atque illa nata ex primogenita Henrici Secundi Regis Galliarum filia, quæ, avunculis ſine ſobole defunctis, in ipſo Galliæ regno, niſi Lex Salica obſtaret, ſuccedere debuit. Et quamvis illum non latuerit Britanniam regnante Franciſco Primo regno Galliæ in perpetuum adunatam fuiſſe, non tamen credidit, quod Juris-conſulti pronunciant, omnia quæ Regum Galliæ ſemel fuerint, liliorum delibatione Galliæ Regno inſeparabiliter coäleſcere.

Hiſpani in Britannia portus occupant.

Qua ſpecie juris.

Contra hos Hiſpanos ſtatim atque appulſi, auxiliarem ex Anglia manum rogavit Henricus Borbonius Dumbarum Princeps, Ducis Montpenſerii filius quem cum La-Novæo Rex Britanniæ præfecerat. Sed non viſum Reginæ & Conſiliariis copias mittere rogatu ſubditi, Rege inſciente & non rogante, qui tunc alibi negotiis

Auxilia contra eos petita.

1. Et altera *in Edd. priorib.* 2. Mercaori *Edd. priores.*

1590. implicatus pluſquam difficillimis. Illa tamen ad res Britannicas animum mentemque intentius convertit. Ferre non poterat ut Hiſpanus regionem tam opulentam, tam vicinam, ad Angliam, Hollandiam, Zelandiam invadendam vel infeſtandam tam opportunam ſui juris faceret. Et ſua magis hoc intereſſe dixit quam olim Edwardi Tertii qui tantis expenſis tutatus eſt cauſſam Joannis de *Monteforti*, quo minus Galli Britannia potirentur. Erant qui illam monuerunt, ut pecuniæ parceret, ſua potius quam aliena curaret, nec ullam fiduciam in Gallis collocaret, eos ſuis Regibus fuiſſe inſidioſos, alterum Pontificiæ religionis cultorem devotiſſimum nuper ſuſtuliſſe, alterum Reformatæ profeſſorem ſceleratis armis & Pontificiis diris jam perſequi, Metas, Tullum, Virodunum Germanico imperio patrum memoria minus juſte ſubtraxiſſe, ac Anglos hodie amicos non minus quam olim hoſtes innato odio ingrate proſequi, & toties in re pecuniaria fefelliſſe, ut creditores quos fraudare ſtatuunt *les Anglois* diverbio vocitent. Præterea conſiliis corruptis & fatis impellentibus florentiſſimum regnum ita dilacerare, ut vicinis potius miſerandum quam formidandum videatur, dum ut corpus prævalidum viribus oneratur ſuis, vel ex mobili ingenio hoſtem ſi foris non habeat domi quærit. Eo enim ſocordiæ (an credat ſubſequens ævum?) deveniſſe, ut Hiſpanorum cohortes in Galliam advocarint & in urbes admiſerint. Verum illa Gallorum ſalutis & laudis amantiſſima hos ut genti nobiliſſimæ & præpotenti iniquiores exploſit. Imo alios tam Gallos quam Anglos ſuggerentes ut dum *Conjurati* & Hiſpanus Galliam quaſi in prædam partiri, & *cantonizare* inciperent, & illa maritima Picardiæ & Normanniæ ſibi occuparet; memorantes quod Carolus Burgundus ille Pugnax dicere ſolitus, *feliciter cum gentibus vicinis actum fore quando Gallia non uni Regi ſed viginti Regulis*

Elizabethæ de Britannia ſollicitudo.

Et etiam de Gallia contra quorundam conſilia.

Regulis ſuberit; averſiſſimis auribus audivit, & admodum ſtomachoſe rejecit, dictitando : *Quandocunque ſupremus regno Galliæ dies illuxerit, proculdubio in Angliæ exitium adveſperaſcet.* 1590. Ejus diverbium.

Dum hæc agitari cœperant, Ambroſius Dudleius Warwici Comes Joannis Ducis Northumbriæ filius, ex Ordine S. Georgii, bonitate affluens ex vita improles exceſſit. Nec ita poſt Franciſcus Walſinghamus Reginæ à Secretis, Ducatus Lancaſtriæ & Ordinis Garteriani Cancellarius, ex carne dura intra teſtium tunicas increſcente aut potius medicamentorum violentia. Vir eximie prudens & induſtrius, ampliſſimis functus Legationibus, purioris Religionis aſſertor acerrimus, rerum occultarum indagator ſolertiſſimus, qui animos hominum ſibi conciliare & ad uſus ſuos adjungere apprime calluit. Adeo ut ſagacitate & officiis Reginæ exſpectationem ſuperaret, & Pontificii eum tanquam ſubdolum in negotiis complicandis, hominibuſque in pericula prolectandis artificem ſugillarent, dum latentes in Religionem, patriam & Principem machinationes ſolers indagaret; tantis quidem impenſis, ut rem privatam extenuaret, & ære publico oppreſſus tenebris ſine funebri celebritate ad S. Pauli Londini inhumaretur. Filiam reliquit unicam, quæ primo marito Philippo Sidneio filiam, Rogero Comiti Rutlandiæ enuptam, ſecundo Roberto Comiti Eſſexiæ filium & filias, & tertio Comiti *Clan-Ricard* Hibernico utriuſque ſexus liberos peperit. Comes Warwici obit. Et Franciſcus Walſinghamus.

Walſinghamo vix unum & alterum menſem ſupervixit Thomas Randolphus qui illi intimus. Hic jam ſæpius memoratus fratrem habuit Edwardum illum belliçoſum qui in Hibernia victor M.D.LXVII. occubuit. Juvenis Juri civili operam in Æde Chriſti Oxoniæ dedit atque Aulæ Latepatenti præfuit. Varias deinde Legationes obiit, ter apud Scotiæ proceres tumultuantes, ter apud Et Thomas Randolphus.

1590. apud Mariam Scotorum Reginam è Gallia reverſam, ſepties apud Jacobum Sextum Scotorum Regem,. ter apud Joannem Baſilidem Ruſſorum Imperatorem, ſemel apud Carolum Nonum Gallorum Regem, & iterum apud Henricum III. Multiplicem hanc in patriam & Principem operam Regina munere Camerarii in Fiſco quod olim dignitatis plenum, equorum diſpoſitorum ſive Angariarum Præfectura, & aliquot prædiolis remuneravit. Nec ille, etſi plures habuerit liberos, ex continenti cupiditatis moderatione plura concupivit. Atque ex pio animi ſenſu (quod meminiſſe fortean proſit) Walſinghamum paullò ante mortem litteris quas vidi ſerio admonuit, quam dignum imo quam neceſſarium, ut ille Secretarii, ipſe Legati technis jam tandem valediceret, uterque cœleſtem patriam cogitarent, & pœnitendo divinam miſericordiam implorarent.

Jacobus item Croftus. Hunc ſecutus eſt Jacobus Croftus qui regnante Edwardo VI. Hadingtonam in Scotia contra Gallos defendit, & Hiberniam aliquandiu rexit, ſub Maria majeſtatis damnatus & abſolutus ſub Elizabetha Berwico & Limiti Orientali præfuit, factuſque Aulæ Regiæ Contrarotulator, & in Tractatu Bourburgenſi Delegatus, Aulica invidiâ major, qua tamen graviter exagitatus, in bona apud Principem gratia, & integra apud omnes exiſtimatione conſenuit & obiit.

Et Salopiæ Comes. Anno terminante vitæ curſum confecit Georgius Talbottus Comes Salopiæ, filius Franciſci, ex hac familia Comes ſeptimus. Qui juvenis regnante Maria, in bello Scotico primum à patre exercitus Generali cum tribus armatorum millibus emiſſus Northumbriæ Comitem ad Lovicum periclitantem liberavit, deinde quingentorum cataphractorum turmæ in limitibus præfuit; Ab Elizabetha cuſtodiæ Reginæ Scotorum adpoſitus, & poſt Norfolciæ mortem ad honorem Comitis Mareſcalli Angliæ

evectus,

evectus, fidem tam ambiguis temporibus contra externas inſidias, aulicas calumnias, [1] & uxoris ſecundæ moleſtias quindecim annos ita tutatus eſt, ut non minorem fidei & prudentiæ, quam majorem fortitudinis laudem reliquerit. Liberos ex priore conjuge Gertruda Tho. Comitis Rutlandiæ filia progenuit Franciſcum immatura morte ereptum, Gilbertum in hereditate & honore ſucceſſorem qui Mariam Cavendiſham novercæ filiam duxit, Edwardum qui filiam & unam heredum Baronis *Ogle* in uxorem cepit, Henricum & Thomam, Catharinam Henrico filio Comitis Penbrochiæ ſine prole defunctam, Mariam Georgio Savillo, & Gratiam Henrico Cavendiſho enuptas. Ex poſteriore uxore Elizabetha J. Hardwici filia Guil. Cavendiſhi vidua liberos ſuſcepit nullos. Nec tacendus qui hos in alteram vitam comitatus eſt Thomas Baro Wentworthus poſtremus ex Anglis Caleti Præfectus, cui Henricus filius ſecundus (primogenito patri ſuperſtiti prærepto) ſucceſſit. 1590. Et Baro Wentworth.

[2] Reip. litterariæ triſte hoc quoque tempore ſui deſiderium reliquit Guilielmus Fulco, S. Theologiæ Doctor, ortu Londinenſis, Aulæ Penbrochianæ Cantabrigiæ Præfectus, qui, ſiquis alius ex noſtra gente, encyclopædiam abſolvit. In ſacris autem ſtudiis præcelluit, totque libros Latine & Anglice ſcripſit, ut vel percenſere longum eſſet.

In Hibernia anno ſuperiore Hugo *Gaveloc*, ita dictus quia in compedibus diu detentus, filius naturalis Shani *O-Neal*, Hugonem Comitem Tir-Oeniæ accuſaverat occultos ſermones conſeruiſſe cum Hiſpanis quibuſdam naufragio [3] anno M.D.LXXXVIII. in Hiberniam ejectis. Comes accuſationem prævertens illum ex inſidiis inter- Tir-Oenius Gavelocum ſtrangulat.

1. *Tò & omittunt Edd. priores.* 2. *Deeſt hæc Sectio in Edd. priorib. Nos autem exſcripſimus è Codice, ſupra laudato (pag. 584.) viri undecunque doctiſſimi Joannis Anſtis, Armigeri.* 3. *Deeſt* anno *in Edd. Belg.*

ceptum

1590. ceptum ſtrangulari juſſit; quumque ex quadam obſervantia erga familiam O-Neali immanes prædones vim afferre recuſarent, ipſe reſti ad gulam frangendam manum admoviſſe perhibetur. Hinc in Angliam jam vocatus, crimen ſupplex apud Reginam deprecatus, veniam impetravit, coramque ipſa ad Regiam G[illegible]wici *honorem*, ut nobiles ſolent, *poteſtatus* ſanctiſſimo in ſe recepit, pacem cum Turlogho *Leinigh* viciniſque ſingulis obſervaturum, datis eo nomine obſidibus: nec *O-Neali* titulum, nec auctoritatem in nobiles vicinos aſſumpturum; regionem Tir-Oeniam in formam Comitatus redacturum; à populo ſubdito penſitationes Hibernicas (*Bonaghty* vocant) non exacturum; neminem niſi ex lege morte jam inde mulctaturum; annonam præſidiariis Anglis ad Aquam *Nigram* ſive flu. *More* non intercluſurum; Monachos, Fratres, Moniales, & rebelles in territorium non admiſſurum; incolas Tir-Oeniæ ad humaniorem cultum, quantum poſſet, adducturum; & id genus alia; ea tamen conditione interpoſita, ut Turloghus *Leinigh* & finitimi Dynaſtæ itidem fidem ad pacem cum ipſo colendam obſtringerent, ne ipſe quietus turbulentorum injuriis exponeretur. In Hiberniam remiſſus, hæc eadem ſe facturum coram Guil. *Fitz-Williams* Prorege & Regni Conſiliariis aſſeveranter confirmavit, & ſane aliquandiu nihil omiſit, quod ab obſequentiſſimo ſubdito exſpectari poterat, pleraque virtutis adumbrata ſigna præ ſe [1] ferens. Corpus laborum, vigiliæ, & inediæ patiens, induſtria magna, animus ingens maximiſque par negotiis, militiæ multa ſcientia, ad ſimulandum animi altitudo profunda, adeo ut nonnulli eum vel maximo Hiberniæ bono, vel malo natum tunc prædixerint. Paullo ante Prorex Hugonem *Roe-Mac-Mahon* Dynaſtam in territoria *Monaghan*, quem

1. Tulit *pro* ferens *in Ed. Lond.*

ipſe

ipſe cæteris ex familia de principatu decertantibus prætulerat, domo comprehenſum, gregariorum militum, viliumque hominum judicio (ut queruntur Hibernici) ſubjecit, eo quod explicatis ſignis debita vectigalia à ſuis pro barbaro regionis more exegiſſet, damnatumque ſuſpendio affecit; ampliſſimis prædiis inter Anglos, & quoſdam è Mac-Mahonis diviſis, certo annuo reditu conſtituto, ut Anglico jure tenerent: eo conſilio ut familiam clientelis validam labefactaret & tyrannidem *Macmahoni* una cum titulo deleret. Hoc enim titulo inſoleſcunt qui ex illa familia quo jure qua injuria ſibi dominatum arripiunt. Hinc Brienus *O-Rorcus* Dynaſta in vicina *Brennia* veritus ne idem ſibi accideret, arma in Reginam ſumpſit, ſed à Richardo Binghamo Conachtiæ Præfecto exagitatus & profligatus (Prorege indignante hanc gloriam ſibi præreptam) in Scotiam profugit, quem Rex Reginæ requirenti in manus libentiſſime tradidit, proteſtatus ſe ſingulos Reginæ hoſtes in hoſtium ſuorum loco habere. Quod re præſtitit. nam & nobiles Pontificios in Scotia, Comitem Weſtmorlandum & alios ſeditioſos Anglos [1] in Belgio qui eum contra Reginam accendere conati, ſurda aura neglexit, & Jacobum Donaldumque *Mac-Conellos* cautionibus aſtrinxit, ne quid negotii ex Hebridibus & Scotia Anglis in Hibernia faceſſerent.

1591.

O-Rorcus rebellat.

In Scotiam fugatus & in Angliam traditus.

M. D. XCI.

INTER hæc, nulla cogitatio Reginæ animum magis exercuit quam de [2] Britannia Armorica, & quo modo ſuccumbenti Gallo ſubveniret. Anno itaque ineunte per Edm. Yorcum de trimeſtri ſilentio blande cum illo expoſtulavit, monuit quanti interſit Britanniæ tempeſtive

Reginæ in Gallum ſtudium.

1. In Belgio eum contra Reginam accendentes ſurda *in Edd. primis.* 2. Britanniæ Armorica *Edd. priores.*

1591. proſpicere, exhortata quovis modo Parmenſem jam iterum Galliam cogitantem impedire, ne Hiſpanis in Britannia vires conjungeret: ad quos expellendos auxilia terra marique promiſit, ſi portum locumque receptui aſſignaret, & juſtas copias adjungeret. Ille laudato Reginæ ſtudio, ſingularibus verbis gratias egit; multa pollicitus, tria millia militum in bellum Britannicum & aliquot cohortes in Picardiam mox tranſmittendos poſtulavit.

Cui auxilia

Cherburgum, Granvilum, aut Breſtum portus in receptum nominavit, ſed inprimis Blawetum ab Hiſpanis occupatum ut commodiſſimum (neſcio an jocans:) poteſtatemque Beavorio Noclæo ordinario in Anglia Legato paciſcendi delegavit, qui cum Burghleio Theſaurario, Carolo Houardo Admirallo, & Hunſdonio Camerario à Regina delegatis paciſcitur ut III M. Anglorum in Picardiam & Britanniam cum apparatu bellico tranſmitterentur; Rex ſtipiendia, tranſvectionis expenſas, & bellici apparatus pretium Reginæ intra annum in urbe Londino refunderet, vel citius ſi hoſtis ſubmoveretur.

Illa ſub conditionibus concedit.

Libentius hoc pactum iniit Regina, edocta Hiſpanos in Lutetiam Galliæ Acropolim admiſſos, civeſque Regem ſuum legitimum non alio quam Bearnenſis titulo dignantes Hiſpanum ſuum Dominum & Regem agnoſcere; eum inde ſpem Galliam in poteſtatem redigendi concepiſſe; nec hoc coram Janino pro Conjuratis in Hiſpania Legato diſſimulaſſe: Gregorium etiam [1] XIIII. Pontificem eo nomine copias in Italia & Helvetia ſub Duce Montmartino contra Gallum conſcripſiſſe, illumque diris Excommunicationis Bulla devoviſſe; quam tamen Parlamentum Pariſienſe (quod jam Turonibus egit) damnavit, carnificiſque manu patibulo affixam, igne abſumi juſſit.

Edictum contra Conjuratos Gallos.

Hinc edicitur ne quis ex Anglia rem frumentariam aut bellicum apparatum in Galliæ portus à conjuratis

1. XIII. *Edd. priores.*

occu-

occupatos ſubveheret, aut commercia cum illis exercereret, Majeſtatis læſæ pœna propoſita; quod idem & Rex Scotorum jam antea fecerat. Henricus Palmerus cum aliquot armatis navibus emiſſus tredecim illorum naves in reditu è Nova Francia intercipit. Rogerus etiam Williams cum DC. militibus ad Diepam, cui hoſtis imminebat, mox trajicit cum expreſſo mandato ut in illis partibus hæreret; & Joannes Norriſius cum reliquis poſt aliquot dies in Britanniam ſolvit, quibus ſub eo præfuerunt Henricus ejus frater & Antonius Shirleius. Hi poſtquam cum Regiis Lamballam à conjuratis defenſam fruſtra tentaſſent, (ubi Fr. La-Noæus bellator ille percelebris vulnere periit,) Caſtilionem ceperunt, & conjuratos Hiſpanoſque potius cohibuerunt, quam ſubmoverunt. 1591. Norriſius in Brit. miſſus. La-Noæus periit.

Rogerus *Williams*, cum ſuis & Chatræo Diepæ Præfecto militari ſepimento ex vaſis vinariis terra ingeſtis ad *Cinqueſſaunce* perrupto, Conjuratos qui ſub Tremblecourto & Loundo vias infeſtarunt, profligavit, magna fortitudinis laude à Rege in litteris ad Reginam celebratus. Unde ille animoſior, mandati immemor Regem ad ſuburbia Lutetiæ comitatus, Hiſpanos litterula provocavit, ut ducentos haſtatos & centum ſclopetarios cum totidem Anglis aperto Marte committerent. Vix Diepam redierat, ſtatim Rege accerſente, agmina contra quam in mandatis habuit, Novoidunum rapuit. ubi alieni cruoris prodigus multos Anglos periculis in oppugnatione objecit, Regina inconſulta ideoque indignante. Williams ſtrenue ſe gerit.

Iiſdem diebus Gallus per Antonium Reauxium ſignificavit, ſibi deliberatum eſſe, Rothomagum & Portum Gratiæ in ſuam ditionem redigere priuſquam Parmenſis ſigna in Galliam moveret, eoque nomine Reginam rogavit ut IIII M. Anglorum in Normanniam tranſmitteret, Newhaven. Gallus majora auxilia petit.

1591. ret, & ſtipendia ad duos menſes numeraret, ſi diutius manerent, ſe numeraturum, atque cum ſuis ſtatim ac appellerent, adfuturum ſancte promiſit; interim in Picardia manſurum ne Rothomagenſibus conſilium ſuboleret. Illa, cui nihil prius quam hoſtes ab ora maritima longius ſubmovere, lubens annuit. Hinc pactum iiſdem legibus initum, cum clauſula ut ſupremi Parlamenti auctoritate confirmaretur, aut, ut Galli loquuntur, *emulgeretur*. Intra pauculos dies numeri illi conſcripti Diepam appellunt ſub auſpiciis Rob. Comitis Eſſexiæ, juvenis nobiliſſ. & validiſſima apud Reginam gratia. Plurimi ex clariſſimis familiis concomitantur, Thomas Leightonus & Henr. Killegreus viri multiplici rerum uſu in conſiliis adeſſe jubentur. Ille in Gallia appulſus Regem longe abeſſe ad Novoidunum comperit, apparatum in Normannia contra hoſtes vidit nullum, nec quid cum ſuis ageret à quopiam intelligere poterat; adeo ut ſe & ſuos parum pro dignitate tractari ſuccenſeret, & Regem promiſſa oblivìſci demiraretur. Poſt [1] dies xv. Rog. *Williams* advolat, Regis nomine rogat Novoidunum ocius accederet ut de belli ratione conſilia conferrent. Quo quum infeſto & perdifficili itinere perveniſſet, Rex declaravit ſibi in Campaniam neceſſario proficiſcendum ut copias Germanico exercitui conjungeret. Pollicetur Bironium Mareſcallum, & Ducem Montpenſierum ad Rothomagum obſidendam quamprimum mittere. Comes ad ſuos qui *Arquis* caſtra habuerunt, difficulter rediit, utque viros militares demereretur, & animum augeret, plures Equeſtri dignitate ornavit, nec ſine multorum qui ea dignitate domi floruerunt, offenſa; quaſi titulum ſplendidæ hactenus apud Anglos exiſtimationis, quemque Regina parce nec niſi ſpectatiſſimis tribuerat, proſtituerat. Bironius & Montpenſirius minime comparent.

Quibus Eſſexius præficitur.

Ille Regem adit.

Equeſtri dignitate plures ornat.

1. *Deſunt* dies xv. *in Edd. priorib.*

Hic

Hic in Campaniam profectus ut nuptiis Vicecomitis 1591.
Turenii cum Bullionæa intereſſet, ille divertens *Petræ-pontem* Caſtellulum fruſtra aliquandiu obſedit. Hinc Gallus Reauxium in Angliam remittit, ut doceret cauſſas quo minus Rothomagum obſideret. Hujus enim obſidionem & Parlamentariam Pacti *Emulgationem* Regina per Henricum Untonum Legatum ordinarium ſummopere urgebat; qui nec hanc nec illam impetrare poterat, & ægre quidem nudam Pacti confirmationem tandem [1] conſecuta eſt. Eſſexius interim deſes in caſtris agit non ſine ſummo animi angore, qui rerum gerendarum ardore totus flagrabat. Rothomagum ſemel propius accedens, Gualterum fratrem germanum glande trajectum deſideravit. Regina litteris increpuit quod ipſa inconſulta, & Regem adiiſſet, & inconſiderate Rothomagum propius acceſſiſſet. Verum ille blandulus facile pacavit, & interim Gornacum cum ſuis profectus Bironio in expugnando inſignem operam navavit.

Deluditur à Gallis.

Fratrem amittit.

Gallus interim litteris per Beavorium apud Reginam agit, ut Eſſexius cum Anglis è Normannia in Campaniam moveret quaſi de Rothomago obſidenda ne quidem cogitaret. Quod illa adeo inique tulit, ut cum eo expoſtularet Rothomagum nondum obſideri, jam duos menſes poſt contractum exactos eſſe, ſtipendia tamen non numerata, ſe & ſuos tam diu fuiſſe eluſos, qui primum neglecti, poſtea hinc inde raptati, ubique diſcriminibus objectati; promiſſa non ſine aliqua ingratæ levitatis nota minime fuiſſe ſervata, omneſque impenſas omnino periiſſe. Statuiſſe itaque ſuos è Normannia revocare, niſi promiſſa præſtaret, & rationem de ſtipendiis jam inde ſolvendis iniret. Ille excuſatione neceſſitatis ex tumultuoſa undique negotiorum turba blandis litteris lenivit. Ineunte Novembri quum Parmenſis jam

In Campaniam vocatur.

Promiſſa à Gallo non ſervantur.

1. Conſecutus *in Edd. priorib.*

in

1591. in procinctu ſtaret, Rothomagum obſidione lente incingere cœpit. Eſſexium in Angliam miſit ad majora ſubſidia contrahenda; eo poſt paucos dies reverſo in vigilia Natalis Chriſti vallum munimenti ad S. Catharinæ quatuor ſemel locis aggreſſus in tribus Anglos cædi expoſuit. Eodemque tempore per Mornæum Pleſſæum novum ſupplementum Anglorum protinus tranſmitti ut Parmenſi adventuro reſiſteretur efflagitavit, nec Regina quidem negavit, ſed procraſtinantem Regis incuriam in Rothomago obſidenda & Parmenſe prævertendo leviter perſtrinxit. Optavit ut mitius cum Anglis ageretur, nec illi ſoli extremis quibuſque periculis objectarentur. Sed hæc & hujuſmodi Gallorum Hiſtoricis relinquo, qui hactenus vel neſcierunt vel diſſimularunt. Et noſtris rerum Eccleſiaſticarum ſcriptoribus lubentius relinquerem fanaticam Guilielmi Hacketti veſaniam, imo blaſphemam impietatem hoc tempore prorumpentem, quam vel meminiſſe piget. Sed ne reticendo hominis ſceleri faviſſe & veritati illuſiſſe videar, paucis habe donec illi plenius perſcripſerint.

Hacketti blaſphema veſania. Hackettus iſte vir erat plebeius ex Oundalia in Comitatu Northamptonienſi, illiteratus, inſolens, ferox, ad vindictam adeo efferus, ut ingenuo Ludimagiſtro dum redintegrati amoris ſpecie amplecteretur, naſum mordicus abſciderit, & coram miſero deformi ſupplicante ut redderet, quo vulnere adhuc recente aſſueretur, canine (ut ferunt) devoraverit: adeoque ab omni pietate averſus, ut cœleſtem doctrinam in Concionibus auditam combibonibus per cauponas deridendam propinaret. Poſtea quum rem, cum uxore vidua acceptam, luxu prodegiſſet, admirandæ ſanctitatis perſonam derepente [1] induit:

1. Induit: totus erat in concionibus audiendis, ſcripturis ediſcendis; & revelationes (*omiſſis*, ante omnia vero *&c.* obſidebat dictata. Etiam) *Edd. priores.*

totus

totus erat in concionibus audiendis, ſcripturis ediſcendis; ante omnia vero miro & peregrino quodam fervore preces fundebat, in faciem concidens, & veluti exſtaſi correptus, & cum Deo quaſi expoſtulans. Attamen unum ex ejus aſſeclis ceteris forte perſpicaciorem abalienavit formula quadam orationis quæ illi erat familiaris. Nam quum omnes ſoleant Dei præſentiam in invocando implorâre, ille ſolus Deum rogare conſueverat, ut à cœtu precantium abeſſe & ſe ſubtrahere vellet: quod licet Auditores ad exceſſum quendam humilitatis trahebant, tamen potuit quoque eſſe vox plane Satanica à Dæmone malo qui eum obſidebat dictata. Etiam & revelationes neſcio quas ſibi cœlitus factas, vocationemque extraordinariam ementiendo, inſinuavit ſe quibuſdam Theologis [1] qui ad *Presbyterialem Diſciplinam Eccleſiæ Genevenſis* in Angliam inducendam zelo inflammato anhelabant; inter quos erat Wiggintonus Miniſtellus, ſi quis alius, cerebroſus, & magiſtratuum contemptor. Per hunc familiaris factus eſt Edmundo Copingero ex clara familia, qui etiam, ſe extraordinarie à Deo ad Eccleſiæ bonum vocatum, & rationem ſibi cœlitus patefactam perducendi Reginam & Conſiliarios ad mentem meliorem, ſcilicet ad diſciplinam Genevenſem admittendam, primum ſibi & deinde Arthingtono *Diſciplinæ* illius ſummo admiratori perſuaſerat, jam ipſe à Miniſtris nonnullis edoctus Deum extraordinarios operarios in Eccleſia indies excitare. Et hoc quaſi ſpiritu exſultans Hacketto lætanter impertiebat. qui ſimulata ſanctimonia, inceſſanter & ferventiſſime extempore precando, die Dominico jejunando, ſæpius gloriando ſtigmata ſibi à Satana fuiſſe inflicta, & ementiendo revelationes, & crebra cum Deo colloquia, quæ vehementiſſimis & diris

1591.

Ejus viſiones.

Socii.

1. Qui Presbyterialem Diſc. Eccl. Genevenſis in Angliam inducere zelo *in Edd. priorib.*

devo-

1591. devotionibus per animæ ſalutem & damnationem veriſſima eſſe dejerabat; apud hos eam fidem invenit, ut illum Deo dilectiſſimum, Moſe, Sanctoque Joanne majorem crederent atque aſſeverarent. Nec ille obſcure præ ſe tulit ſe eſſe divinæ vindictæ Prophetam, ubicunque miſericordia rejicitur, vaticinatus nullos jam inde Papas futuros, & hoc anno Angliam fame, peſte & bello graviſſime affligendam niſi *Diſciplina Domini* (ita enim loquebatur) & *Reformatio* admitterentur. Ad hanc igitur inducendam conſpirarunt (quod ex ipſorum litteris deprehenſum) Archiepiſcopum Cantuarienſem & Cancellarium, qui novatoribus ſe oppoſuerant, [1] litteris ad Reginam proditionis inſimulare, eoſdem & alios quoſdam, ſi contra miniſtros novatores ſententiam in *Camera Stellata* ferrent, è medio tollere, Rythmis [2] quibuſdam impreſſis multitudinem ad ſeditionem concitare, in quibus inter alia affirmatur, licere Chriſtiano vero, etſi ruricolæ, Reges ad ſceptrum tractandum informare, & ipſam Reginam, niſi *Reformationem* promoveret, ſolio deturbare. Hackettum immani in Reginam odio flagraſſe vel hinc conſtat. illam enim jure regni excidiſſe ſæpius effutierat, & in Inſignia imaginemque in tabula depictam pugione in pectus adacto furenter ſævierat. Nec mirum. jam enim ſibi perſuaſerat [3] homo ex viliſſima Anabaptiſtarum fæce renatus, ſe à Deo Europæ Regem conſtitutum eſſe, nec poſſe Regni conſortem ferre; perſuaſitque Copingero & Arthingtono ipſos non ſolum Prophetico ſed etiam Angelico ſpiritu afflatos eſſe. Qui jam ſpiritu pleni ut ſibi videbantur, omnem obedientiam illi ut Regi divinitus conſtituto præſtiterunt, ſeditionem concitare enixi. Menſe igitur Julio virum nobilem acceſſerunt, cui ſummum ſub Regina imperium

In Conſiliarios conjuratio.

In Reginam odium.

Prophetas emittit.

1. *Deſunt* litteris ad Reginam *in Edd. priorib.* 2. *Deeſt* quibuſdam *in Edd. priorib.* 3. *Deſunt* homo *&c.* fæce renatus, *in Edd. priorib.*

detule-

detulerunt, & Hacketti vitam una cum Arthingtoni 1591.
Prophetia deſcriptam dedicarunt, ſed ille aliud agens homines rejecit: Mox Wiggintono ſignificarunt, Chriſtum ipſis ſuperiori nocte apparuiſſe, non corpore quo cœlis inſidet, ſed ſpiritu principali, quo plenius in Hacketto quam in quovis alio inhabitat; & Hackettum eundem ipſum eſſe Angelum qui ante diem noviſſimum venturus cum ventilabro & pedo ad ſecernendos hædos ab ovibus; conculcaturum Satanam, & Antichriſti regnum funditus ſubverſurum. A Wiggintono ad Hackettum ſe contulerunt, juxta quem in lecto deſidem humi proſtrati in preces ardentiſſimas effuſi; Hackettus ſurgens ſe adjunxit, pluribus fervide comprecans ut Spiritus illos ad Dei gloriam dirigeret, & inde lectum repetiit.

Mox Arthingtonus monuit Copingerum ut Regem in nomine Domini Jeſu Chriſti Spiritu Sancto inungeret: Ille pavimentum ter demiſſiſſime oſculatus, & flexo ſumma cum reverentia genu, ad Hackettum acceſſit, qui, manu repellens, inquit, Non opus eſt ut me inungatis. Spiritus enim Sanctus jam me inunxit. Vos mandata mea faceſſite. Ite, & per urbem annunciate Jeſum Chriſtum veniſſe cum ventilabro in manu ad mundum judicandum. Si qui rogent, ubinam ſit, hunc locum indicate; ſi credere nolint, veniant, & me, ſi poſſint, [1] occidant: (quum ſatis gnarus eſſet nequiſſimus impoſtor id neminem propter legis metum auſurum.) Quemadmodum enim, inquit, certo certius eſt, Deum in cœlis eſſe, ita non minus verum eſt, Chriſtum jam veniſſe ad judicandum. Vix dixerat, illi actutum ſe proripuerunt, vociferantes per plateas, Chriſtum adveniſſe, & cetera quæ mandavit, ſæpiuſque clara voce ingeminantes, *Pœniten-* *Qui eum annunciant.*

1. Occidant. *Ut certo certius eſt, &c. tantummodo in Edd. priorib.*

1591. *tiam agite*; donec ad * primarium urbis forum [1] perveniſſent.

* Cheyſide.

Ubi præ confluentium undique turba currum conſcenderunt, & partim memoriter, partim è ſcripto proclamarunt, Hackettum glorificato corpore cum Chriſto participare per ſpiritum ejus principalem, & jam adeſſe cum ventilabro ad propagandum Evangelium per Europam, atque *Diſciplinam* & Rempublicam in Anglia conſtituendam: (ſimulque locum indicarunt ubi diverſabatur:) Se vero eſſe duos Prophetas, alterum Miſericordiæ, alterum Judicii, datos illi in tanto opere coadjutores. Hæc per animarum ſalutem veriſſima eſſe aſſeverarunt. Addiderunt etiam, Hackettum eſſe ſummum ſupremumque Monarcham, omnes Europæ Reges quaſi ejus beneficiarios regna de illo tenere, itaque illi uni obtemperandum, & Reginam abdicandam. Poſtremo Archiepiſcopum & Cancellarium quaſi ſinceræ Religionis oppugnatores diris devoverunt. Quum in alias urbis partes ad hæc annuncianda per confertiſſimam multitudinem progredi non poſſent, ab amicis moniti ut ſe ſubducerent, ad Hacketti diverſorium redierunt.

Capiuntur.

Mox apprehenſi, Regios Conſiliarios & Magiſtratus, qui examinarunt, adeo contemptim habuerunt, ut nec caput aperirent, & procaciſſime reſponderent, ſe omnibus magiſtratibus ſuperiores eſſe dictitantes. Hackettus [2] poſtea læſæ Majeſtatis accuſatus, ſe reum agnovit, & blaſpheme reſpondendo auditores horrore perfudit. Forteаn veteratorie ut Judices in opinionem induceret ipſum inſanire, quum tamen reliquo geſtu, & compoſita quadam gravitate nihil inſani præ ſe ferret. Damnatus ad primarium urbis forum crati impoſitus trahitur [3] horrendo ſono inceſſanter reboans, *Jehova Meſſias*, *Jehova Meſ-*

* Ille damnatur.

1. *Exadverſum huic voci in marg. Codicis Smithiani* 16. Julii *ſcribitur.*
2. 26. Julii *in marg. Cod. Smithiani.* 3. 28. Julii *in marg. Cod. Smith.*

ſias,

ſias, Ecce cœlum apertum, ecce filium altiſſimi deſcendentem ut me liberet. Ad patibulum, monitus ut peccatum in Deum & Reginam agnoſceret, contumelioſiſſime Reginam inſectatus exſecrandus homuncio ſtentorea voce exclamavit: *Deus Cœleſtis Omnipotens, Jehova, Alpha & Omega, Domine Dominantium, Rex Regum, Deus æterne, tu noſti me verum eſſe Jehovam quem miſiſti. Aliquod miraculum è nube ad convertendos hos infideles exhibe, & me ab inimicis eripe. Sin minus,* (horreſco referens) *cœlos inflammabo, & te tuo throno his manibus deturbabo.* aliaque magis infanda. Converſus ad carnificem laqueum admoventem, *Tune ſpurie,* inquit, *Hackettum Regem tuum ſuſpendes?* Laqueo innodatus oculis in cœlum ſublatis, *Hoccine,* inquit frendens, *pro regno collato rependis? venio ulturus.* 1591.

Suſpenditur blaſphemus.

Hæc blaſphemo ore evomenti gula laqueo frangitur, multitudine exclamante, ut impiiſſimus protinus demitteretur. quod ex judicii ſententia factum, exenteratuſque membratim diſſecatur. Ita hoſtis humani generis dementat, quos ſanctitatem ſimulare, & ad ſobrietatem nolle ſapere deprehendit. Copingerus paullo poſt [1] voluntaria inedia in carcere ſe confecit: Arthingtonus ad reſipiſcentiam reſervatus edito libello ſerio pœnituit.

Nec hi ſoli, ſed etiam alii, qui receptam in Eccleſia Anglicana diſciplinam, Epiſcoporum vocationem damnando, & Præſules contumelioſe calumniando hactenus fruſtra impugnarant; nunc pertractis in eorum partes nonnullis Juris Anglici peritis, in eorum Jurisdictionem & delegatam à Regina in Eccleſiaſticis cauſſis auctoritatem ut prorſus injuſtam & linguas & calamos ſtrinxerunt, declamando ubique etiam libris publicatis, homines contra Regni leges in foris Eccleſiaſticis indigne opprimi, Reginam ejuſmodi auctoritatem ex jure non

Juriſdictio Eccleſiaſtica impetita.

1. 29. Jul. *in marg. Cod. Smith.*

1591. poſſe delegare, nec alios exercere delegatam. Fora illa non poſſe à reo *Jusjurandum ex officio* exigere, quum nemo ſeipſum accuſare teneatur. Jusjurandum illud homines ad ſui condemnationem cum ignominioſa confuſione, vel in ſpontaneum perjurium cum animarum exitio præcipitare. Præterea de aliis quam matrimonialibus & Teſtamentariis cauſſis non debere cognoſcere ex hujuſmodi veteri Reſcripto: *Mandamus Vicecomiti Comitatuum noſtrorum S. N. &c. quod non permittant quod aliqui in Balliva ſua in aliquibus locis conveniant ad aliquas* Recognitiones *per ſacramenta ſua faciendas niſi in cauſſis matrimonialibus & teſtamentariis.*

Defenſa. Contra juris Eccleſiaſtici profeſſores regiam in Eccleſiaſticis auctoritatem propugnarunt, utique Parlamentaria auctoritate in Regina inveſtitam. Hanc oppugnare nihil aliud eſſe quam in Majeſtatem irruere & ſacroſanctæ Prærogativæ violato obſequii juramento inſultare. Fora Eccleſiaſtica de aliis quam matrimonialibus & teſtamentariis poſſe cognoſcere, ex ſtatuto *Circumſpecte agatis* & *Articulis Cleri* ſub Edw. Primo docuerunt. Reſcriptum, ſive legem illam prolatam ſuſpectam eſſe, quia temporis eſt incerti & variæ lectionis. Alibi enim legi, ad *Recognitiones vel ſacramenta præſtanda. Recognitionem* item *facere* non ſignificare teſtimonium perhibere, vel reſpondere in jure, ſed debitum agnoſcere & fateri, vel *placita de* [1] *catallis vel debitis tenere. Juramentum ex officio* in foris illis ut in aliis ex omni memoria fuiſſe exactum ad Simoniam, adulterium, & alia tenebrarum opera rimanda, præſertim quum *Inſinuatio*, ut loquuntur, *fuerit clamoſa. Et quamvis nemo teneatur ſeipſum prodere, tamen per famam proditum, teneri oſtendere, utrum poſſit ſuam innocentiam defendere, & ſeipſum purgare*; *quandoquidem pœnitentia im-*

1. Catalogis *pro* catallis *in Edd. priorib.*

poſita

poſita non ſit pœna, ſed medicina ad peccatores curandos, aliós à peccato deterrendos, & ſcandalum tollendum. Juxta illud in ſacris litteris: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam, & gratiam.* Sed quid de his immoror, quum diſſertationes Richardi Coſini L. Doctoris, & Joannis Morriſii, & Lanceloti Andrews eruditæ hac de re utrinque proſtent? Regina haud ignara ſuam auctoritatem per Epiſcoporum latera in hoc negotio peti, adverſantium impetus tacite infregit, & Eccleſiaſticam juriſdictionem illæſam conſervavit. 1591.

Hoc tempore Tho. Howardus, Ducis Norfolciæ filius ſecundogenitus, cum ſex navibus Regiis totidemque annotinis claſſem Hiſpanicam ex America reverſuram totos ſex menſes exſpectaverat. Dum ad Flores inter inſulas *Azoras* ſubſtitit, nautis maximam partem languentibus, (milites enim nulli) Alphonſus Baſſanus cum LIII. navibus ad conducendam claſſem Americanam emiſſus adeo ex improviſo ſupervenit, ut Howardus in Prætoria, & ceteri ægre in apertum mare eluctarentur. Richardus Grenvillus in Proprætoria cui *Ultio* nomen, dum ſuos ex inſula revocat, & ex quadam animi magnitudine vela pandi inconſiderate vetat, interſeptus erat inter inſulam & claſſem Hiſpanicam in quatuor acies diſpoſitam, quarum alteram dum animoſe perrumpere cogitat, Prætoria Hiſpanica cui nomen S. Philippus, ita ſua mole hinc incubuit ut venti beneficium omnino excluderet, inde aliæ tres ex aliis partibus; Hiſpanique ſæpius inſilientes aut in ſuas rejecti, aut in undas dejecti; continuaque viciſſitudine alii recentes illorum loca ſubeuntes tota nocte multa ſuorum clade oppugnarunt. Jam pulvis tormentarius Anglis defecit, haſtæ confractæ, fortiſſimus quiſque occiſus vel vulneratus, mali & acroteria disjecta, rudentes abſciſſi, navis octingentis majorum

Ultio navis bellica capta.

1591. rum tormentorum effulminatis globis diverberata. Grenvillus ipſe ſauciatus. dum emplaſtrum adhibetur, denuo capite vulneratur, & Chirurgus ſimul cæſus. Die illuceſcente tabulata cruentata, cadaveribus & ſemimortuis conſtrata, triſte ſpectaculum ſuperſtitibus præbuerunt. Poſtquam xv. horas jam depugnatum, Grenvillus, omni ſpe ſalutis deploratiſſima, juſſit ut navis ſubmergeretur; Nauclerus vetuit, & plurium conſenſu ſcapha ad Prætoriam Hiſpanorum ſubductus deditionem fecit, ſalutem & libertatem à triremibus pactus. Grenvillus languens, & animam jam exhalaturus in Prætoriam Hiſpanicam delatus, intra biduum magna fortitudinis etiam apud hoſtes laude exſpiravit. Navis dedita, ſed alvo pluribus locis perforata, paullo poſt cum cc. Hiſpanis impoſitis aliiſque ſimul navigiis orta tempeſtate fluctibus abſorpta. Ut non inulta *Ultio* hæc periiſſe videatur, & de una hac [1] nave victoria multo ſanguine Hiſpanis ſtetiſſe. Howardus magis animo quam viribus fretus, in medios hoſtes proruere geſtiit; ſed tantum abfuit ut Nauclerus aſſentiret, ut ſe potius in mare præcipitaturus eſſet, quam navem Regiam certiſſimo periculo objiceret. Nec ceteris viſum prœlium ſuſcipere cum certiſſimo periculo & ſine ſpe ulla ſocios ex tanto diſcrimine liberandi. Et quinque naves quinquaginta tribus objicere, nihil aliud fuiſſe quam inconſiderate cum ſuorum exitio Angliæ vires imminuere & hoſtium gloriam adaugere. Ille tamen & ceteri (inprimis Thomas Vavaſoras qui ad duas horas *Ultioni* adfuit) ſtrenue depugnans dum ventus permiſit, nihil quod poterant, omiſerunt, donec nox dirimeret.

Demerſa.

Naves Hiſpanicæ captæ.

Detrimentum ex hac unica nave acceptum cumulate reſarcierunt Angli pluribus Hiſpanicis navibus interceptis. Quarum in una præter opes, inventæ ſunt duæ plus

1. Nova *pro* nave *in Edd. priorib.*

minus

minus myriades Indulgentiarum Papalium in Americam 1591.
deſtinatæ. Indi enim ejuſmodi remiſſiones peccatorum ſingulis annis nundinatione Pontifici Rom. & Hiſpano quæſtuoſa emere coguntur. Cum tribus etiam navibus Georgius Rimanus claſſiarius perquam ſtrenuus & Jacobus Lancaſterus ad Indiam Orientalem navigationem inſtituerunt, Bonæ Spei Promontorium feliciter ſuperarunt, ad *Cabo Corriente* tempeſtas Prætoriam abripuit, quæ cum Rimano abſorpta. Mox horrendo tonitru cœlum remugiit & in ceteris navibus quatuor è nautis collis vi fulminis obtortis perierunt, & ſupra xc. luminibus capti, alii mutilati, alii quaſi equuleo extenti, qui tamen ſinguli præter exſpectationem convaluerunt, & imperterriti curſum ſunt perſecuti. Ad *Comoro* inſulam dum aquarent, triginta cum Navarcho à barbaris occiſi. Ad *Zanziber* hibernarunt.

In Indiam Orientalem navigatio.

Georgius Rimanus periit.

Vere appetente naves nonnullas Mahumetanorum de *Pego* cum ligneis anchoris, & alias Luſitanorum, pipere & orizo onuſtas interceperunt. Deinde quum ad *Zeilam* & poſtea ad *Nicubar* inſulam cinamomo & adamantibus copioſam perveniſſent, nec jam plures quam triginta tres ſuperſtites, cibariaque deeſſent, domum verſus vela verterunt. Ad S. Helenæ inſulam aliquantiſper refocillati per Oceanum [1] Occidentalem ad *Trinidadam* jactati nihil ſolatii repererunt. Tandem in Carolum Barbotierum Gallum inciderunt, qui ſublevavit, quocum non qua debuerunt fide, ſed qua miſeri navitæ ſolent, agere cœperunt, verum inſidias eluſit. Dum Lancaſterus poſtea in *Mona* inſula cum nonnullis ſe recrearet, navis tempeſtate abrepta cum ſeptem afflictiſſimis domum ſatis opulenta rediit: & illi [2] in Mona ibidem derelicti non minus afflicti, Gallorum humanitate domum

Jacobus Lancaſterus magna pericula evadit.

1. *Deeſt* Occidentalem *in Edd. priorib.* 2. *Deſunt* in Mona *in Edd. priorib.*

reducti,

1591. reducti, primi Anglos docuerunt rationem in India Orientali negotiandi.

Cavendiſhi ad Fretum Magellanicum navigatio.

Interim Thomas Cavendiſhus, qui orbe terrarum circumnavigato cum gloria anno M.D.LXXVIII. redierat, hoc anno [1] novam cum quinque navibus inſtituit navigationem ad Fretum Magellanicum; quod quum tempeſtatibus adverſis ſuperare non poſſet, ad Braſiliæ littora rejectus ibi immature periit, criminatus ſupremo teſtamento Joannem Davidem, quaſi perfide deſeruerat.

Edictum ne quid in Hiſpaniam transmittatur.

Bello jam flagrante, publice prohibetur ſub pœna proditoribus propoſita, ne quis rem frumentariam, bellicam, vel nauticam in Hiſpani ditiones evehat. Cauſſa addita, quod ille ſe hoſtem Angliæ profeſſus, antiqua inter prædeceſſores fœdera confirmare jam antea abnuiſſet. Quum autem ſacerdotes Angli majore quam antea numero hac tempeſtate clanculum in Angliam è Seminariis Romæ, Galliæ & Hiſpaniæ (Hiſpanus enim nuper Seminarium ad Vallem Oletanam Anglis poſuerat) indies ſubreperent, qui ſubditos ab obſequio erga Reginam diſſuadere, & in Hiſpani partes pellicere ſategerunt: Menſe Octobri edicitur, ne quis quemcunque hoſpitio exciperet, niſi prius inquireretur, qui ſit, an ad preces in templo accedat, unde vivat, ubi anno ſuperiore egerit, & id genus alia; qui non prompte reſponderint, ad Delegatos per ſingulas Provincias tranſmittentur, ne quid detrimenti Reſpubl. caperet. Quod edictum ut atrox adverſaria ſcripta plena virulentiæ à Pontificiis contra Burghleium Theſaurarium tanquam auctorem elicuit, in quibus Chriſtophorum Hattonum quaſi in ſuas partes proniorem collaudant, qui in Religionis cauſſa non urendum, non ſecandum cenſuit. Verum obierat ille pridie quam hoc edictum publicatum, ex diabete & animi mœrore, quod Regina ingentem

Aliud contra Seminarios.

Hattoni Cancellarii mors XX. Septembris.

1. *Deeſt* novam *in Edd. priorib.*

pecu-

pecuniam [1] à Decimis & Primitiis quibus præfuit, collectam paullo acerbius [2] exegerat, quam pro ea qua apud ipſam floruit gratia condonandam ſperarat. Nec hominem verbo dejectum relevare poterat, quamvis inviſeret & conſolatione demulceret. Ille natus è familia magis antiqua quam opulenta in agro Northamptonienſi, juvenis & concinna corporis proceritate & oris dignitate, eam apud Reginam acquiſivit gratiam, ut in cohortem Quinquaginta nobilium Stipatorum, & poſtea ob modeſtam morum ſuavitatem in numerum Nobilium ſacratioris Cameræ adſciverit, Satellitibus præfecerit, Procamerarium inſtituerit, in ſanctius Conſilium admiſerit, demumque Angliæ Cancellarium conſtituerit, & Ordinis Georgiani honore ornaverit. Vir ingenio pio, ſumma in egenos miſeratione, eximia in bonarum litterarum ſtudioſos munificentia, (unde Oxonienſes in Academiæ Cancellarium elegerunt) & qui in graviſſimo illo Cancellarii Angliæ munere perfungendo, rectæ voluntatis conſcientia ſe ſuſtentare poterat. Juſta illi ad S. Pauli Londini honorifice ſoluta, & magnificum monumentum poſuit Guiliel. Newportus è ſorore nepos, quem in Hattonorum nomen adoptatum heredem ſcripſerat. Cuſtodia vero Magni Sigilli per aliquot menſes erat penes Theſaurarium, Hunſdonium, Cobhamum, & Buckhurſtium, poſteaque Joanni Puckeringo Regio ad Legem Servienti non cum Cancellarii ſed Cuſtodis Magni Sigilli titulo commiſſa.

1591.

Puckeringus Cuſtos Magni Sigilli.

Brienus *O-Rorcus*, Brenniæ in Hibernia Dynaſta, qui impenſe Hiſpanis ſtuduit, ſuperiore anno, ut diximus, à Scotorum Rege in Angliam miſſus, in Prætorio Weſtmonaſterienſi accuſatur quod Alexandrum Mac-Conellum & alios in Reginam excitaſſet & foviſſet, Reginæ

O-Rorcus in judicium vocatus.

1. Ex *pro* à *in Edd. prioribus.* 2. Exagerat *Ed. Lond.* Exaggerat *Elz. Sen. Sed Jun. ut nos.*

1591\. effigiem in tabula depictam ad equi caudam appenſam per ludibrium raptari & contumelioſe diſſecari juſſiſſet, Hiſpanos naufragos hoſpitio contra Proregis edictum excepiſſet, fidelium ſubditorum ædes per incendiarios in cineres redegiſſet, plures interemiſſet, & Hiberniam Scotorum Regi poſſidendam obtuliſſet. Ille per interpretem hæc edoctus (nam Anglice neſciebat) homo barbare inſolens duodecim virorum judicio ſe ſubmittere recuſavit, niſi comperendinaretur, advocatus aſſignaretur, accuſationes ex Hibernia miſſæ in manus traderentur, & ipſa Regina pro tribunali Judex ſederet. Quum primarius Angliæ Juſtitiarius per interpretem reſpondiſſet: Si duodecim virorum judicio *de facto* ſe non ſubmitteret, judicandum tamen eſſe ex lege ſecundum accuſationis capita; nihil aliud retulit, quam, *ſi ita viſum, ita fiat.* Sententia mortis in eum prolata, poſt aliquot dies ad Tiburnas furcas proditorum ſupplicium animo præfracto pertulit, irridens Meilerium *Creah* Archiepiſcopum Caſſilienſem, qui Hibernice conſolari cœperat, ut ambiguæ fidei & depravatæ vitæ hominem, quod ejurata Franciſcanorum regula votum violaſſet.

Academia Dubliniæ conſtituta. Dubliniæ, quæ urbs primaria Hiberniæ, hoc anno Regina laudabili inſtituto Collegium S. & Individuæ Trinitati boniſque litteris poſuit, (ubi olim erat *Omnium Sanctorum Monaſterium*;) Academiciſque privilegiis docendi, & Scholaſticos eruditionis titulos & honores (Gradus vocant) conferendi, dotavit, (quæ Pontifex Rom. circa annum M.CCC.XX. huic urbi conceſſerat) ut cum Religionis tum humanitatis cultum per inſulam propagaret, & incolæ magno impendio mittendi liberos ad loca longinqua levarentur. Quod ſane nunc & ſtudioſorum numero & felici eruditorum proventu florere incipit. Sub id tempus Hugo *O-Donellus*, quem J. Perottus Prorex in navem dolo illectum in caſtro Dublinienſi condide-

O-Donellus ex carcere evadit.

condiderat, ne quid vir turbido ingenio moveret, è carcere ad ſuos evaſit, litteriſque Proregi ſignificavit, patrem auctoritatem *O-Donelli*, id eſt, Dynaſtiam Tir-Conelliæ, in ipſum tranſtuliſſe, & jam inde in Hibernia tumultuari cœpit, ut in Scotia Bothwellius. De quo, etſi Scoticis me libenter non involvo, nonnulla ſunt dicenda; quandoquidem Anglicis ita ſint intertexta, ut ſequenti narrationi lux inde exoriatur, quæ alias neceſſario multa involvatur obſcuritate. 1591. Turbæ in Scotia.

Bothwellius, qui Sagas conſuluiſſe accuſatus, è carcere evaſerat implacabili odio in Metallanum Cancellarium (quem accuſationis architectum ſuſpicabatur) inflammatus, ut eum atque Regem in ſuam poteſtatem redigeret, ſub finem Decemb. in Regiam Edenburgi cum quibuſdam conſceleratis Scotis & Anglis limitaneis irrupit, Reginæ cubiculum malleo, Regis igne, & Cancellarii ædes ſimul aggreſſus eſt. Civibus autem accurrentibus repulſus fugit. Ex aſſeclis nonnulli ſuſpenſi, malleus in facinoris memoriam Reginæ cubiculi foribus affixus. Bothwellius Regiam adoritur.

M. D. XCII.

PRIMIS hujus anni diebus Rex edicto declaravit, Bothwellium fuiſſe auctorem hujus periculoſi & ignominioſi incepti: eum hominem eſſe ex vitiis ita conglutinatum, ut virtutibus omnino renunciarit atque Deo & auctoritati à Deo conſtitutæ ex inſolenti protervia inſultarit. Poſt reditum ex Italia ſe omnibus turbis intermiſcuiſſe etſi ſua nihil intereſſet, Davidem Humium nefarie trucidaſſe, quod tamen condonatum, atque ita ſcelera ſceleribus cumulantem, formidaſſe ne ex jure in eum ageretur, eoque magis, quod ariolus in Italia exitium à juſto Regis judicio imminere prædixerat. Formidinem hanc auctam fuiſſe, quum Guilielmum Stew- Proditor declaratur.

 artum

1592. artum ab *Uchiltre* Regis famulum furenter occidiſſet: inde ſe omnibus impiis, ſanguinariis, & ſui ſimilibus conſociaſſe, in utriuſque Regni perniciem cum Papa & Hiſpano conjuraſſe: poſtea in illorum partes abiiſſe qui ad Pontem Deæ longe ab Aula arma ex privatis in quoſdam aulicos odiis induerant. Illos Rege veniente protinus arma exuiſſe, iſtum prope Edenburgum Regis ſedem caſtra poſuiſſe, quoſdam intercepiſſe, nec prius quam Rex in procinctu, receſſiſſe; ſtatim ad Diabolicas artes converſum Necromanticos & Sagas de Rege tollendo (dum in Dania abeſſet) conſuluiſſe ex promeritæ pœnæ metu, ſpe impunitatis, & diadematis. Hinc in carcerem conjectum, quum jam ex quibuſdam conditionibus liberandus eſſet, conſcientia ſceleris lancinante, carcere erupiſſe, & contracta perditiſſimorum colluvie Regiam invaſiſſe non alio conſilio quam ut Rege ſublato & juſtitia conculcata licentius graſſaretur: Regem ſedulo indagaſſe, fores cubiculi ejus igne, Reginæ malleo aggreſſum: ex Regis famulis alios occidiſſe, alios ſauciaſſe, nec alia de cauſſa quam in Regis invidiam. Edixit itaque Rex ut nemo iſtum aut ſocios hoſpitio reciperet, foveret, neceſſariaque miniſtraret, pœna proditorum receptoribus propoſita.

Quo modo Comes Huntleius ex auctoritate hujus edicti ad perſequendum rebellem cum armata manu Cancellario impellente proſiliens ædes Comitis Moravii, qui Bothwellium hoſpitio exceperat, oppugnavit, & Moravius occiſus, Huntleius inde incarceratus, & poſt breve tempus, cautione ſe judicio ſiſtendi interpoſita, liberatus domum rediit, ubi à *Clan-Hattenis* & Moravii amicis in ultionem exardentibus graviſſime exagitatus multa & magna pertulit & intulit damna, ad Scoticam proprie ſpectat hiſtoriam, & valde ad Anglicam hæc paucula Scotica ſubjungere.

Moravius occiditur.

Both-

Bothwellius tumultuario milite contracto ex limitibus & Anglia ubi latuerat, in Scotiam rediit, Regemque iterum menſe Junio in Regia Falklandia non meliore quam antea ſucceſſu adortus; ſimul enim ac Aulicos reſiſtentes vidit, fugam in Angliam meticuloſe corripuit. Cancellarius tamen ab ejus amicis ex Aula ſubmovetur, Jeſuitæ interea ad Pontificiam Religionem promovendam Nobilium animos ubique tentarunt. Miniſtri itidem, ne religio quid detrimenti caperet, legem rogarunt, ut qui Religionem in Scotia conſtitutam non profiterentur, excommunicatione mox innodarentur, & niſi poſt annum profiterentur, omnia bona, dum vixerint, fiſco adjudicarentur. Inter eos quos excommunicarunt, erat Georgius Kerrus LL. Doctor, quem Hiſpaniam ſub finem anni cogitantem Miniſtri adeo ſagaciter proſecuti ſunt, ut navem jam conſcenſurum apprehenderent, & dum ſingula excuterent, repererunt chartas puras, alias forma litterarum miſſivarum Regi Hiſpaniæ inſcriptas, alias ad arcana pacta, ſingulas ſubſignatas nominibus & Sigillis Guilielmi Comitis Anguſiæ, Georgii Comitis Huntleiæ, Franciſci Comitis Arolliæ, & Patricii Gordoni ab Achindon. Sed hæc plenius ſcripſerint Scoti qui exploratius norunt.

1592. Bothwellius iterum Regiam adoritur.

Jeſuitæ Romanam religionem promovent.

The Blank.

Jam tempus poſtulat ut ad Anglica regrediamur. Hibernia enim non alias pacatior. At per univerſam Inſulam ſcrupuloſa habita eſt inquiſitio in vitam, mores, verba, & actiones Joannis Perotti nuper Proregis, quem ob prudentiam & operam navatam in Sanctius conſilium à Regina adſcitum, Hattonus Cancellarius in clientuli gratiam, aliique in Aula æmuli quaſi hominem faſtuoſum de gradu dejicere ſummopere conabantur. Eoque res deducta eſt, ut quum unum & alterum delatorem in Hibernia [1] invenerint, eum, obnitente Burghleio Theſau-

Inquiſitio in vitam Perotti.

Vide in anno 1587.

1. Inveniſſent *Elz. Sen.*

rario

1592. ratio (etſi Hattonus jam obierat) in judicium menſe Aprili accerſerint. Delegati erant H. Baro Hunſdonius, Tho. Baro Buckhurſtus, Robertus Cecilius Baronis Burghleii filius, (qui nuper ob ſpem optimam in patris ſolatium, Reipublicæ admotus, & in Sanctius conſilium advocatus) Jo. Forteſcuus, Jo. Wolleius, & Juſtitiarii nonnulli.

Accuſatur. Accuſabatur primum Regiam Majeſtatem probroſis verbis violaſſe. Utique dixiſſe, eam illegitimam, meticuloſam, & curioſulam eſſe, viros militares non curare, impediiſſe quo minus ille Ultoniam in ordinem redigeret, illiuſque operam aliquando deſideraturam. Secundo notiſſimos proditores & ſacrificos Romanos ſuſtentaſſe. Tertio occulte cum Parmenſi & Reginæ hoſtibus conſilia commiſcuiſſe. Quarto rebelliones *O-Rorci* & illorum *de Burgo* foviſſe. Majeſtatem verbis violaſſe haud diffiteri poterat, ea autem non pravæ fuiſſe cogitationis, reſpondet: incaute per iracundiam & imprudentiam quum bene inchoata in Hibernia perficere prohiberetur, excidiſſe ex animo dolet. Cetera homo à Pontificia religione averſiſſimus, ut nec indiciis apertis, nec idoneis teſtibus firmata diluit.

Inter delatores & teſtes erant Philippus *Williams* ipſi quondam ab epiſtolis, Dionyſius O-Roghan Hibernicus ſacrificus uxoratus, cui ejus chirographum ementito vitam condonarat, ut ipſi uſui eſſet ad Sacerdotum molitiones detegendas; & Waltonus homo fidei proſtitutæ. Quumque acriter contra Pophamum Procuratorem Regium & ceteros forenſes oratores cauſſam defendiſſet ad horam noctis undecimam, à duodecim viris Majeſtatis læſæ reus pronunciatur. Capitalis autem ſententia in aliam diem prorogatur; quæ ex Juris formula neceſſario ferenda, adverſariis urgentibus poſt viginti dies lata.

Condemnatur. Quo die Burghleium hominis ſorti illacrimaſſe fertur,

&

& ſuſpirantem dixiſſe: *Odium quo injuſtius eo acrius* 1592.
eſſe. O-Roghan ſacrificus annua penſione quadraginta librarum donatur. Perottus menſe Septembri in Arce Londinenſi morbo è vivis exceſſit, quum, lenita Principis ira, ſpes vitæ oſtenderetur. Illa enim hiſce diebus ſæpius illud Theodoſii, Honorii, & Arcadii, Reſcriptum laudare audita eſt: *Si quis Imperatori maledixerit; ſi ex levitate, contemnendum, ſi ex inſania, miſerandum, ſi ab injuria, remittendum.* Moritur.

Bona filio qui Eſſexii ſororem duxerat ex tranſcriptione prius facta & Reginæ gratia obvenerunt. Ita viro bene merito & ſane ſplendido effrenis linguæ procacitas exitium comparavit. Acrem enim ſui memoriam probra apud principes relinquunt. Entaile.

Gallum cum auxiliaribus ſub Eſſexio Anglis ſuperiore anno bruma ingruente, ad Rothomagum caſtra poſuiſſe diximus, & ibidem cum exilibus quas habuit copiis miſere hibernavit. Vere appetente quum omnibus hibernæ obſidionis moleſtiis laſſatus, & urbi munitiſſimæ expugnandæ impar, nec caſtra propius admoveret (etſi bis mille militum ex Anglia ſubmiſſi) nec aliquid attentaret, nec Eſſexium, qui, ut gloriam aliquam reportaret, in ſe recepit cum Anglis hiatum aperire & in urbem irrumpere, audiret; (Providi enim Galli urbem opulentiſſimam, quam brevi in poteſtatem redigi poſſe ſperarunt, Anglis diripiendam objicere indignum exiſtimarunt) Eſſexius, ſpe omni rerum gerendarum abſciſſa, poſtquam Villarſium Rothomagi Præfectum ad ſingulare certamen fruſtra provocaſſet; ſuos admodum attritos Rogeri *Williams* fidei relinquens, Gallo valedixit, & in Angliam maturavit ab ipſa Regina revocatus, atque ab amicis monitus æmulos in Aula Principis aures obſidere & ex ejus abſentia gratiam ſubdole præripere. Paucis poſt diebus ipſe etiam Gallus ſuis dilabentibus, hoſtibus crebro Eſſexius è Gallia redit.

1592. crebro erumpentibus, & Parmenſe imminente, hanc lentam obſidionem ſolvere cœpit, & quibuſdam in caſtris relictis tum ceteris Diepam ſe contulit. Parmenſis etenim jam iterum à Conjuratis Gallis accerſitus cum Rai
Parmenſis iterum Galliam ingreditur.
nutio filio in Galliam ſigna intulit quaſi præſidiariis in Chaumo ſuppetias laturus. *Novum Caſtrum* cepit; feliciter contra Regis equites ad Aumaliam velitatus, animum Rothomagenſibus ita auxit ut erumpentes Regis caſtra invaderent, & tormentis potirentur. Ille Albevillam rediit quaſi domum reverſurus. reverſurum Rex credidit: inde obſidionem ex inopia commeatus ſolvit, & magnam exercitus partem dimiſit. Nec mora; ille occaſione arrepta, cum auctioribus copiis cœptum perſecutus Caudobecco capto Sequanam flumen ad ſubvehendum in famelicam urbem annonam aperuit, ingreſſus rebelles confirmavit, atque militari aſtu ſemper pugnam detrectans non ſine clade æger corpore domum rediit. Quo tempore quam ſtrenue Angli pugnarint, quum prima acies Conjuratorum caſtris apud [1] Yvecotum exueretur, & profligaretur, ipſe Rex ſuis ad Reginam litteris Viccara-villæ datis teſtatus eſt, in quibus Rogerum *Williams* tanquam alterum Cæſarem extulit, & Matthæum Morganum collaudavit.

Auxilium iterum Gallo ſubmiſſum.
Ille hac bellorum mole fere obrutus ad Elizabetham denuo neceſſario confugit, apparatum bellicum & VI M. militum in bellum Britannicum efflagitans. Illa IIII M. militum, quædam tormenta majora cum apparatu mittere adnuit, ex hoc cum [2] Beavoiro, Nocleo, & Sancio
Quibus conditionibus.
(qui à Rege delegati) pacto, ut Rex nec pacem cum Conjuratis iniret, niſi primum ſe ſubmiſerint, & Regi

1. Yvecotum *in Cod. Rawlinſoniano; littera* t *nimirum ſupra* c *ſcripta.*
2. Beavoiro Noclæo, & Sancio *in Cod. Rawlinſoniano. Neque aliter diſtinguit Ed. Lond.*

ad

ad Hiſpanos è Gallia expellendos auxilium præſtiterint, 1592.
nec cum Hiſpanis niſi ipſa conſentiente; Anglis in Britannia militantibus oppidum munitum & portum in receptaculum aſſignaret, IV. millia peditum Gallorum & mille equites illis adjungeret, tranſvectionis impenſas, & pecuniam in ſtipendia numerandam intra annum rependeret, & hoc pactum in acta Cameræ Computorum referret. Hinc Norriſius, qui è Britannia revocatus ut de rebus Britannicis Reginam edoceret, menſe Octobri remittitur. Ubi quum Galli ſe non conjungerent, nec promiſſa facerent; ſed ille è Britannia vocatus & huc & illuc raptatus in Cenomania & Normannia militare juberetur, dum Hiſpani in Britannia ſe firmarent, Regina moleſte tulit, & promiſſa per litteras fruſtra exegit. Parumque abfuit quin ſuos revocarit, niſi certo accepiſſet Parmenſem [1] Galliam jam tertio cogitare ad Hiſpanicum in Britannia exercitum ſupplendum & portus occupandos. Quæ non ſervatæ.

Verum dum ille hanc expeditionem apparat, fatis conceſſit, quum XIV. annos Belgio ſub Hiſpano præfuiſſet. Parmenſis moritur. Princeps omnibus imperatoriis virtutibus cumulatiſſimus, amorem & honorem etiam apud hoſtes merito conſecutus: & quem Elizabetha nunquam niſi honorifice & cum laude nominavit, caute tamen ne laudes læderent.

Illa interim gnara Hiſpanum non tam Hiſpanicis viribus quam auro Americano bellum gerere, in Principum arcana ubique penetrare, conſilia corrumpere, & fidem labefactare; Walterum Raleighum cum XV. navibus bellicis in Americam ad *Panamam*, quo aurum convehitur, occupandam, vel claſſem Hiſpanicam intercipiendam mittere ſtatuit; ſed ille ventis reflantibus tribus totis menſibus in portu detentus ſerius ſolvit. Nerio Hiſpaniæ Promontorio ſuperato, certo accepit Hiſpanum impe- Raleighus in Americam deſtinatur.

1. Jam tertio Galliam *Edd. priores.*

1592. raſſe ne quis ex America hoc anno ſolveret, mox fœda
Sed fruſtra. tempeſtas claſſem Anglicam toto mari diſpalat, acacia-
que ſubmergit. Unde ille, opportunitate conſilii exſe-
Ille claſſem quendi amiſſa, reverſurus claſſem in duas partes dividit,
dividit. alteram Joanni Borrougho Baronis Borroughi filio ſe-
cundo-genito, alteram Martino Fourbiſhero commiſit.
Huic mandat ut Hiſpaniæ littoribus immineret, aditum-
que navibus prohiberet, illi ut ad *Azoras* præſtolaretur
Caraquas ex India Orientali. Nec fruſtra ceſſit hoc con-
ſilium. Dum enim Thalaſſiarcha Hiſpanus Fourbiſherum
obſervat, *Caraquarum* defenſionem negligit. Borroughus
(ut taceam naves minores Hiſpanis ereptas, & ex quanto
diſcrimine ille inter littus Hiſpanicum & hoſtilem claſ-
ſem interclusus felici fortitudine ſe explicarit) ad San-
ctam Crucem oppidulum in *Flores* inſula appulſus, poſt
pauculos dies conſpexit *Caraquam* Luſitanicam, cui tres
Anglicæ Comitis Cumberlandiæ naves imminebant, ex
magna tamen maris malacia accedere non poterant.
Jo. Borroughus Caraquam Hiſp. intendit. Tempeſtas noctu exorta & Anglos & Luſitanos anchoras
tollere adegit. Die illuceſcente Angli viderunt Luſitanos
vectores & nautas ad *Flores* certatim *Caraquam* exone-
rantes, qui, Anglis propius adventantibus, ignem navi-
gio protinus injecerunt ; Ex uno & altero captivo Bor-
roughus edoctus alias *Caraquas* majores ſubſequi, naves
quas habuit ſingulas, duarum leucarum intervallo diſpa-
ratas, juxta inſulam in ſtatione collocat tanta extenſione
ut omnia longe lateque ſpecularentur. Nec diu exſpe-
ctaverant, ecce ingens *Caraqua* dicta *Mater Dei*, quæ
à prora ad puppim centum & ſexaginta quinque pedes
longa, VII. tabulatis in altitudine conſtrata, opulentis
mercibus & DC. viris inſtructa intervenit.

Aliam capit. Eam Angli crebris tormentorum ictibus undique va-
rio eventu oppugnant, ſpe prædæ opimæ audentiores,
mox tamen navigii altitudine & propugnantium multi-
tudine

tudine deterriti abſiſtunt, donec Robertus Croſſus Regiam navem (cui Providentia nomen) *Caraquæ* proræ tranſverſam objiceret, & tribus horis ſolus pugnam ſuſtineret. Tunc etiam ceteri ita undique impetiverunt, præcipue ad puppim, ut nemo clavum amplius tractare auderet. Primus irrupit Croſſus & mox alii, victoriaque potiti omnia cæde completa invenerunt, & luctuoſo ſane ſpectaculo ſemimortuos mortuis, integros ſauciis confuſe permixtos, adeo ut miſeratio animos ſubierit, & victoria uſi fuerint clementiſſime. Prædam quam domum retulerunt centum & quinquaginta millia librarum Anglicæ monetæ valuiſſe perhibetur, præter ea quæ ductores, nautæ & milites innata rapiendi aviditate ſurripuerunt. Quum autem in hoc genus hominum de bonis ſurreptis acris inquiſitio per delegatos inſtitueretur, quaſi debitum portorium non ſolviſſent, & edictum prodiret (cujuſmodi & alia ſubinde antea) ut clam ſurrepta in medium proferrent, ni malint ut prædones & piratæ commiſſa luere; eorum tamen improbitas & Delegatorum induſtriam & Edicti ſeveritatem etiam perjuriis eluſit. Dictitarunt enim, *ſe malle periclitari animas perjuriis apud Deum miſericordem, quam fortunas periculis partas apud homines immiſericordes.* 1592. Præda & prædatores.

Nec ſane minor erat quorundam mercatorum improbitas, qui hiante avaritia dum bellum (licet non indictum) tam aperte inter Anglos & Hiſpanos gereretur, Hiſpanos tormentis majoribus tam æneis quam ferreis occulte inſtruxerunt; quibus illi naves inprimis armarunt. Quod quamprimum Regina deprehendit, ſevero Edicto prohibuit, ſub pœna illis propoſita qui patriæ hoſtibus opem ferunt; ſimulque inhibuit, ne qui opera ferraria exercent, tormenta majora quam quæ *Miniones* vocantur & non ſupra XVI M. pondo, deinceps conflarent. Mercatorum avaritia. De tormentis bellicis Edictum.

1592. Regina Academiam Oxonienſem inviſit. Regina æſtivis menſibus rus profecta per Oxoniam iter habuit, ubi politiſſimis orationibus, Ludis Scenicis, eruditis diſputationibus oblectata aliquot dies hæſit, opiparis conviviis à Buckhurſto Academiæ Cancellario excepta. Diſcedens oratione Latina valedixit, in qua profeſſa eſt ſe perſpectiſſimum Academicorum amorem cæteris omnibus oblectationibus licet gratiſſimis longe præponere. Pro quo gratias cumulate perſolvit, votum vovit & conſilium dedit. Votum erat, ut nihil magis optavit quam univerſi Regni ſalutem cum feliciſſima ſecuritate & honore, ita etiam & [1] Academiæ, ut quæ alterum Regni lumen, ſplendidius indies inclareſceret & æternum effloreſceret. Conſilium erat ut Deum inprimis colerent non ad exquiſita quorundam ingenia, ſed ad Leges Dei & Regni, Leges non præirent, ſed ſequerentur, non diſputarent an meliores poſſint præſcribi, ſed præſcriptas obſervarent, ſuperioribus obedirent, & poſtremo fraterna pietate & concordia ſe invicem complecterentur.

Tamiſis aquis defecit. Tanta erat hac æſtate ut etiam ſuperiore per Angliam ſiccitas, ut non ſolum agri, ſed ipſi quoque fontes ſitirent, & pecora plurima ſiti enecta paſſim perirent. Tamiſis etiam nobiliſſimum Britanniæ flumen, quo non aliud in Europa Oceani allabentis æſtus longius ſentit (ſupra ſexaginta enim ab oſtio milliaribus bis die naturali intumeſcit & quam pluribus aquis perennibus undique increſcit) ita quinto die Septembris aquis defecit, magna cum omnium admiratione, ut pertenui alveo equiti juxta pontem Londinenſem pervius eſſet. An hoc fuerit ex illa ſiccitate, an ex impetuoſa Libonoti violentia qui biduum continuum furenter incubuit, & tum dulces aquas propulit, tum Oceani æſtum repulit, non dixero. Maxime Luna jam lumine aucta in Meridiem

1. Academia *in Edd. priorib.*

deſcen-

deſcendente & Æquinoctio inſtante; quibus temporibus pleniores æſtus in Tamiſi concitari nautæ obſervarunt. Erant qui ex interioris Philoſophiæ arcanis hoc occulta naturæ vi accidiſſe diſſeruerunt. Nimirum, *Quemadmodum quartana ad horam venit, quemadmodum podagra ad tempus reſpondet, quemadmodum purgatio, ſi nihil obſtitit, ſtatum diem ſervat, quemadmodum præſto eſt ad menſem ſuum partus; Sic aquæ intervalla habent quibus ſe retrahant & quibus* [1] *reddant. Quædam autem intervalla quia minora ſunt, ideo notabilia, quædam majora, nec minus certa. Et quid hoc mirum eſt, quum videas ordinem rerum, & naturam per conſtituta procedere? Hiems nunquam aberravit, Æſtas ſuo tempore incaluit, Autumni Veriſque, ut ſolet, facta mutatio eſt. Tam Solſtitium quam Æquinoctium ſuos dies retulit. Sunt & ſub terra minus nota nobis jura naturæ, ſed non minus certa. Crede infra quicquid vides ſupra.* 1592.

Vitam hoc anno placide cum morte commutavit Antonius Brownus Vicecomes *Montis-acuti* Antonii Hippocomi Regii & Angliæ Vexilliferi filius, quem hoc titulo Maria Regina, eo quod avia ejus fuerat filia & una heredum Joannis Nevilli Marchionis *Montis-acuti*, exornavit, Periſcelide donavit, & Romam cum aliis miſit ad obedientiam Sedi Romanæ Regni nomine præſtandam. Elizabetha fidem experta præcharum (etſi ſumme Romano-Catholicum) habuit, & nuper inviſit. Noverat enim illum ex prima inſtitutione, & animi perſuaſione, non ex factionis ſtudio, ut multi, eam Religionem coluiſſe. Succeſſit Antonius è filio nepos, ab avo haud degener. Sub idem tempus fatis conceſſit Henricus Baro *Scrope* de *Bolton*, Ordinis Periſcelidis itidem Eques, & Occidui limitis verſus Scotiam Præfectus ſæpius memoratus, Thoma filio ex Margareta Howarda, Vicecomitis Montis-acuti obitus. Et Thomæ Baronis Scrope.

1. Redeant *Elz. Sen.*

Thomæ

1592. Thomæ poſtremi Ducis Norfolciæ ſorore, ſucceſſore relicto.

Et Chriſtoph. Wraii. Et qui ſilentio non prætereundus Chriſtophorus Wraius primarius in Tribunali Regio Juſtitiarius jam ſæpe memoratus, Juriſprudentiæ, integritatis, conſtantiæque laudibus [1] venerabilis, prole felix, & bene meritus de Collegio S. Magdalenæ Cantabrigiæ. Succeſſit in hoc munere Joannes Pophamus Procurator Regius vir cenſoria ſeveritate.

M. D. XCIII.

Parlamentum. MENSE Februario Angliæ Ordines Weſtmonaſterium convocati, Leges de coërcendis Schiſmaticis & Pontificiis ſacra adire recuſantibus, atque ne alii adirent ſuadentibus, de Monaſteriorum poſſeſſionibus in Henricum VIII. tranſcriptis, militibus nautiſque ſublevandis, ædificiis intra tertium ab urbe Londino milliare non exſtruendis, aliiſque de rebus rogarunt. Quumque ſerio perpendiſſent (ex actis Parlamentariis loquor) quam obfirmatis animis hoſtes in Angliæ perniciem incumberent, confœderatos in Gallia, Scotia, & Belgio opprimendo, & loca ad Angliam infeſtandam opportuna occupando: ſubſidia ad pericula propulſanda neceſſario conferenda cenſuerunt. Agnoſcentes itaque & collaudantes heroïcam in femina Principe animi magnitudinem cum provida cura & ſingulari erga ſuos benignitate conjunctam, quæ, bello contra gentem opulentiſſimam feliciter geſto, tantas ex ærario profuderat opes, ne populum penſitationibus oneraret, quantas nullus anteceſſorum, nec ſolum ſua Regna defendendo, ſed confœderatos juſtiſſime ex pactis ſublevando; Eccleſiaſtici duo integra *ſubſidia* & Laïci tria cum ſex *Decimiſquintis* & *Decimis* ſtato tempore perſolvenda de-

1. Venerandus *Edd. priores.*

votiſſimis

votiſſimis animis lubentiſſime conceſſerunt. Submiſſe 1593. autem petierunt, quandoquidem hæc publicis actis poſteritati conſignanda, ut diſertis verbis caveretur, ne hæc tot & tanta *ſubſidia* prioribus ſeculis inaudita ex tam urgentibus cauſſis optimæ Principi extra ordinem conceſſa in exemplum traherentur. Illa poſtremo Comitiorum die quum præſens adeſſet ut legibus rogatis ſuo aſſenſu quaſi vitam infunderet; profeſſa ſuam in ſuos charitatem, primum proteſtata eſt, [1] in omnes curas ſemper excubaſſe ut Dei gloria & Reſp. amplificaretur, & quæcunque contribuerant in hæc expendiſſe. Profluenti deinde eloquentia animoſe ſed pauculis percurrit quam longe ab omni ignava animi egeſtate ſemper abfuerit, quæ Deo freta & rectæ conſcientiæ clypeo tuta timere neſcivit, ne ab hoſtibus potentiſſimis. Poſtremo ut majores animos adderet, de Anglorum fortitudine ſplendide diſſeruit: ac inter alia, hoſtes agnoſcere, gentem Anglicam ex innata animi virtute ad pericula promptam eſſe, & hoc ſæpius expertos noſſe, etſi diſſimulent; pleniuſque & ad cumulatam Anglorum gloriam experturos, modo ſecuritati non indormiant & non deprehendantur imparati. Neminem enim gentem animis & armis ad vindicandum expeditam impune laceſſiturum. Perorans, gratias de ſubſidiaria pecunia habuit, omnes ſuas cogitationes Deo & Reipublicæ conſecrare pollicita.

Reginæ ad Ordines Oratio.

Quo modo id præſtitit erga Deum ſumpto ſupplicio de Henrico Baroo & ejus ſectariis, qui Eccleſiæ pacem, monſtroſas opiniones proſeminando, Eccleſiam Anglicam damnando, Regiæ auctoritati in Eccleſiaſticis derogando turbare cœperunt, Eccleſiaſticus dixerit Hiſtoricus. Quo modo vero erga Rempublicam, hinc conſtare poterit.

Barous ſectarius morte affectus.

1. *Deeſt* in *in Ed. Lond.*

Ut

1593 Ut magnam curam adhibuit ad Hiſpanos infirmandos; alibi diſtinendos, & ex Britannia Armorica amovendos; ita non minorem ad eoſdem à Scotia prohibendos; verita ne turbulenta quam dixi rerum apud Scotos confuſio Hiſpanis aditum aperiret in utriuſque Regni exitium. Illa enim certis nunciis jampridem intellexerat, ut dixi, nobiles Pontificios in Scotia Sacerdotum artibus conſpiraſſe ad Hiſpanos in Scotiam accerſendos, Religionem ibidem immutandam, & Angliam ex illa parte oppugnandam, eoque nomine Creictonum Jeſuitam, quem ob ætatem affectam, fide data ſe nihil contra Angliam moturum, è carcere jam antea emiſerat, ſæpius in Belgium & Hiſpaniam trajeciſſe. Proſpexerat etiam illa, quam facile plebs Scotica [1] quæ in occidua parte plerumque inops auro Hiſpanico corrumperetur, quam portuoſa ibi littora, ubi, nemine prohibente, terram conſcenderent; quam bellicoſa ſit natio, & equitatu potens, quam [2] facilis in Angliam inde quaſi per poſticum pateat aditus; ad hæc quam ambiguæ ſint fidei Angli Scotiæ finitimi, qui plerique Pontificii & alii paſſim rerum novarum cupidi, quorum res & ſpes in manibus: pluſque animi ſemper adeſſe oppugnatoribus quam propugnatoribus, qui quaſi pro ſua tantum ſorte aleas jaciunt.

Pro Scotia ſollicitudo.

Hæc igitur Scotorum Regem docuit, monuitque, ut nobiles illos Scotos tempeſtive comprimeret, regiam auctoritatem in ſeditioſos ſubditos [3] exerceret, ne precario regnare videretur. Quod ſane ille ſponte jam facere cœperat, ſeveras leges in Pontificios & eorum fautores ſanciendo, in Davidem Graihamum Fentreium qui inter conſcios conjurationis erat, animadvertendo, & comites Anguſium, Huntleium & Arrolium perſequendo, quos

Regem monet.

1. *Deeſt* quæ *in Edd. priorib.* 2. Facile *Edd. priores.* 3. Exerceret *Elz. Sen.*

facile

facile diſſipavit. Bothwellius interea in Anglia latitans Reginæ per litteras adblandiens (quamvis de illa prius peſſime meritus) promiſit ſi in gratiam à Rege reciperetur, ſe fideliter Regi inſerviturum & Hiſpanicam in Scotia factionem labefactaturum; utque apud Regem pro venia intercederet, magnopere obſecravit. 1593. Bothwellius in Anglia.

Verum illa ſimul ac comperiſſet Regem iniquiſſime ferre eum in Anglia ſuſceptum eſſe, hominis impiam temeritatem deteſtata, qui principi expreſſo divini numinis typo ſemel atque iterum vim pararat, & terrorem incuſſerat, Baronem *Burgh* ſive *Borough* in Scotiam legavit, ut fidem Regi faceret, Bothwellium occulte in Angliam irrepſiſſe, illamque in eos animadverſuram qui hoſpitio ſuſceperant, necnon ut Regem contra Hiſpanicam factionem incitaret, & novam Proteſtantium Aſſociationem in Scotia procuraret ad Regem conſervandum, & Religionem contra omnes exteros, & ſeditioſos conjunctis animis armiſque protegendam. quæ brevi inita. Baro Burgh in Scotia Legatus.

Regem ex Septentrionali plaga reverſum Baroughus hæc ſcripto poſtulavit, ut Reginam de Hiſpanorum contra Angliam machinationibus certiorem faceret, ut Regiæ Majeſtatis dignitatem juſtitia tueretur: ſi juſtitiam in proditorum perſonas exſequi non valeat, bona tamen fiſco addiceret: ut ſpectatæ fidei homines in conſilium adſciſceret, [1] & ſua manu hæc Reginam edoceret (quo illa & ceteri Principes ejuſdem Religionis intelligerent, quam provide ad reſiſtendum hoſtibus proſpiceret :) poſtremo ut paci in limitibus conſuleret. Hæc ſi fierent, promiſit Reginam Regi in nulla re defuturam, docuitque eam male mulctaſſe Anglos Bothwellii receptores. Ejus poſtulata.

Ad hæc ille ſigillatim reſpondit, Se quæ de machinationibus deprehenderat ſignificaſſe ſingula, Rebelles Regis reſponſa.

1. Ut *pro* & *in* *Ed. Lond.*

1593. quam commode potuit perſecutum eſſe, alios vita, alios bonis mulctaſſe, Locum-tenentes in eorum ditionibus conſtituiſſe, eoſdemque Parlamentaria auctoritate proſcripturum. Poſt proſcriptionem eorum bona fiſco annexurum. In conſilium homines ſolido judicio & ſincera Religione & charitate in patriam adſciturum. Hæc ſingula ſuo chirographo atteſtaturum. De cauſſis limitaneis rationem quam potuerit optimam initurum. Par autem eſſe ut Regina his rebus conficiendis pecuniam ſuppeditaret, tam ad reſiſtendum Hiſpanis, quam rebellibus opibus & viribus admodum validis. Poſtremo poſtulavit ut in Bothwellii fautores animadverteret, quumque homo ſit ſcelere inexpiabili ab omnibus Principibus vel in exemplum deteſtabilis, in manus [1] tradat ſi in Anglia hæreat. Quandoquidem non [2] poſſit ejuſmodi inimici amicos in inimicorum numero non habere. Nihilominus quum Scoti nonnulli perſuaſiſſent Reginæ, Regem Pontificiis Comitibus in Scotia æquiorem eſſe, reſponſum eſt Roberto Melvillo Bothwellium repetenti & auxilium ad rebelles perſequendos poſtulanti, Bothwellium reſtituendum fore ſecundum conventiones in prioribus Tractatibus, aut ex Anglia exterminandum: auxilium ex fœdere non præſtandum niſi adverſus exteros. Miſſum tamen aliquantum pecuniæ, & Bothwellius qui proditor ab Ordinibus Scotiæ declaratus ad ſuos latenter reverſus ſub id tempus in Regis cubiculum ex improviſo ab amicis inductus, ad Regis ne opinantis genua advolutus, gladio humi projecto miſericordiam imploravit, & importuna eorum interceſſione certis legibus impetravit. Scilicet, ut à Regis præſentia abſcederet, judicio de objecto crimine Sagas conſulendi ſe ſiſteret, nihil in Regis miniſtros attentaret. Si crimine conſulendi Sagas abſolutus, regno excederet, & quo loco

Bothwellius ex Anglia repetitus.

In Scotiam redit.

1. Traderet *Edd. priores.* 2. Poterit *Ed. Lond.*

Regi

Regi viſum aliquantiſper ageret. Poſtridie tamen quam abſolutus erat, quoſdam Regis adminiſtros è Regia violenter abripuit, adeoque ejus in Aula invaluit factio, ut Rex in ſuam ſecuritatem & Regni tranquillitatem [1] invictiſſimus non ſolum eum & rebelles aſſeclas in poſſeſſiones remitteret; [2] quin etiam Cancellarium, Theſaurarium, Baronem Humium & Georgium Humium, quos habuit fidiſſimos, ex Aula amoveret. 1593.

Insolentiſſime ſe gerit.

Verum enimvero intra menſem quum animi diſcruciatus ſecum perpendiſſet, quo modo hæc majeſtate indigniſſima ſibi invito contra quam fas erat, extorta eſſent; in Ordinum conventu declaravit, ſe non alio quam captivi loco eſſe, & plane Bothwellii eſſe captivum, nec poſſe diutius pati ut ſubditus qui Regiis parietibus & poſtibus nefarium bellum jam ter intulerat, de ſe & ſuis adminiſtris optime meritis triumpharet. Facileque obtinuit ab Ordinibus, ut decernerent illum principem eſſe liberum ad Regiam auctoritatem exercendam, & conſiliarios atque adminiſtros pro arbitrio ſibi adſciſcendos. Hinc [3] Cancellarium & reliquos ad Aulam revocat, & quæ Bothwellio invitus conceſſerat, refigit. Qua tamen erat animi inclinatione in mitiora, dignatus eſt homini licet peſſime merito & complicibus omnium criminum admiſſorum gratiam facere, & in bona reſtituere, modo ſupplices expoſcerent, & hi quieti domi ſe continerent, nec ad Aulam niſi vocati accederent, iſte intra præfixum tempus in tranſmarinas regiones ſecederet, & certis quibuſdam locis permaneret donec Regi viſum fuerit. Ita Aula brevi varias mutat vices, & Bothwellius majora mala meditans tantiſper exſulat, vel potius in Regnorum confiniis latitat.

Rex auctoritatem aſſerit.

Bothwellius relegatur.

---

1. *Deeſt* invictiſſimus *in Edd. priorib.* 2. Verum etiam *Edd. priores.*
3. Cancellarios *in Edd. priorib.*

1593. Nec tamen Scotia pacata, verbi Miniſtris indignantibus & Regi negotium faceſſentibus quod Pontificios ferro flammaque non perſequeretur, contra quos & ipſi convenerunt, nec exſpectata Regis auctoritate Barones & Burgenſes convocarunt ad conſultandum, ne quid detrimenti Religio aut Reſpublica caperet.

Miniſtri indignantur.

Elizabetha calumnias de favore in Turcam abſtergit.

In lucem hac tempeſtate prodierant in Germania famoſi contra Elizabetham libelli quaſi Turcam ad bellum Orbi Chriſtiano inferendum excitarat, & litteras quas ad Turcam dederat, fide peſſima plurimis immutatis & additis, contumelioſis etiam calumniis malitioſe & falſo confictis divulgatæ. Illa has calumnias miſſo ad Imperatorem nuncio ita eluit, ut libri fuerint interdicti, & exemplaria Pragæ combuſta, operamque ſuam omnem detulit, & certe navavit, ad Turcam amoliendum, quod Imperator lubens agnovit. Nec quicquam ſane illi cum Turca erat, niſi ut ſubditi ſecure commercium in ejus imperio exercerent: quo nomine [1] *Agentem* tantum qui negotia mercatorum ipſorum impenſis ageret, Conſtantinopoli habuit, quum Gallus, Polonus, Reſpub. Veneta, & alii legatos ibidem haberent.

Moſcum & Suecum reconciliare ſtudet. Et Tranſilvanum.

Pacem etiam inter Suecum & Moſcum componere tanquam honoraria arbitra ſedulo adlaboravit; necnon inter Turcam & Sigiſmundum Bathori Tranſilvaniæ Principem ſive *Vaivodam*, ut vocant. Quum enim Turca terminos olim deſcriptos turbaret, & non ſolum onera contra formulam fœderis, ſed etiam ſupra vires & facultates imponeret; ille eam per Stephanum Kakaſium maximopere rogavit, ut ſuam ſi quam haberet gratiam in *Aula Turcica interponeret, ne quid ultra priſtinam formulam exigeretur, neu de finibus & ditione detraheretur.* Quod (quandoquidem res Chriſtiani populi, &

1. Agentem qui negotia m. i. imp. a. Conſt. habuit, uti Gallus, Polonus, Reſp. V. & alii. Pacem etiam &c. *Edd. priores.*

Provinciæ

Provinciæ ageretur) pro miſericordia qua afflictis occurrere ſolita, libenter quidem ſuſcepit, & diligenter [1] perſecuta eſt. 1593.

In Britannia Armorica Norriſius exſpectando Aumontium Mareſcallum & Fr. Eſpinaium à *S. Luca*, qui turmas adjungĕre promiſerant, totam hiemem anno ſuperiore fruſtra contrivit, quo tempore morbus multos Anglos abſumpſit, & Regina in ſtipendia ſingulis ſeptimanis ſupra III M.CC. librarum Anglicarum impendit. Norriſii in Armorica res geſtæ.

Nunc autem menſe Aprili Eſpinaius manum militum adjungit, inde Ravenderii vexillatio apud S. Supplicii profligatur, *Guerchium* ad deditionem adigitur, & Præfecti Lavalliæ turmæ, plurimis cæſis, fugantur, Randolpho, Purleio, & Chriſtmaſſo ſtrenuis Anglorum ductoribus deſideratis. Quum nec dum Aumontius in Britanniam deſcenderet, nec Anglis locus tutus, ut convenerat, aſſignaretur, Regina Norriſium revocat, Aumontius contra litteris ſupplex intercedit ne revocaretur, quinimo ut nova militum manus ſubmitteretur, iterum atque iterum obſecrat.

Dum illa Gallum ſuis rebus diffidentem & periclitantem tantis impenſis, & tanta animi ſollicitudine Religionis nomine ſublevat, ecce conſtans rumor in Angliam advolat, eum Romanam Religionem vel amplexurum vel jam amplexum eſſe. Hinc Thomas Wilkeſius in Galliam tranſmittitur, ut certo ediſceret, & ſi nondum religionem mutaſſet, validis quibuſdam rationibus ſcripto comprehenſis diſſuaderet. Sed priuſquam ille adveniſſet, Rex publicam Catholicæ Romanæ religionis profeſſionem ad S. Dionyſii fecerat, [2] nihilominus nonnulli ex Pontificiorum grege religioſi ejus [3] vitæ inſidiati ſunt. Ceterum ille cauſſas religionem abnegandi Wilkeſio in- Gallus Eccleſiæ Rom. ſe applicat.

1. Proſecuta eſt *Ed. Lond.* 2. Quamvis *pro* nihilominus *in Edd. priorib.* 3. Vitæ tunc inſ. ſunt *Edd. priores.*

genue

1593. genue ſic explicavit. *Ubi primum*, inquit, *in Galliæ Regem admiſſus* [1] *fueram, jusjurandum interpoſui, me velle ſtato tempore in Catholica Romana religione inſtrui, nec alia quidem lege admiſſus fui. Inſtructionem illam quatuor jam totos annos diſtuli, nec niſi invitus nuper eo deſcendi. Rege enim deceſſore ſublato, ejus Conſiliarii & adminiſtri mihi neceſſario retinendi. Eorum ſuffragiis ut plurium in omni deliberatione cedendum, & eorum artibus & induciis ſingula contra Conjuratos conſilia ita mihi prærepta fuerunt, ut ſucceſſu pleraque caruerint. Proteſtantes, quos in ſanctius conſilium adſciveram, raro in conſilio aderant, ſuis rebus plus nimio intenti, ita ut ab illis derelictus in quibus ſpem collocaram, ſimulque veritus ne à Pontificiis deſererer, illorum conſiliis neceſſario acquievi. Aſſeveranter etiam affirmo, ſimul ac ad regnum vocarer, octingenti nobiles, & novem* * *legiones Proteſtantium ad ſua redierunt, nec ullis rationibus retinere potui, adeo ut nullos præter domeſticos à cubiculo apud me habuerim. Pontificii quum me ita à meis derelictum viderent, imperitare cœperunt & urgere ut Religionem mutarem, dictitantes Catholicos non poſſe hæretico integra conſcientia obtemperare. Ego tamen rem de die in diem eo uſque procraſtinavi, donec, perſpecta mea imbecillitate (qui exiguis amicorum ſubſidiis ſuſtentatus, Papæ, Hiſpani, & Conjuratorum viribus conjunctis plane* [2] *impar) tertia factio ex Principibus Regii ſanguinis, regni officiariis, Præſulibus,* [3] *& ex plurimis nobilibus conflata, conſilia agitaret cum Provinciarum & Urbium Præfectis de me derelinquendo, utique hæreticæ pravitatis manifeſto, & Provincias inter ſe viritim ſortiendo. Horum conſiliis quum alias occurrere non poſſem, fidem dedi, me velle in Religione Romano-Catholica informari.*

Cauſſas quæ induxerunt explicat.

* Regiments.

1. Fuerim *Ed. Lond.* 2. Impar) dum tertia *Edd. priores.* 3. *Deeſt* & *in Edd. priorib.*

Illi

In unum & alterum menſem ad informationem conceſſerunt, Romamque miſerunt qui abſolutionem & formalem in gremio conceptionem procurarent. Conjurati ut hoc præverterent, ad alium Regem eligendum quantocius feſtinarunt, quamplurimi nobiliores ſuam operam Guiſio ut Regi futuro devoverunt, ſi Præfecturæ quas adminiſtrarunt in perpetuam hereditatem & proprietatem concederentur. Deliberate itaque ſtatui Catholicam Religionem protinus amplecti. Præſules tamen in Eccleſiam admittere, Pontif. Romano inconſulto, abnuerunt, priuſquam illis ægre ſuaſerim, ut meam converſionem ſine informatione aut diſceptatione admitterent. Hinc vero ego tertiam factionem mihi penitus adjunxi, Guiſii electionem anteverti, populi Gallici benevolentiam mihi conciliavi, Magni Ducis Hetruriæ fidem in rebus maximis mihi obſtrinxi, Reformatamque Religionem ab omni macula vindicavi, quæ neceſſario inurenda erat ſi converſio mea informatione aut diſceptatione effecta fuiſſet. 1593.

Querulæ de Religione mutata Reginæ litteræ.

Hæc eadem interea Morlantius Reginæ nunciat & omnia Regis ſui ſtudia ſpecioſis verbis defert. Illa mœrens animi & admodum diſcruciata calamo arrepto mox haſce litteras [1] ad Gallum dedit:

Heu quantum dolorem, qualem mœroris æſtum, qualia ſuſpiria in animo perſenſi ex his quæ Morlantius nunciavit? Proh hominum fidem! hoccine ſeculum? fieri potuit, ut res mundana Dei timorem tibi excuteret? Poſſumus felicem exitum hujuſmodi facti exſpectare? vel putare poſſis, eum qui te ſua dextra hactenus ſuſtentavit, & conſervavit, jam derelicturum? Periculo plenum eſt, malum facere ut inde bonum proveniat. Sanior tamen ſpiritus mentem, ut ſpero, tibi inſpiret meliorem. Interea non deſinam in primo mearum precationum loco te divino Numini commendare, & ſupplicare ne manus Eſau Bene-

1. Ad eum dedit *Edd. priores.*

dictionem

1593. *dictionem Jacobi corrumpant. Quod amicitiam ſancte feras, me magno ſane pretio promeruiſſe ſcio, nec pœniteret quidem, modo Patrem non mutaras. Certe jam inde non potero tibi ſoror eſſe ex Patre: verum enimvero ego Patrem proprium charius quam adſcititium ſemper amabo. Quod Deus optime novit, qui te in rectam ſanioris ſententiæ ſemitam reducat.*

Subſcripſit:

Voſtre Seur, ſi ce ſoit à la vieille mode, avec nouvelle je n'ay que faire,

ELIZABETHA R.

In hoc mœrore ſolatium ſibi quæſivit ex ſacris litteris, Sanctorum Patrum ſcriptis, crebris cum Archiepiſcopo colloquiis, neſcio an etiam ex Philoſophis. Certo ſcio quod hoc tempore Boëtii de Conſolatione libros aſſidue verſaverit, & in Anglicam linguam feliciter tranſtulerit.

Illa Boëtium convertit.

Quum inter hæc *Wilkeſius* Gallo ſignificaſſet, promiſſis in re Britannica non eſſe ſatisfactum, Aumontii cunctationem Reginæ cum militum exitio, tum pecuniæ impendio fuiſſe damnoſam & Regi plane inutilem, nec Reginam auxilia in Britannia velle adaugere & ibidem alere, niſi tutus aliquis receptui locus concederetur: Ille in ſupinam Aumontii negligentiam culpam tranſtulit, incommodis mederi, & de loco receptui rationem cum Conſiliariis inire promiſit. Hæc etiam ſingula per Movium à cubiculo nobilem, Reginam pluribus edocuit, [1] cui ſalutem & regiam dignitatem accepta debere agnovit, promiſitque, rebus compoſitis & induciis peractis, cum exercitu in Britanniam profecturum. Interea pactio fit inter Reginam & eum Meloduni Menſe Au-

Gallus promiſſa non ſervata excuſat.

Pactum cum Anglia facit.

1. Cui ſe ſalutem *Edd. priores.*

guſto

giſto ſub ſigillis & chirographis *bona fide* & *Principum verbo*, ut conjunctis viribus bellum *offenſivum* & *defenſivum* contra Hiſpanum gererent, quamdiu ille cum alterutro bellum geſſerit, & nullam cum illo pacem ſine mutuo inter ipſos conſenſu inirent, atque ambo in pace comprehenderentur. 1593.

Britannia tamen ab illo negligitur, Gallia in viſceribus graviſſime laborante, nec Angli *Pimpolum* aut *Breacum* inſululam cum aliis adjacentibus in receptum impetrare poterant, niſi conditionibus admodum iniquis, ſcilicet ne munirent, nec in ſacerdotum aut Nobilium ædibus hoſpitarentur. Nihilominus Britanniæ Ordines Reginæ ſupplicarunt ne Angli revocarentur, quod jam deliberatum; & illa exorata eos manere juſſit, ubi per ruſticanos viculos diſperſi & hoſtibus & cœli injuriis expoſiti (quum Pimpolum propter anguſtias capere minime poſſit) miſere hibernarunt. Nec deſtitit illa Gallum admonere quantum ejus interſit oram maritimam tenere & tueri, quæ ſemel in hoſtis poteſtatem redacta & aditum aperit, & difficillime recuperatur. Reformatam Religionem ejuſque profeſſores per Robertum Sidneium illius fidei & tutelæ iterum atque iterum commendavit. Promiſit ille, ut ſemper jam antea Protector aderat, ita nec jam inde eis defuturum, licet ex iis pleri que nobiliores ipſum dereliquerint. At quum Sidneius ageret de Breſto in receptum pro Anglis & cautionem pro pecunia (quod Regina percupiit) aures obturavit. Nec enim Galli ferre poterant, ut Angli pedem in poſſeſſionem uſpiam in Gallia nedum in portubus ponerent. Fortaſſe haud obliti quam facile illi olim portubus potiti Galliam victoriis peragrarunt, & quam difficulter poſſeſſione ceſſerint. Ita conſilium quod illa contra Hiſpanos dederat, Galli in Anglos converterunt.

Angli neglecti.

Regina tamen Armoricam defendendam cenſet.

Proteſtantes Gallo commendat.

1593. Ut ſuos etiam ſecuriores ab Hiſpanis præſtaret, Silinas inſulas, propugnaculo in S. Mariæ inſula conſtructo quod *Stellam Mariam* ob formam Stellarem dixit, præſidio impoſito firmavit, *Garnſeiam Garſeiamque* inſulas Galliæ [1] oppoſitas, & alia loca magnis impenſis & magna cum alacritate communivit, etſi tempora fuerint triſtiora.

Inſulas in mari Britannico munit.

Peſtilentia enim toto hoc anno, Saturno per extrema Cancri & principia Leonis ut anno M.D.LXIII. decurrente, graviſſime urbem Londinum afflixit, adeo ut anno vertente ex peſtilentia & aliis morbis elati fuerint in Urbe & ſuburbiis 17890, præter Guilielmum Rœum Prætorem & tres Senatores, S. Bartholomæi nundinæ non celebrarentur, & Juridicus S. Michaëlis conventus ad S. Albani, xx. mill. paſſ. ab urbe haberetur. Ubi Richardus Heskettus majeſtatis damnatus & ſupplicio affectus; qui à profugis Anglis ſubmiſſus, Ferdinando Derbiæ Comiti, cujus pater Henricus modo obierat, ſuaſit ut Regni titulum aſſumeret, jure à proavia Maria filia Regis Henrici VII. repetito; auxiliareſque copias & pecuniam ab Hiſpano prolixe promiſit, minatus Comiti certum intra breve tempus exitium, ni faceret & rem ſilentio obtegeret. Sed Comes ſe inſidiis peti metuens, hominem detulit; qui ſua ipſius confeſſione crimen pro tribunali agnovit, conſultores deteſtatus. Minæ tamen illæ fide non caruerunt. Comes enim poſt quatuor menſes horrendo mortis genere miſere periit, ut ſuo loco dicemus.

Heskettus ſuſpenſus.

Hujus anni curriculo fatis placide ceſſerunt duo illuſtres Angliæ Comites ex ordine Periſcelidis; Henr. Stanleius, quem modo dixi, Comes Derbiæ, Edwardi ex Dorothæa filia Thomæ Howardi primi Ducis Norfolciæ filius: qui genuit è Margareta filia Henrici Clif-

Mors Henrici Comitis Derbiæ.

1. Impoſitas *Edd. Belg.*

fordi

fordi Comitis Cumberlandiæ ex Elenora [1] Brandonia, 1593.
Henrici VIII. è ſorore Maria nepte, Ferdinandum & Guilielmum ſuo ordine ſucceſſores. Et Henricus Ratcliffus Suſſexiæ Comes, Portus Magni ſive Portſmouthæ Præfectus, Roberto unico filio ex Honora, filia Anthonii Poundi, relicto. In Præfectura vero Carolus Bluntus, qui poſtea Baro Montjoius, ſuffectus. Comitis Suſſexiæ.

Hos in alteram vitam comitati tres Barones inſignes: Arthurus Greius de *Wilton* ille bellicoſus ex Ordine Periſcelidis, cui ſucceſſit Thomas filius ex Jana Sibylla Moriſona: Henricus Baro Cromwellus, Thomæ illius decantati Comitis Eſſexiæ, qui inter fortunæ ludibria habetur, nepos; cui Edwardus filius ex Maria filia Joannis Powletti Marchionis Wintoniæ ſucceſſit: & Henricus Baro Wentworth, cui natus ex Anna Hoptona Thomas filius & heres. Baronis Greii. Baronis Cromwelli. Baronis Wentworth.

Nec reticendus qui cum his in meliorem vitam abiit Chriſtophorus Carlilus, cujus bellica virtus terra marique, in Belgio, Gallia, Hibernia, & in America ad Carthaginem, S. Dominici, &c. ut dixi anno M.D.LXXXV. ſpectata fuit. Et Chriſtoph. Carlili.

In Hibernia O-Conorus *Dun*, Mac-Davy, O-Brien, Dynaſtæ in Conachtia, & alii conqueruntur ſe in jus iniquiſſime vocatos de latifundiis olim *Mortuomariorum* Comitum Marchiæ, quæ tamen illi nullo jure niſi diuturni temporis præſcriptione ſibi uſurpaverant. Ultoniæ etiam Dynaſtæ qui jam pridem veriti ne Anglicæ leges impoſitæ, & territoria in Comitatus diviſa ipſorum in populum tyrannidem paullatim imminuerent, quod in *Monaghan* factum viderant; rebellionem in animis conceptam parturire cœperunt; primumque Hugo *O-Donellus* Montroſſum caſtrum ex improviſo occupavit. Jam ſimultates gliſcebant inter Comitem Tir-Oeniæ & Hibernicorum querelæ. Rebellionem incipiunt.

1. Brandonia filia, Henrici VIII. è ſorore &c. *Edd. Belg.*

1593. Simultates inter Comitem Tir-Oenium & Bagnallum. Henr. Bagnallum Hibernici exercitus Mareſcallum, cujus ſororem in uxorem Comes rapuerat. Comes conquerebatur coram Prorege, Cancellario, & aliis, quicquid Ultoniæ ille ſuo ſanguine & laboribus in Principis obſequium reduxerat, Mareſcallo, non ſibi, in fructum cedere, Mareſcallum falſo ipſum in læſæ Majeſtatis crimen, viliſſimis hominibus in teſtes ſubornatis, vocaſſe, Proregem in ipſius perniciem incitaſſe, vitæ inſidiatum fuiſſe, & reſponſa mala fide Reginæ retuliſſe. Et Mareſcallus fidem invenit in Aula donec Comes ſcriptis in Angliam litteris ſe judicio vel in Anglia, vel in Hibernia ſtiturum obtulerit. Pro certo tamen habetur, illum & Ultoniæ Dynaſtas occultis conſpirationibus ſub hoc tempus in fœdus coiiſſe ad Religionem Romanam tuendam, (Religio enim jam ubique rebellioni prætenditur) Vicecomites & Præſidiarios ex ipſorum territoriis excludendos, ſua jura mutuo propugnanda, & Anglorum injurias propulſandas. Qui claſſicum ſecundo poſt O-Donellum caneret, Mac-Guirus Dynaſta in *Fermanagh* protruſus eſt, vir ingenii turbidi & pugnaciſſimi, qui ſe & ſuos à Vicecomite indigne exagitari quiritabatur. Ille prædabundus in vicinos agros irruit, Conachtiam ingreditur concomitante Gaurano ſacrifico, qui à Papa *Primas Hiberniæ* deſignatus, juſſit ut Deo fretus fortunam experiretur, certam victoriam pollicitus. Secus tamen accidit, *Mac-Guiro* fortitudine Richardi Binghami fugato, & Primate cum pluribus occiſo. Mox *Mac-Guirus* in apertam rebellionem prorumpit, quem Tir-Oenius officii ſimulatione [1] perſecutus, vulnus cum magna fortitudinis & fidei laude accipit. Iniskellinum in lacu *Erno* firmiſſimum *Mac-Guiri* munimentum Dowdallus Anglus ſtrenuus militum ductor cæſis præſidiariis expugnat. Et per id tempus meri Hibernici (qui An-

* Ultoniæ Dynaſtæ in Anglos conjurant.

Mac Guirus in Rebellionem prorumpit. Ejus propugnaculum captum.

* *Deeſt hæc nota marginalis in Ed. Lond.* 1. Proſecutus *Edd. Belg.*

glis

gli plerumque infideles) in ductores & numeros primum adſciti fuerunt, parum provide, ut prudentiores tunc judicarunt & Angli poſtea experti ſunt. Interim Tir-Oeniæ Comes in rem ſuam excubans, Turlogho *Leinigh*, qui O-Neali titulum geſſerat, demortuo, eundem ſibi arrogat (præ quo vel Cæſaris titulus in Hibernia ſordet) contra ac juraverat ac lege læſæ Majeſtatis cautum [1] erat. Factum tamen excuſat ne alii ex *O-Neali* familia eundem invaderent, promittit vero ſe renunciaturum, ne tamen ad hoc jurejurando aſtringeretur ſummopere efflagitat. Shani etiam O-Neali filios, è quibus unus & alter ex carcere neſcio quorum conniventia evaſerant, ne cœptis obſiſterent, intercipit, in libertatem reſtituere à Prorege ſæpius juſſus abnuit, (qua enim apud ſuos valebant gratia eum facile frangere poterant,) ſed aliud agens conqueritur graviſſime de Proregis malevolentia, Mareſcalli inſidiis & Præſidiariorum injuriis, quas tamen ita obſcure mox tulit, ut quaſi omnium oblitus fide data Proregem adierit, ſe ſubmiſerit, omnemque profeſſus obedientiam domum redierit.

1593.

Tir-Oenius O-Neali titulum uſurpat.

Shani filios intercipit.

M. D. XCIV.

OCCULTAM hanc in Hibernia conjurationem in Hiſpania conflatam facile exſtingui poſſe Regina ſperavit, ſi prius apertiſſimam illam Hiſpanicam in Scotia factionem labefactaret. Itaque à Scotorum Rege conſulta de decreto ab Ordinibus Scotiæ ad Religionem & regnum conſervanda facto, Edwardum Baronem Zouchæum in Scotiam miſit, qui proceres Anglicarum partium confirmaret, & majorem ſeveritatem in illos Hiſpanicarum exigeret, quam decretum illud præ ſe tulit, quandoquidem ex certiſſimis conſtaret indiciis illos *Miſſis* interfuiſſe, Jeſuitas & Sacerdotes foviſſe, in Hiſpaniam

Baronis Zouchæi in Scotiam Legatio.

1. Erat. Excuſat tamen ne *Edd. priores.*

chartas

1594. chartas puras Chirographis & Sigillis ſubſignatas miſiſſe; & Hiſpanum jam cogitare per eos Angliam, quam navali bello neutiquam infeſtare poterat, terreſtri oppugnare.

Regis reſponſum. Reſpondit Rex, ſe id in Pontificios illos facturum quod ex lege Regni poterat. Si ſubmoniti non obtemperaverint, perſecuturum, donec vel in ordinem redegerit, vel Regno expulerit, dummodo Regina, cujus pæræque intererat, vires conjungeret. Zouchæum perſecutionem pertinacius urgentem Rex rogavit, an ipſe ſub alterius cujuſquam imperio ſubeſſet? an Regina præſcriberet, qua ratione ipſe Rex abſolutus ſuis imperaret? proteſtatus ſe religionem fortiſſime defenſurum, & amicitiam cum Regina ſanctiſſime culturum. Subinde tamen conquerebatur Bothwellium rebellem infeſtiſſimum in Anglia foveri, quum ille O-Rorcum rebellem Hibernicum Reginæ in manus jampridem tradidiſſet. Atque haud multo poſt Bothwellius iſte rebellionis ſigna contra Regem ſuum denuo extulit, quorum artibus, dixerint Scoti. Certe Miniſtri Scotiæ Regem ut Papiſticis æquiorem & ipſis iniquiorem queribundi aſſidue apud Reginam criminabantur. Ille Scotiam ingreſſus cum quadringentis limitaneis equitibus ad Letham uſque nullo obſiſtente pervenit, ubi phaleratis verbis, quod rebelles aſſolent, ad perfidiam obvelandam publice hæc ſcripto propoſuit.

Bothwellius denuo rebellat.

Rebellionis integumentum quærit. *Quandoquidem vera Dei religio, regis ſalus, & honor, Juſtitia; Reſpublica & ſalutaris inter Regna Scotiæ & Angliæ amicitia in extremum periculum jam devocentur per pernicioſos quoſdam Conſiliarios; qui ad Rempublicam irrepſerunt, Miſſaticos ſacerdotes vicatim vagari permittunt, atque Hiſpanos, obſidibus in Belgium miſſis, ad Religionem & Rempublicam opprimendam & amicitiam cum Anglis dirumpendam evocant; ſe cum nobilibus, Baronibus & Burgenſibus conſociatis ad tanta*

mala

mala prævertenda, in ſummi Domini timore & debito 1594.
erga Regem obſequio ſtatuiſſe Conſiliarios iſtos hoſtilem in modum perſequi, donec judicio ſe ſiſtant, vel Regno exturbentur, & patriæ proditores publice declarentur; & hoc nulla interpoſita mora, quum Hiſpani jamjam ſint appulſuri. Quare Regem obſecrat, nobiles hortatur, plebeiis imperat ut actutum in hac tam pia, juſta, & neceſſaria cauſſa ſocialia arma conjungant, magiſtratuſque ut ſua auctoritate adſint, rogat. Qui Conſiliariis opem ferent, Regi rebelles eſſe denunciat, & cum ſeveritate plectendos.

In hanc ſententiam ad Synodum quæ Dunbarræ tunc habebatur, necnon ad Legatos Anglicos ſcribit, qui ejus cœptis haud obſcure favere dicebantur. Eodemque ipſo die, quum Regios Edenburgo, quod vix tria millia paſſuum abeſt, ſub ſignis profectos accepiſſet, & ipſe turmis bipartitis è Letha movit. Sed numero impar, (pauci Fugatur. enim ſe aggregarunt,) gnarus periculi declinandi, diverticula quærit, & ſemel Regios inſequentes in declivi colle adortus repellit, pauculis captis, nemine cæſo. Dalkeitham ſervatis ordinibus recedit, & inde ex rebellionis conſcientia ſemper atroci ad conſueta in Regnorum confiniis latibula ſe recipit. Regina autem Edicto per limites, ne quis hoſpitio exciperet aut auxiliaretur, vetuit. Quod Regi vehementer gratum fuit, qui omnia amoris ſtudia promptiſſime detulit, & Regni Ordines convocavit de Pontificiis Comitibus proſcribendis. Proceres, qui pauci convenerant, contra illos ſuffragia ferre Pontificii in Scotia proſcripti. renitebantur, eo quod, etſi de litteris puris conſtabat, nihil tamen de eorum conſilio, niſi ex præſumptionibus, conſtare poterat.

Miniſtrorum tamen & Burgenſium ſuffragiis, qui longe plures, proſcripti ſunt; Clypei gentilitii pro more Scotorum lacerati è feneſtris domus Civicæ ejecti, atque

pro-

1594. proſcriptio à feciali publice promulgata. Dein contra eos miſſus eſt Argathelius: qui quum ad *Genlivet* juſto prœlio cladem accepiſſet, Rex ipſe difficillimi itineris moleſtiis conflictatus per aſperrimos montes in illas partes contendit, atque Huntleii ædes ad *Strathbolgy*, *Slany*, & *Newton* dirui permiſit. Eoque Comites adegit, ut Huntleius primum ad amitam Sutherlandiæ Comitiſſam, & inde in Galliam ſe ſubduxerit, ac reliqui ſolum verterint.

Eorum ſpes de Rege excuſſa.

Mutua hæc inter Reginam & Regem benevolentia, immota ejus in Religione conſtantia, quæ Pontificiorum nec pretio, nec precibus, nec promiſſis, nec ſubdolis artibus expugnari poterat, ſeveræ leges contra Jeſuitas & id genus hominum latæ, ſupplicium de Grahamo Fentræo inter Hiſpanicarum partium ſtudioſos promptiſſime ſumptum, ſuprema in rebus Eccleſiaſticis auctoritas Regi ab Ordinibus delata, & *Aſſociatio* contra Pontificios, ita omnem ſpem Pontificiam religionem in Scotia & Anglia reſtaurandi excuſſerunt, ut nonnulli eorum in Anglia qui matris juri inprimis faverant, de Pontificio Anglico in Angliæ regno ſubſtituendo cogitare cœperint. Quum de idoneo ex ipſorum numero convenire non poſſent, in Eſſexium, qui ſupplicium in Religionis cauſſa nunquam probavit, oculos conjecerunt, jus à Thoma Woodſtochio Edwardi tertii filio, à quo genus repetiit, commentati.

Hinc Pontificiorum in eum conſultationes.

Verum profugi Infantæ Hiſpaniæ ſtuduerunt, etſi vererentur ne Regina & Regni Ordines Parlamentaria auctoritate jurejurando ſingulis propoſito hoc præverterent, ſatiſque habuerunt ſi Scotorum Regem & Eſſexium committerent. & hoc quidem conſilio liber eſt editus, & Eſſexio dicatus ſub ementito *Dolmani* nomine non ſine inſigni Perſonii Jeſuitæ in Dolmanum ſedato [1] ingenio ſacerdotem malitia (ſi Sacerdotibus credamus.) auctores enim

Hinc Perſonius & alii eum oppugnant Libro edito.

1. *Non* ingenio, ſacerdotum *ut Elz. Sen.*

enim erant Perſonius Dolmano adverſarius infenſiſſimus, 1594.
Alanus Cardinalis, & Fr. Inglefeldus. In hoc, ſpreto natalium jure, antiquas leges patrias de hereditaria in Regno Angliæ ſucceſſione immutandas, novas de electione inducendas, neminem niſi [1] Romanè-Catholicum quacunque ſit ſanguinis propinquitate in Regem admittendum differunt. Pleroſque omnes Reges Angliæ tanquam malæ fidei poſſeſſores, ſingulos in Anglia è regio ſanguine tanquam vel minus legitime natos, vel regni incapaces contumelioſe traducunt, certiſſimum jus Regis Scotorum in Angliæ regnum iniquiſſime convellunt, juſque *Iſabellæ Infantæ* Hiſpani filiæ, quia illa [2] Romanè-Catholica, contabulatis commentis, pudet pigetque dicere, quum *labia Sacerdotum cuſtodirent ſcientiam, & ſtarent ſuccincti lumbos in veritate*, falſiſſime aſtruunt. Scilicet primum quia illa (ut iſto libro proditum) genus ducit à Conſtantia filia Guilielmi Conquæſtoris Regis Angliæ, uxore Alani Fergantii Comitis Britanniæ, quum tamen illam ſine liberis defunctam, qui tunc vixit, Guilielmus Gemeticenſis libro ult. teſtetur, & una cum eo una voce ſinguli rerum Britannicarum ſcriptores. Secundo quia genus trahit ab Ælenora primogenita Regis Henrici Secundi nupta Alphonſo IX. Regi Caſtellæ, Matildem autem uxorem Henrici Leonis Ducis Saxoniæ, matrem Othonis Quarti Imperatoris, primogenitam fuiſſe Innocentius III. P. R. edocet apud Matthæum Pariſienſem pag. 381. quam etiam anno M.C.LXII. natam fuiſſe ſcribit qui eandem è fonte ſuſcepit Robertus *Abbas de Monte Michaëlis*. Tertio quia deſcendit à Blanchia primogenita illius Ælenoræ; quod Rodericus Archiepiſcopus Toletanus libro 9. cap. 5. & qui potioris fidei Innocentius P. R. eodem ævo florentes falſitatis

Jus Infantæ aſtruunt.

Ex falſis.

1. Romano-Catholicum *Edd. priores.* 2. Romano-Catholica *Edd. priores.*

1594. arguunt. Quarto quia orta ſit ex Beatrice filia Henrici III. Regis Angliæ; interim obliti illam fratres habuiſſe Edwardum Primum Regem Angliæ, & Edmundum Comitem Lancaſtriæ, à quibus præter Regiam familiam magna nobilium natio in Anglia eſt propagata. Quinto eidem Infantæ jus aſſerunt per familiam Luſitanicam, ut etiam Ducibus Parmæ & Braganſæ à Philippa Joannis Gandavenſis Ducis Lancaſtriæ filia, quam primogenitam eſſe [1] è priore uxore Blanchia affirmant, (quum Elizabetham, enuptam Joanni Hollando qui poſtea Dux Exoniæ, primogenitam fuiſſe, Froſardus, qui eodem tempore in Aula vixit, folio 169. partis ſecundæ demonſtret, à quo numeroſa nobilium propago late in Anglia diffunditur.) Sed hæc & alia Genealogica ſomnia è crudis perfidiæ vaporibus enata, quibus liber ille ſcatet, jam antea refellimus, quæ illi ſuæ profeſſionis immemores, ſpreta auctoritate Concilii Tridentini *De ſecularibus negotiis fugiendis*, Conciliique Toletani, & ſuis ipſorum legibus ſuperiore Anno Romæ recenſitis, obtruſerunt, ut ab Hiſpano gratiam inirent, hominibus illuderent, tumultibus viam ſternerent, ſcalas ambitioſis in præcipitia admoverent; & veritati vim inferentes, quæſito Religionis integumento obvelarunt. Imo eouſque proceſſerunt ut Anglos Sacerdotes in Hiſpanicis Seminariis commentitio huic *Infantæ* juri (ex ipſorum fide loquor) ſubſcribere impulerint. Hæc tamen non ita pridem, quum Jacobus omnibus omnium votis Rex Angliæ acclamaretur, Perſonius iſte ad amicum litteris excuſavit, quaſi non profecta ex animo Regi Jacobo nocendi; ſed ex ſummo ſtudio [2] eum ad Rom. Religionem perducendi; excuſatumque ſe iri ſperavit, quod injuriæ illæ Regis juri non fuerint præjudicio, ſcilicet quod hæc ejus nequitia fuerit infelix. Sed dum iſti profugi falſam heredem in Hi-

Perſonius hæc excuſavit.

1. A priore *Ed. Lond.* 2. Eam *Elz. Sen.*

ſpania

ſpania comminiſcuntur, Deus, qui commenta eorum irriſit, Jacobo certo Regni Angliæ heredi filium in Scotia ſuſcitavit. Februarii enim XIX. natus eſt Henricus Princeps Scotiæ, Britanniæ amor & deliciæ, quem Elizabetha honorifica Legatione per Robertum Comitem Suſſexiæ è ſacro fonte ſuſcepit. 1594.

Henricus Princeps Scotiæ natus.

Ut eruditi iſti Angli profugi Hiſpanicam *Infantam* ad Angliæ ſceptrum ſcripto provehere ſtuduerunt, ita alii ex eorum numero idem ferro, ſubmiſſis in Elizabethæ vitam ſicariis, & Hiſpani quidam veneno clam attentarunt. Hi quum Anglorum fidem in re tanta ſuſpectam haberent, uſi ſunt opera Roderici Lopezii ex ſecta Judaïca domeſtici in Regia Medici, Stephani Ferreiræ Gamæ, & Emanuelis Loiſii Luſitanorum. (Plures enim Luſitani his diebus quaſi è clientela Antonii exſulantis, in Angliam ſubrepſerunt.) Qui ex interceptis litteris apprehenſi, ſub finem Februarii in Prætorio Londini accuſantur ex ſuis ipſorum confeſſionibus conjuraſſe ad Reginam veneno tollendam. Lopezius ſpectata diu fide, ne ſuſpectus quidem (niſi quod Medici peregrini corruptelis facile fiant venefici & proditores) confeſſus eſt, ſe inductum eſſe ab Andrada Luſitano, ut ſuam operam Hiſpano occulte navaret, ab ejus Conſiliario intimo Chriſtophoro Moro ornamentum gemmatum accepiſſe, Hiſpanum quæ ediſcere poterat ſubinde edocuiſſe, tandem pactione pro quinquaginta millibus aureorum promiſiſſe venenum Reginæ miſcere, & hoc idem Comiti Fuentano, & Ibaræ, Hiſpano à ſecretis in Belgio innuiſſe.

Inſidiæ in Reginæ vitam.

A Lopezio & aliis ſtructæ.

Eorum confeſſiones.

Stephanus Ferreira faſſus eſt, Comitem Fuentanum & Ibaram ſibi litteris & colloquiis ſignificaſſe, conſilium tollendi Reginam veneno initum eſſe, ſe litteras Lopezio dictante ſcripſiſſe, in quibus ille hoc [1] promiſit, ſi modo LM. aureorum numerarentur; Emanuelem etiam

1. Promiſerit *Edd. Belg.*

1594. Loiſium à Fuentano & Ibara ad ſe ſubmiſſum eſſe ut Lopezium ad rem quamprimum conficiendam excitaret.

Emanuel confeſſus eſt, Comitem Fuentanum & Ibaram, quum fidem dediſſet clauſa eorum conſilia habere, ſibi litteras monſtraſſe quas Andrada ſcripſerat Lopezii nomine de Regina tollenda; ſe itidem à Fuentano miſſum, ut cum Ferreira & Lopezio ad mortem Reginæ [1] accelerandam ageret, pecuniam Lopezio, & honores ejus liberis promitteret.

Pro tribunali Lopezius paucula fatus, Ferreiram & Emanuelem totos ex fraudibus compoſitos, & mendaces clamitat, ſe nihil mali in Reginam cogitaſſe, ſed Tyranni dona exoſum, ornamentum illud gemmatum ab Hiſpano miſſum Reginæ [2] monſtraſſe. Nec aliud quicquam ſibi in animo fuiſſe, quam Hiſpanum dolo decipere, & pecunia emungere. [3] Ad fidem faciendam etiam ea uſus eſt circumſtantia, quod Reginæ ſe in Syrupo venenum exhibiturum dixiſſet, quum ſatis (ut aiebat) notum eſſet, Reginam in cura corporis Syrupis nunquam uſam fuiſſe ſed ab iis magnopere abhorrere. Verum quum plane liqueret, idque ex confeſſione propria, eum, quum monile illud Reginæ monſtraſſet, nullam prorſus veneni mentionem feciſſe, ſed tantum per ænigma Reginam interrogaſſe, annon fraudem fraude tanquam laqueum laqueo intercipere liceret (quod tamen ipſum Regina ut prudens & cauta femina rejeciſſet, ſibique minime placere reſpondiſſet) quumque inſuper teſtatum eſſet eum ſerio de fuga facienda ſeque ad cognatum quendam & gentilem ſuum Salomonem Judæum qui Conſtantinopoli habitabat, & prædives erat, conferre deliberaſſe: Impoſtoris ei larva detracta eſt & proditoris meritò adhæſit.

1. Accelerandum *Ed. Lond.* 2. Donaſſe *pro* monſtraſſe *in Edd. pr.*
3. *Deſunt* ad fidem faciendam *&c.* meritò adhæſit *in Edd. priorib.*

Cæteri

Ceteri pro ſe nihil, Lopezium ſubinde coarguentes. 1594.
Singuli condemnati, & poſt tres menſes ſupplicio ad Tiburnas furcas affecti, Lopezio profitente ſe adamare Reginam perinde ac Jeſum Chriſtum, quod à Judaïcæ profeſſionis homine non ſine riſu exceptum. Poſtridie quam hi condemnati, damnatus etiam erat Patricius Cullinus laniſta Hibernicus, à profugis in Belgio onuſtus pollicitis & pecunia in viaticum numerata ſubmiſſus ut Reginam perimeret, qui, crimine quodammodo agnito & indiciis probato, jamjam ex languore moriturus ſupplicio afficitur. Apprehenſi etiam erant Edmundus Yorcus & Richardus *Williams* percuſſores ab Ibara & profugis iſtis in Reginæ exitium ſubornati, ut alii incendiarii ad claſſem pyrobolis incendendam. Ita profugi Angli tam Sacerdotes quam alii conſcelerati, ex impia opinione penitus animis inſita, Principes excommunicatos eradicandos eſſe, & Hiſpani adminiſtri ex odio, in Reginæ perniciem omnimode & acrius quam unquam antea incubuerunt. Illa autem imperterrita, maſcula [1] animi virtute, & provida cautione, ſpe Deo defixa, inſidias has contempſit, & ſubinde illud Regis Pſalmographi recoluit, *Deus meus es tu: in manibus tuis ſunt tempora mea.* Erneſtum tamen Auſtriæ Archiducem Belgicarum Provinciarum pro Hiſpano Gubernatorem has inſidias in ipſius vitam ab Ibara & aliis Hiſpani adminiſtris & profugis Anglis, comparatas edocuit, rogavitque Hiſpano ſignificaret quo ille ejuſdem ſceleris notam abſtergeret, in adminiſtros animadvertendo, & Anglos tantæ impietatis architectos, Hugonem ſcilicet Owenum, Thomam Throcmortonum, Holcum Jeſuitam, Giffardum, & Worthingtonum Sacrarum litterarum profeſſores &c. in manus tradendo, ne ejuſmodi ſceleratos fovendo regiæ exiſtimationi & honori apud omnes bonos fraudem faceret. Ne ille vero Antonium Perezium Hiſpano nuper à ſecretis,

Condemnatur.

Cullinus & alii ſupplicio affecti.

Elizabetha Hiſpanum hæc edocet.

Antonius Perezius Hiſpanus.

1. *Deeſt* animi *in Edd. priorib.*

1594. ſecretis, ob turbas quas in Aragonia dederat, profugum, & in Anglia hærentem repeteret, proteſtata eſt eum in Angliam à Gallo ad ejus Legatum miſſum eſſe [1] ipſa inſcia, nec penſione vel protectione fovere vel foturam. Illa ſane hominem qui contra fidem ſecreta Regis ſui evulgarat averſata eſt, & Burghleius Theſaurarius vix alloquio dignatus. Eſſexius autem hoſpitio excepit, & ſumptibus large ſuppeditavit, conſultore, imo oraculo uſus, ut in arcanis Aulæ Hiſpanicæ verſatiſſimo, & viro ſolertiſſimo, qui tamen, ut id genus hominum, fortunæ ludibriis ita agitatus, ut FORTUNÆ MONSTRUM ſe dixerit, & imagini pro Symbolo adſcripſerit.

Liga Gallica diſſolvitur. Torrentiſſimus ille conjurationis furor qui Galliam univerſam octo plus minus annos rapuerat, jam conſidere cœpit. Quum enim Rex, qui conjuratos armis feliciter [2] debellitarat, & artibus ſejunxerat, ſuperiore anno Romanam Religionem amplexus, ineunte hoc anno rite inauguratus eſſet, & inducias conceſſiſſet, è proceribus alii ingentibus promiſſis conciliati certatim in ejus obſequium redierunt, alii hac lege, ſi Præfecturas, quas occuparant, retinendas permitteret (quemadmodum Hugo Capetus Præfecturas hereditario poſſidendas ad animos procerum demerendos olim donaverat.) Hinc ex rebellibus urbibus aliæ deditæ, [3] aliæ expugnatæ, aliæ ex improviſo interceptæ. Ipſa etiam Lutetia Regi clandeſtino in urbem vocato, feſtivo cum civium gaudio deditur, & Hiſpani ſpe Gallici Imperii & nuptiarum *Infantæ* cum Guiſio ex Mainii in nepotem æmulatione omnino excuſſi, inde cum ſarcinis nec ſine probroſis reſipiſcentium Gallorum dicteriis dimittuntur. At quum qui à duce Mercurei in Britanniam vocati animos obſtinarent, & ad poſſeſſionem retinendam loca maritima

1. *Deeſt* ipſa *in Ed. Lond.* 2. Debilitarat *in Edd. priorib.* 3. *Deſunt* aliæ expugnatæ *in Edd. priorib.*

[1] firmiſſime præſidiis munirent, Norriſius, qui è Britannia evocatus erat ut præſens Reginam de Britannico Bello perdoceret, in Britanniam remiſſus cum mandatis, ut Hiſpanorum munimentum ad *Crodon* prope Breſtam portum expugnaret, ad Pimpolam cum nova militum manu Kalendis Septembris appulit. Quo tempore Aumontius Mareſcallus, & Thomas Baskervillus qui Anglis, abſente Norriſio, præfuit, Morlaium obſederunt, &, Norriſio adveniente, deditione ceperunt; atque etſi ex pacto cum Legato Gallico in Anglia conveniſſet, ut ſi in [2] deditionem redigeretur, Anglis in receptum traderetur; Aumontius tamen ut hoc præverteret, adjecit inter deditionis articulos, ut nemo niſi qui Romano-Catholicus in oppidum admitteretur. Inde Quinpercorentino per Mareſcallum & Henricum Norriſium capto, Galli & Angli munimentum illud Hiſpanorum ad *Crodon* Kalendis Novembris accedunt, ubi Martinus Fourbiſherus cum decem Anglicanis navibus bellicis in ſtatione præſtolabatur. Munimentum hoc duabus ex partibus aquis circumluitur; ad terram duo prominent ampla propugnacula, inter quæ murus XXXVII. pedes latus intercurrit; denſus interius agger, propugnacula à latere rupes defendunt, in quibus tormenta diſpoſita. Angli & Galli tormentis muralibus è navibus ſubductis, moles aggerunt vallumque ducunt qua munimentum terram ſpectavit. Hiſpani ad impedienda opera proruentes rejecti; Antonius autem Wingfeldus tribunus Major Anglorum, veteranæ militiæ gloria clarus, quum teſtamentum pridie condidiſſet, majoris tormenti pila transfoſſus occubuit. Die menſis XXIII. 700. tormentorum effulminationibus exiguus fit hiatus, & ſepimentum antemurale disjectum, quod Liſterus Anglus cum ſuis occupavit. Sed quum alacris juventus, ardentibus animis ulterius irrueret, hoſte

1594. Norriſius in Armoricam rediit.

Morlaium captum.

Angli eluſi.

Quinpercorentinum captum.

Munimentum prope Crodon obſeſſum.

1. Firmiſſimis *in Edd. priorib.* 2. Ditionem *Ed. Lond.*

perti-

1594. pertinaciſſime reſiſtente, plures ceciderunt cum [1] Prudero, Jackſono, Barkero, notæ virtutis ductoribus, multi vulnerati, multique pyrio pulvere periculoſe afflati. Norriſium aliqui arguebant quaſi ſanguinis humani prodigus milites periculis temere objiceret. Certe Regina pro innata miſericordia litteris juſſit ut militum ſaluti magis quam honori conſuleret, nec ſuos in auxiliari hoc bello certis periculis objectaret, ſanguine humano non prodige utendum, projectam bellicoſorum pro gloriola audaciam potius coërcendam quam in diſcrimen præcipitandam. Ita homines ejus prudentiam minus deſiderarent, immiſericordiæ non condemnarent, & illa charitatem in ſuos magis laudaret. Verum hæ litteræ ſerius allatæ. Obſidione fervente viſum eſt Aumontio & Norriſio propugnaculum orientale, qua Galli egerunt, cuniculis actis ſubruere. quod ſucceſſit, hiatuſque ſatis magnus apertus. Nunc undique munimentum invadunt. Lathamus, Smithus, & alii cum Anglis occidentale propugnaculum adorti, dum Galli orientale & ceteri murum interjectum à meridie ad horam quartam oppugnarent. Angli tandem propugnaculo illo occidentali potiti, & Thoma de *Parades* Hiſpanorum Præfecto cæſo munimentum ingreſſi vexilla diripuerunt & reliquis aditum fecerunt, qui præſidiarios plus minus cccc. occidione occiderunt, & munimentum ſolo æquarunt, quo die Joannes *d'Aquila* opem allaturus erat. Nec incruenta Anglis victoria, pluribus viris fortiſſimis deſideratis, & Martino Fourbiſhero in coxendice glande ſauciato, qui quum Plimoutham claſſem reduxiſſet, diem obiit, vir fortiſſimus, conſultus & navali gloria inter noſtri ævi clariſſimos numerandus, ut ex his, quæ ſupra dixi, plane conſtat.

Munimentum captum.

Fourbiſherus periit.

---

1. Brudero *Edd. priores.*

Haud

Haud ita poſt comperto Hiſpanos quoſdam ductores 1594. in Hiberniam ad rebellionem concitandam veniſſe, Norriſius è Britannia revocatur. Naves quæ tranſveherent, quum ad Morlaium appellerent, portu ſunt prohibitæ, adeo ut hiberno cœlo mari ſe committere denuo cogerentur, & ad *Ruſco* ſtationem minus tutam appellere. Quod eo ægrius ab Aumontio Regina tulit, quod ille Morlaium in deditionem acceptum Anglorum auxiliis deberet. Non ſolum in Gallia ſed etiam in disjunctiſſima [1] America Hiſpanis hoc tempore bellum intulerunt Angli. Richardus enim Hawkinſus filius celeberrimi Claſſiarii Joannis Hawkinſi, auctoritate ſub magno Angliæ Sigillo ad Hiſpanos in illis partibus infeſtandos accepta, cum tribus navibus & ducentis claſſiariis anno ſuperiore ſolvit. Ad *Inſulam S. Annæ* primum terram attigit; ubi dum ſuis languentibus tres menſes hæſit, è navibus minima fortuito deflagravit. Inde è regione *Rivi Argentei* navem Luſitanicam cepit: famaque ejus adventus in Peruiam perlata, Prorex claſſem ad intercipiendum apparavit. Fœda deinde tempeſtate altera ex navibus in Angliam rediit, quod præfectus non impune tulit.

Norriſius è Britannia revocatur.

Richardi Hawkinſi in Americam navigatio.

Ille ſolitarius longius à littore abreptus ad latitudinem L. Grad. incidit in terram fertilem, nemoroſam, & portuoſam, quam per ſexaginta leucas ab Occidente in Septentrionem protenſam legit, donec vento reflante rejectus *Magellanicum* quod vocant *fretum* ſub finem Januarii hoc anno ingreſſus, nihil aliud eſſe quam mare inſuloſum deprehendit, in quo ad LVI. Grad. latitudinis devenit. Poſtquam ſeſquimenſem inter has inſulas & incertos æſtus non ſine multis & magnis periculis deerraſſet, in apertum mare eluctatus, ſextus apud Hiſpanos

Magellani fretum ſuperat.

1. America Angli Hiſpanis h. t.b. intulerunt. Richardus &c. Edd. priores.

1594. numeratur, cui ſuperati hujus freti gloria ceſſit. Jam in mari Auſtrali Chilinum littus prætervectus ad *Villa-pariſſam* quinque naves mercibus onuſtas occupavit, unam cum nauclero abduxit, reliquas duobus Ducatorum millibus numeratis dimiſit, quum pluris quam viginti millibus æſtimarentur. *Ad Aricam* poſtea contendit: ubi Bertrandus *à Caſtro*, à Prorege cum octo navibus [1] emiſſus, primum ſuo damno, armamentis deficientibus, aggreſſus eſt, iterumque ab omni apparatu inſtructior in Sinu *Attacame*, nec meliori quidem ſucceſſu. Pugnatum enim cominus acriter, multis utrinque cæſis, adeo ut Hiſpani conſultius exiſtimarent jam inde eminus tormentis impetere & perforare. Quod quum totum triduum inceſſanter feciſſent: Bertrandus miſſa chirotheca libertatem Regis nomine Hawkinſo & ceteris, ſi ſe dederent, obtulit. Quam conditionem quum ipſe & plerique omnes graviter vulnerati & diutius reſiſtendo impares accepiſſent; Bertrandus illis comiter uſus eſt. Sed quæſtio oriebatur, an fides illis ſervanda, an Bertrandus, qui non *Generalis* à Rege, ſed à Prorege mediate delegatus, poſſet fidem Regis nomine dare Richardo, qui à ſua Regina immediate auctoritatem acceptam exhibuerat? Tandem in hanc ſententiam abierunt plures, fidem Regis nomine datam ſervandam eſſe, quandoquidem ille non pirata, ſed legitimus hoſtis; nec Hiſpanus alias leges militares in Auſtrali Mari habere poterat quam quæ ſunt ceteris alibi conſonæ.

Deprædatur.

Capitur.

Nihilominus Hawkinſus in Hiſpaniam miſſus ibi aliquot annos in carcere detentus, Bertrando magna cum probitatis laude, ſed nequicquam interpellante ut fides, quam dederat, ſervaretur. Verum viſum Hiſpanis, ad deterrendum ne alii in Auſtrale mare penetrarent, hanc ſeveritatem adhibere; donec Comes Mirandæ Conſilii

In Hiſpaniam mittitur.

1. Emiſſis *Ed. Lond. & Elz. Sen.*

Præſes

Præſes pronunciaret, illum dimittendum, eo quod in rebus bellicis promiſſa, à Regiis Ducibus deliberate ſub conditione facta, ſint ſervanda, alias neminem deditionem unquam facturum. 1594. *Liberatur.

At ſecundiore fortuna in altera Americæ parte cum Hiſpanis conflixit Jacobus Lancaſterus à Londinenſibus quibuſdam mercatoribus, quorum bonis Hiſpani manum injecerant, cum tribus navibus & phaſelo oblonga emiſſus.

Ille enim [1] viginti novem Hiſpanorum naves cepit, &, adſcitis in ſocietatem Venouro Anglo, quibuſdam Hollandis & Gallis in illo mari deprædantibus, *Fernambucam* in Braſilia, ubi magnas opes ex naufraga Indiæ Orientalis Caraqua expoſitas intellexerat, aggredi ſtatuit. Fernambuc capitur à Lancaſtero.

Quum vero hoſtes in littore confertos videret, lectiſſimos ex Anglis in ſcaphas impoſuit; eaſque remis incitatas tanta violentia ut dirumperentur in littus impingi juſſit. Quod quidem fortiter ſuſceptum, feliciter ſucceſſit. Eorum etenim virtute hoſtibus ad ſuperius oppidum compulſis, oppido inferiore cum portu potitus eſt, totoſque triginta dies contra varias & ſubdolas artes & inſultus, colloquium omne abnuens, defendit, ignita machinamenta contra naves eluſit, & opibus Caraquæ, quam dixi, ſaccharo præterea quod hic copioſiſſime ex arundinum dulciſſimo humore excoquitur, ligno rubro, quod hinc *Braſilium* dictum & ad pannos tingendos expetitum, atque goſſipio, quindecim plus minus naves oneravit, & ſoſpes domum rediit.

Neſcio an hoc memoratu ſit dignum niſi in juventutis ambitioſæ documentum. Nicholaus Cliffordus & Antonius Schirleius Angli juvenes Equeſtri dignitate tam animoſe ſub Rege in Gallia meruerant, ut illos præſtito ex formula jurejurando in Torquatum S. Michaëlis Or- Honor an ab exteris collatus admittendus?

1. Triginta *Edd. priores.* * Deliberatur *Edd. Elz.*

1594. dinem adſciverit. Cujus ornamentis quum in Angliam reverſi per urbem & aulam perſpicue volitarent, Regina commotior, quod, ipſa inconſulta, alterius Regis Ordinem, tanquam alterius ſubditi, jurejurando præſtito recepiſſent, in carcerem conjecit. Nec tamen in illos ex lege agi voluit pro ſua clementia, ipſorum juvenili inſcientia, & ſingulari ſua erga Gallum benevolentia, qui tantum honorem illis detulit. Juſſit autem, ut, reſignatione facta, inſignia remitterent, & curarent ut ex Ordinis illius commentariis nomina delerentur. Quod quum audiret, lepide dixiſſe fertur; *Ut Regina parem mihi gratiam reponat, velim illa aliquot ambitioſulos Gallos quos in Anglia proxime viderit, in Arthurianæ Rotundæ Menſæ ordinem cooptet.* Ordo enim ille fabellis decantatus olim exoleverat, ut pridem Sancti Michaëlis in Gallia confuſione temporum adeo eviluit, ut Nobilis Gallus dixerit: *Sancti Michaëlis torquem quondam fuiſſe tantum Nobiliorum virorum inſigne, nunc eſſe omnium animalium collare.* Sed de honore ab exteris [1] collato alius erit dicendi locus.

Alani Cardinalis mors.

Romæ ſub hoc tempus fatis conceſſit Guilielmus Alanus vulgo dictus Cardinalis Angliæ, de quo ſubinde meminimus. Natus ille in Comitatu Lancaſtrenſi honeſta familia, & quæ aliquot clariores cognatione complexa: educatus in Collegio Orialenſi Oxoniæ, ubi, Maria regnante, Procurator fuit Academiæ, & poſtea in Eccleſia Eboracenſi Canonicus. Statim atque Religio in Anglia mutavit, ſolum vertit, Duaci in Flandria, ubi Academia anno M.D.LXII. incepta, Theologiam profeſſus, & Canonicatu in Eccleſia Cameracenſi donatus. Seminarium Duaci Anglis inſtituendum curavit, ut alterum poſtea Rhemis, (ubi etiam Canonicatum accepit) tertium Romæ, aliaque duo in Hiſpania ad conſervandam Ro-

1. *Deeſt* collato *in Edd. priorib.*

manam

mariam in Anglia Religionem, præ cujus zelo & chari- 1594.
tatem in patriam & officium in Principem exuit, & impulit Hiſpanum & Pontificem Romanum ad Angliam expugnandam, eoque nomine pernicioſis conſiliis ſe immiſcuit, poſtquam Sixtus Quintus Pontifex Romanus eum titulo Cardinalis *S. Martini in Montibus*, & Hiſpanus Abbatia in regno Neapolitano ornaſſet atque ad Archiepiſcopatum Machlinienſem nominaſſet. Bullam enim Excommunicationis in Reginam quum claſſis illa ingens Angliæ immineret, in Belgium attulit typiſque Anglice edi curavit. Simulque Admonitionem ad Anglos ſcripſit ut Romano Pontifici & Hiſpano adhærerent. Verum ſpe falſus Romam rediit, ubi mutua profugorum Anglorum tam ſtudioſorum quam nobilium diſſidia & odia pertæſus exſpiravit anno ætatis LXIII. Sepultus in Eccleſia Anglorum Sanctæ Trinitatis. Scripſit Latine de Euchariſtia, Anglice Apologiam pro Seminariis, alteram pro Catholicis Anglis, tertiam pro Guilielmo Stanleio, qui Daventriam Hiſpanis prodidit, Admonitionem quam dixi, & librum de Purgatorio, nec alia vidi.

Animam etiam hoc tempore Deo reddidit Joannes Piers Archiepiſcopus Eboracenſis, Theologus magnus & modeſtus, qui diu Reginæ fuit ab eleemoſynis. Succeſſit Matthæus Huttonus ab Epiſcopatu Dunelmenſi tranſlatus. J. Piers Archiepiſcopi Eboracenſis.

Ferdinandus Stanleius Comes Derbiæ, de quo ſuperiori anno dixi, ſub principium hujus anni, diris doloribus, crebris ferruginei coloris vomitibus excruciatus, non ſine ſuſpicione veneni in juventutis flore exſpiravit. Reperta in cubiculo cerea imaguncula, ventre crinibus eodem colore quo ejus crines transfixo, ſuppoſita, ut prudentiores judicarunt, ad veneni ſuſpicionem amoliendam. Ejecta per vomitum argenteos [1] pelves ita infece- * Comitis Derbiæ.

* Comitis Derbiæ mors *Ed. Lond.* 1. Pedes *Edd. priores. Quin & in Ed. Sen. Elz.* interfecerunt *pro* infecerunt.

runt,

1594. runt, ut nulla arte priſtinum nitorem receperint, & cadaver quamvis ceratis linteis obvolutum, & plumbo intectum, ita corruptiſſimis & fœtidiſſimis humoribus defluxit, ut ſepulturæ locum nemo longo tempore accedere potuerit. Suſpicio non parva cecidit in Hippocomum, qui ſimul ac Comes decubuerit, equo optimo arrepto aufugit. Succeſſit in Derbiæ Comitatus honore Guilielmus frater, inter quem & tres Ferdinandi filias quum lis orta eſſet de *Inſulæ Manniæ Dominio.* Regina gnara profugos Anglos & Hiſpanos in illam oculos conjicere; ejuſdem Præfecturam Thomæ Gerardo Equiti aurato ob perſpectam fidem & vicinitatis rationem commiſit, donec diſceptaretur. Interea Juriſperiti Regii qui ſunt ſolertiſſime perſpicaces, ex juris apicibus inculcarunt jus ejuſdem Inſulæ ad Reginam ſpectare, Stanleioſque & Derbiæ Comites cc. jam annos nullo jure poſſediſſe. Eo quod (ut paullo altius repetam) Henricus IV. ſtatim atque regnum occupaſſet, Guilielmo Scropo Manniæ Inſulæ Domino proſcripto, Henrico Percio Northumbriæ Comiti eandem donavit. Ille ſexto poſt anno rebellionis ſignum ſuſtulit. Hinc anno inſequente idem Rex Joanni Stanleio ad vitam *Litteris Patentibus* conceſſit, quum Northumbriæ ille Comes nondum auctoritate Parlamentaria proſcriptus eſſet, nec bona Regi adjudicata. Poſt menſem inter Regem & Stanleium convenit, ut priores illæ Litteræ Patentes *ad vitam*, & aliæ quædam à Rege conceſſæ, redhiberentur, atque *cancellarentur*, & Inſula Stanleio & heredibus denuo hiſce verbis concederetur: *Nos pro eo quod dictus J. Stanleius eaſdem litteras Patentes nobis in Cancellaria noſtra reſtituit cancellandas, conceſſimus præfato J. Stanleio prædictam Inſulam &c.* Ex his verbis, & temporum notatione, quod priores illæ *Patentes* ad vitam conceſſæ fuerunt, priusquam Comes Northumbriæ proſcriptus eſſet,

De Mannia Inſula lites.

ſet, Juriſperiti pronunciarunt, Regem non potuiſſe ex 1594.
jure ad vitam concedere, quia eidem nondum adjudicata, & conſequenter *Patentes* poſteriores ex priorum redhibitione fundatas minime valere: Regem autem falſa ſuggeſtione deceptum fuiſſe, & proinde conceſſionem [1] irritam eſſe argumentabantur. Verum Regina hoc jure ceſſit, ut appareret illud potius ad competitores in ordinem redigendos, quam ad rigorem aliquem in medium adductum fuiſſe, & inter patruum & neptes tranſactio facta.

Vitam cum morte commutavit etiam Gregorius *Fienes* ſive *Fenis* Baro *Dacre* hujus cognominis poſtremus, & ideo memorandus. Ille homo ingenio imminuto abnepos erat Richardi Fienis è priſca familia Comitum Bononiæ, cui titulum Baronis Dacræi Henricus VI. & Edwardus IV. Reges Angliæ adjudicarunt, eo quod duxiſſet heredem femellam Thomæ Baronis Dacræi. Filius erat Thomæ Baronis Dacræi, qui periit regnante Henrico VIII. vix XXIV. annos natus. Quum enim homicidium factum eſſet à familiaribus ejus una cum eo venatum profecturis, cui tamen non interfuit, ille in quæſtionem vocatus, & perſuaſus ab aulicis [2] heredio ejus ſubdole inhiantibus, non poſſe ſuæ & ſuorum vitæ conſulere niſi crimen fateretur, & ſe Regis miſericordiæ ſubmitteret. Quod quum imprudens feciſſet, ille mox damnatus & perendie ſuſpenſus. Aulici tamen illi circumventores ſpe exciderunt. hereditas enim ſorori Margaretæ quæ Sampſoni Lennardo enupta ex jure obvenit, & titulus Baroniæ *Dacræi* eidem Margaretæ conceſſus, & Henrico Lennardo filio confirmatus.

Baronis Dacræi obitus.

---

1. Irritam eſſe. Verum Regina hoc jure ceſſit, & inter patruum & neptes tranſactio facta *tantummodo in Edd. priorib.* 2. Hereditati *Edd. priores.*

Nec

1594. Nec omittendi qui mortalitatem hoc anno vertente expleverunt, Guilielmus Baro *Evers*, Radulpho filio & herede ex Margeria Dimoca relicto; Egidius Baro *Chandos*, cui ſine maſculis defuncto ſucceſſit in dignitate Guilielmus frater; & Guilielmus Blountus Baro Montjoius corpore ex intemperanti adoleſcentia effœto, cui itidem ſucceſſit Carolus frater Portus Magni Præfectus.

Baronis Evers.

Baronis Chandos.

Baronis Montjoii.

Guilielmo Fitz-Williams Hiberniæ Proregi revocato, Menſe Auguſto ſufficitur Guilielmus Ruſſellus Franciſci Comitis Bedfordiæ filius natu minimus, poſtquam Henricus Dukus, & Edward. Herbertus, qui miſſi cum re annonaria & auxiliaribus ad ſublevandum præſidiarios in *Inis-Kellino* à *Mac-Guiro* obſeſſos, non parva clade à rebellibus profligati. Statim atque ille auctoritatis gladium accepiſſet, Tir-Oenius litteris publicæ fidei (*Protectionis* vocant) acceptis præter omnium exſpectationem adit, & ad genua procumbens ſcripto quam humillime culpam deprecatur, quod juſſus priorem Proregem non acceſſerat. Excuſat, quod adverſarii vitæ inſidias ſtruxerint; deplorat quod eorum delationibus Reginæ gratia exciderit, quam ſibi beneficentiſſimam fuiſſe, & ſicuti ad ſummum honorem extulerat, ita facillime poſſe deturbare & Hibernia ejicere, agnoſcit. Ut cauſſæ ſuæ æquitas juſto judicio libretur orat, quæcunque imperata fuerint, ſe lubentiſſime præſtiturum prolixe pollicetur in *Inis-Kellini* obſidione ſolvenda, & Inſulanis Scotis expellendis. Deos hominesque teſtatur, quamvis natura duce ſuæ vitæ contra adverſarios conſuluiſſet, nunquam tamen contra Regiam majeſtatem arma ſumpturum. Poſtremo omnibus obteſtationibus Proregem atque Hiberniæ Conſiliarios rogat, ut ad priſtinam apud Reginam gratiam recipiendam obnixe intercederent. Aderat Bagnallus Hibernici exercitus Mareſcallus, qui exhibitis articulis accuſavit illum ſubmiſiſſe

Guilielmus Ruſſellus Hiberniæ Prorex.

Cui Tir-Oenius ſe ſubmittit.

Qui à Bagnallo accuſatur.

Mac-

Mac-Guirum cum Gaurano Primate, quem dixi, in Conachtiam, clandeſtina conſilia cum *Mac-Guiro*, *O-Donello* & aliis conjuratis rebellibus ſociaſſe, illis per Cormacum *Mac-Baron* fratrem & Conum filium nothum in *Monaghan* devaſtando & *Inis-Kellino* obſidendo opem tuliſſe, [1] Capitaneumque de *Kilulto* & *Kilwarny* à fide in Principem minis abduxiſſe. Singula obfirmate pernegavit ille, & quaſi rectæ conſcientiæ præſidio tutus, profeſſus ſe litteris Protectionis renunciaturum ſi hæc probarentur. 1594.

Hinc inter Conſiliarios ſerio agitatur, an ille ad reſpondendum detineretur? Detinendum Prorex cenſuit, ceteri vel vano timore, ne publicæ fidei fraudem facere viderentur, vel prono in eum ſtudio, dimittendum, & rem in aliud tempus prolatandam: Quibus ut pluribus, & majori rerum Hibernicarum uſu Prorex invitus acquievit. Dimittitur itaque, accuſatoribus & teſtibus qui aderant non auditis. Quod Reginam inprimis anxiam habuit, quum ejus ſcelerata conſilia & facta ſingulis clare paterent, & ipſa Regina præmonuiſſet ut detineretur, donec objecta crimina dilueret. Egregiam tamen ſpem fidelis obſequii Conſiliariis tam Hiberniæ, quam Angliæ fecit, prompte pollicitus quæcunque fere propoſuerant, ſcilicet, fratrem Cormacum & ſuos ne Mac-Guiro & rebellibus auxiliarentur cohibiturum, Scotos Inſulanos pro viribus ex Hibernia expulſurum, *O-Donello* ut eadem faceret perſuaſurum, limites Prorege abſente cum ſua equitum ala defenſurum, Canonem ſive Compoſitionem pro re annonaria præſtiturum, carcerem ad *Dunganonem* erecturum, Vicecomitem & Juſtitiarios in Tir-Oenia certis quibuſdam conditionibus admiſſurum, & fidejuſſurum quod Turloughus Mac-Henry Scotos Inſulanos in Hiberniam non admitteret.

Dimittitur tamen.

Et magna pollicetur.

---

1. Capitaneoſque *Edd. priores.*

1594\. Prorex paullo poſt ad *Inis-Kellinum* obſidione liberandum profectus, fugatis rebellibus commeatum intulit præſidiumque firmavit. Deinde Feaghum *Mac-Hugh* in Lagenia rebellantem acriter exagitavit, & quaſi venatum profectus parum abfuit quin ceperit. Ex ædibus enim *Ballencuræ* in præruptas convalles quas *Glines* vocant expulit, ibidem præſidium locavit, emiſſæque cohortes adeo ſagaciter per aſpa & invia indagarunt, ut nulla fere dies abierit, quo præciſa rebellium capita pro gentis more non miſerint, Rhiſamque Feaghi uxorem animo ſupra mulierem virili ceperint, quæ in terrorem igni adjudicata, ſed ex Reginæ miſericordia vitæ parcitum. Ex alia parte Bagnallus à Prorege miſſus Caſtrum *Monaghan*, quod *Mac-Guirus* & *Mac-Mahon* arcte preſſerant, obſidionis periculo liberat, novamque militum manum imponit. Prorex autem Tir-Oenium dimiſſum nullo modo inducere poterat ut ad ipſum rediret, etſi ſæpius blandiſſime accerſeret, qui primo tergiverſatus quaſi ſibi à Mareſcallo timeret, mox quaſi obſequii immemor de induciis & pace tumide loqui cœpit, quæ Principes à ſubditis iniquiſſime audiunt. Adeo ut homines demirarentur quantum ab illo mutatus qui ſe tanta animi demiſſione modo ſubmiſerat.

Prorex rebelles perſequitur.

Glynnes.

Tir-Oenius, qui vir ſit, oſtendit.

M. D. XCV.

JAM & Regina & cum illa univerſa Anglia magnam lætitiam præ ſe apertiſſime tulerunt ob exploratam Scotorum Regis benevolentiam, & ſingulare pacis tuendæ ſtudium. Ille enim promulgato edicto juſſit ut delectus ubique per Scotiam haberentur ad obſiſtendum Hiſpanis, quos ingentem claſſem in univerſæ Britanniæ excidium comparaſſe audiverat. Ut facilius & felicius obſiſterent, ſuos hortatur ante omnia, ut privatas illas capitales inimicitias, quas Scoti præ ceteris gentibus atrociter

Rex Scotorum contra Hiſpanos parat.

Feudes, capitales inter ſe Scotorum inimicitiæ.

trociter inter ſe exercent, bono Reipublicæ deponerent. 1595.
Limitaneis (quorum nonnulli Hiſpano auro ineſcati in Angliam prædabundi irruperant, ut amicitiam inter Anglos & Scotos dirumperent) ſevere imperat, non ſolum ne quid hoſtile in Angliam molirentur, ſed amicitiam, quam arctiſſima inter Principes cognatio, ejuſdem Religionis profeſſio, & linguæ morumque ſimilitudo conjunxerant, ſtudioſiſſime conſervarent, niſi patriæ hoſtes declarari maluerint. In eandem fere ſententiam edicit etiam Regina. Quumque damna utrinque illata fuiſſent, convenit ut quidam utrinque delegarentur ad ea cognoſcenda, ut juſtitia & pax mutuo coleretur.

Proditores ſupplicio affecti.

Secundo anni menſe Edmundus Yorcus nepos ejus qui propugnaculum ad Zutphaniam prodiderat, & Richard. *Williams*, qui ſuperiori anno apprehenſi, ut jam dictum, læſæ majeſtatis pœnas ad Tiburnas luerunt. Yorcus enim faſſus erat, Holtum Jeſuitam, Hugonem Owenum, Jacobum de Franceſco & alios exhibuiſſe aſſignationem XL M. aureorum Ibaræ Hiſpani manu ſubſignatam, ſi ipſe Reginam perimeret, aut Richardo illi *Williams* in perimendo opitularetur. Aſſignationem iſtam apud Holtum in depoſito eſſe; cum ſacra hoſtia oſculata juraſſe pecuniam repræſentandam ſtatim atque cædes peracta; & ad peragendum Yorcum & Williams jurejurando, & Euchariſtiæ ſacramento obſtrinxiſſe. Inſignis ſane exſtitit his temporibus (ut ſupra dixi) in hujuſmodi ſceleratis molitionibus profugorum nequitia, dum alii ſicarios ad parricidium excitarent, alii lucro inhiantes ad ſcelera patranda ſe offerrent, & empti pecunia ſtatim manifeſtarent; aliique inter ſe infidi alios in exitium quaſi aliud agentes præcipitarent, [1] ſe mutuis dolis irretirent, & falſis nonnunquam mendaciis onerarent.

Gallus bellum Hiſpano indicit.

Gallus jam apud ſe conſtituit bellum Hiſpano indi-

1. *Deeſt* ſe *in Edd. priorib.*

1595. cere, qui Galliæ ſceptrum transferre conatus, exitiale bellum in Gallia concitarat, & Cameracenſes ſub Galli protectione aſſiduis excurſionibus infeſtarat. Hoc ille per litteras Reginæ ſignificat, rogatque ut rationem iniret qua bellum contra Hiſpanum [1] junctim perſequerentur, ſimulque conqueſtus eſt, revocationem Anglorum è Britannia ſibi damnoſam, hoſti fructuoſam futuram. Illa conſilium belli indicendi laudat, quod felix fauſtumque ſit optat. Reſpondet ſe tam aperte bellum adverſus Hiſpanum terra marique geſſiſſe in Belgio, Hiſpania, Luſitania, & America, ut univerſo orbi ſit teſtatiſſimum: Si vero tantundem Gallus præſtitiſſet offendendo, qui hactenus tantum ſe defenderat, Hiſpanum neutri officere potuiſſe. Anglos neceſſario è Britannia revocatos docet quod in Hibernia rebelliones ingruerent, nec ex pacto illis diutius in Britannia manendum fuiſſe, Hiſpanis jam è munimento ad Breſtam ſubmotis. Illos ibi male habitos, promiſſa auxilia non adjuncta, &, Morlaium in receptum quod pacto convenerat non conceſſum, iterum queritur.

Quod Angliam edocet.

Quamprimum Gallus & Hiſpanus claſſicum ceciniſſent, bellum luctuoſum in Luxenburgenſi agro & Picardia exarſit, Caſtelletum & Dorlantium ab Hiſpanis capiuntur, atque Cameracum oppugnatur. Chevalerius à Regiis Conſiliariis in Angliam miſſus efflagitat, ut auxiliares cohortes intra xv. à litteris datis dies Picardiam tranſmitterentur; quum ipſe in itinere duodecim contriviſſet, & tantum tres dies ad militem conſcribendum & tranſmittendum ſupereſſent. Sine mora tamen delectus militum expeditur, qui ad Caletum, Bononiam, Diepam & maritima oppida tranſmittendi, ſi opus, idque Regi per Rogerum *Williams* & præfectis oppidorum quæ dixi, feſtinato ſignificatur. Simulque Regii in

Illud exardet.

Illa ſuppetias mittit.

1. *Deeſt* junctim *in Edd. priorib.*

Britannia

Britannia Conſiliarii ſubſidium eo mittendum per litteras 1595.
vehementius rogant. Quum autem illi nec numerum, nec in quem uſum, perſcriberent, nec locum receptui aſſignarent, nihil definite reſpondere poterat.

Rumores jam nequaquam obſcuri, ſed clara & una omnium voce ex ſingulis Europæ partibus perferebantur, Hiſpanos numeroſiore quam antea claſſe ad Angliam expugnandam jamjam oram ſoluturos. Unde per maritimas Angliæ regiones exquiſiti delectus habiti, qui ad littora excubarent conſtituti: claſſes binæ apparatæ; altera contra illos in Mari Britannico; altera ad Americam ſub Hawkinſo & Draco. Singuli ad bellum ſe accinxerunt, quiritantes, tot fortiſſimos viros, qui patriæ egregiam operam navare poterant, & tantam vim pecuniæ in Gallia periiſſe, (47243. enim aureis Solatis navalis ad Breſtum expeditio conſtitit, in copias etiam impenſa ſub Eſſexio ſupra 200640. præter pecuniam mutuo datam,) mœrenteſque mulieres, filios & fratres occiſos in hæc tempora non reſervatos novo dolore recurſante ingemuerunt. Inter hæc Lomeneius è Gallia advolat, & quamvis Cameracum captum non diſſimularet, urget tamen ut cohortes auxiliares illico in Picardiam tranſmitterentur, & poſtea delegati aliqui qui de belli ratione tractarent. Quod quum præpoſterum & Reginæ & Conſiliariis videretur, ille impatientior Cameracum amiſſum Reginæ imputavit, dictitans illam Regis miſeria lætari & inde adacturam ad pacem cum *Hiſpano* quamprimum conficiendam. Reſpondit illa extemplo præſens præſenti, & mox per litteras & Thomam Edmundium qui tunc Legati locum gerebat, ſe ægerrime ferre Cameracum amiſſum eſſe, ægrius hoc ſibi à Lomeneio imputari, quia ſubſidia ex Anglia non miſſa fuerint. Ea ex temporum anguſtiis mitti non potuiſſe demonſtravit, nec prudentiæ eſſe triumphanti hoſtium exercitui

Contra Hiſpanos parat.

Majores ſuppetias Gallus petit.

Illa reſpondet.

1595. ercitui (Gallis ſemel atque iterum profligatis) objicere, ne populi ſalutem omnino negligere videretur; Tantum abeſſe ut illa Regis miſeria [1] lætaretur, eum inde ad pacem cum communi hoſte adactura, ut nec ipſe Rex nec alius quiſpiam vel ſuſpicari poſſit, ſi in memoriam revocarit, quæ & qualia amicitiæ officia erga ipſum præſtiterit. Promiſit jam inde omnem opem & operam quantum poſſet, quum una eademque quaſi nave jactarentur; Nec quenquam ſuam induſtriam adverſus Hiſpanum [2] communem hoſtem poſſe requirere, quæ ex quo is odium in Anglos induerat (nec alia de cauſſa quam quod illa tyrannidis jugo vicinos liberare voluerit) nunquam deſtitit terra marique vires infringere & alio deflectere; & jam totam in hoc eſſe, ut contra illum & claſſem & exercitum emitteret, ideoque juſte excuſandam, ſi non illico opituletur, niſi Angliam & Hiberniam auxiliis orbatas hoſtibus ingruentibus exponeret. Quod Galli nonnulli inſuſurrarent, quaſi illa de Regis conſtantia dubitaret, aut res ejus ſecundas iniquis oculis intueretur, proteſtata eſt, hujuſmodi cogitationes, ut Principe indigniſſimas, animum nunquam ſubiiſſe, quæ ejus in amicitia conſtantiam perſpectiſſimam habeat, & cui omnia ad voluntatem fluentia ſemper ex animo [3] optet.

A Gallis objecta diluit.

Præterea juſſit Edmundium hæc ſerio Regi inculcare. Regum eſſe inprimis & ſuſtinere & abſtinere privatim in plurimis contra animi ſententiam, ut publice populo ſatisfaciant, & ſecuritatem præſtent, quum populi benevolentia ſit maximum Regum firmamentum. Quod quum Rex ipſe prudentiſſime [4] facit, neceſſarium ut ipſa itidem faciat, & nihil omittat ad populum ſibi chariſſi-

Gallum amice admonet.

1. Lætaretur, & inde ad p. c. c. h. adacturam, ut n. i. R. n. a. quiſpiam hoc vel ſ. poterit, [*l.* potuerit] ſi in *&c.* *Ed. Lond.*
2. *Deſunt* communem hoſtem *in Edd. priorib.* 3. Optavit *Ed. Lond.*
4. Faciat *Edd. priores.*

mum

mum conſervandum: pro cujus obſequio, fide, & forti- 1595.
tudine ſe plurimum divino numini debere agnovit. Quæ & Gallia teſtetur ubi fortiter & fideliter ſanguinem plurimi [1] profuderint, & ſane plures profunderent, ſi lugubres matrum, liberorum & proximorum lamentationes non intercederent, ut paullulum reſpirarent: præſertim hoſte & Angliæ & Hiberniæ jam minaciter imminente. Quæ ſi Rex æquo animo perpenderet, ſe non dubitare quin hæc reſponſa æqui boni conſulat, & illis aures occludat, qui, in communis hoſtis bonum, amicitiam diſſuere ſatagunt, & diſſuendo utrique perniciem moliuntur. Hoc ſingulare quorundam eſſe ſtudium, ut malis artibus Principes & ſubditis fortiſſimis & reliquorum benevolentia ſpolient. Ut hujuſmodi tamen artibus ille adigeretur, pacem cum Hiſpano inire non habita Angliæ ratione, (quod Lomenius iteraverat) quia ex Anglia auxilium non erat ſuppeditatum, ſe neutiquam credere poſſe. Imo certo noſſe, illum tantum Principem, dum exiſtimationi conſulat, vota reminiſcatur, & Anglorum merita non obliviſcatur, tam periculoſam, & indignam [2] cogitationem non ſemel admiſſurum, quam in altero infra inferos amandandam cenſeret. Sin à conjuratis Pontificiis eo deduceretur, quod Deus avertat, ſe tamen ſperare ſuperni numinis auxilium Angliæ minime defuturum. Ceterum quum viderit quorſum Hiſpanicus apparatus evadet, auxilia lubenter adjuncturam eſſe quanta commode potuerit, ne adverſarii jam inde, ut antea, fructum ex illius neceſſitate ſibi percipiant. Hæc Edmundius, & poſtea Henricus Untonus Legatus Ordinarius in Galliam reverſus fuſe explicarunt.

Verum enimvero Galliæ malis indies ingraveſcentibus, plurimi Regem ad pacem cum Hiſpano paciſcen- Gallus ad pacem cum Hiſpano ſuadetur & diſſuadetur.

1. Profuderunt *Ed. Lond.* 2. Cogitationem in ſe non admiſſurum, *Edd. priores.*

1595. dam incitarunt, perſuadentes Reginam nihil niſi inani ſonitu aures paſcere. Deterruerunt alii, inprimis [1] Margareta Navarra Regis ſoror, Dux Bullioneus, & Untonus Legatus [2] proponentes, imbecillam ſpem pacis cum Hiſpano futuram, qui Navarram avitum regnum tam diu detinuerat, Galliam diſturbarat, & ſibi deſtinarat, Britanniam Minorem quaſi hereditatem filiæ vendicarat atque eidem jus commentitium in Angliam contra illud Regis Scotorum exploratiſſimum editis libris [redacted], adeo ut Europæ monarchiam ſpe [3] vaſta devoraſſe videretur.

Regina illi diffidit. Quum Rex his aures clauderet, Regina ejus fidei diffidere cœpit, maxime poſtquam ex Cardinalium Collegio certo intellexiſſet, eum à Pontifice Romano in gremium Romanæ Eccleſiæ *cum benedictione* admiſſum fuiſſe non aliis quam his legibus & hiſce verbis; *Abjurabit omnes hæreſes, & fidem Catholicam profitebitur, in forma quæ fiet hîc per Oratores. Introducet fidem Catholicam in Principatum Bearnæ, & nominabit Magiſtratus Catholicos in eadem Provincia. Curabit intra annum educere de manu hæreticorum Principem Condæum, quem curabit Catholice inſtitui & educari. Publicabuntur & recipientur decreta Concilii Tridentini in univerſo Regno Galliæ. Ad Eccleſias & Monaſteria* [4] *vacantia nominabuntur perſonæ integræ & Catholicæ, & ab omni ſuſpicione hæreſis immunes. Præſtabit omnem operam, ut Eccleſiæ & Clerus redintegrentur ad bona occupata ſine ullo proceſſu judiciali. In demandandis Magiſtratibus & dignitatibus curabit, ut Catholici tantum præficiantur, & quoad fieri poterit Hæretici arceantur. Obſervabuntur Concordata, ſublatis abuſibus, qui adverſus*

1. Catharina *pro* Margareta *in Edd. priorib.* 2. Propoſuerunt *Elz. Sen. qui & plena diſtinctione poſt* ſoror *utuntur.* 3. Vaſte *in Edd. pr.* 4. Vacanti *pro* vacantia *in Edd. priorib,*

illa

illa irrepſerunt. Abſolutio in Gallia ab Epiſcopis præſtita damnabitur. Scribet ad univerſos Principes Chriſtianæ Reipub. litteras, quibus ſuam converſionem, abjurationem, & fidei Catholicæ profeſſionem ſignificabit. 1595.

Hiſpani Angliam invadunt.

Dum hæc aguntur, Hiſpani Duce [1] Didaco Brochero cum IV. triremibus ex oppoſita Armorica ſolventes in Cornubiam primo diluculo menſe Julio appulſi, S. Pauli Eccleſiam in agris ſolitariam, Mous-holum, id eſt, Muris-ſpeluncam, Neulinum & Penſanſum Piſcatorum viculos ex improviſo incenderunt, & mox ne uno quidem cæſo aut capto ſe receperunt: primique & poſtremi erant Hiſpani, qui hoſtilem in Anglia exſcenſionem fecerunt.

Raleighus Guaianam quærit.

At majora contra Hiſpanos quidam Angli privatè, & Regina publice aggreſſi ſunt. Walterus enim Raleighus Regii Satellitii Præfectus, honoraria Reginæ virgine vitiata (quam poſtea in uxorem duxit) de gratia dejectus & per plures menſes cuſtodia detentus, nunc liber factus, ſed ab Aula relegatus, genio ſuo obſecutus, qui ad remotas regiones explorandas & abdita naturæ indaganda totus ferebatur, navigationem ad *Guaianam* auriferam ab Hiſpanis decantatam ſuſcepit, quam & patriæ honori & uſui futuram ſperavit, tum ad opes comparandas, tum ad Hiſpanum in interioribus Americæ regionibus gravius infeſtandum, quod commodius fieri poſſe exiſtimavit, quam in ora maritima, ubi oppida nunquam opulenta niſi quum opes ad ea convehantur ut in Hiſpaniam tranſferantur.

Ejus navigatio.

Plimoutha itaque ſolvens die VI. Februarii *Trinidadam* Inſulam VIII. citra Æquatorem Grad. die XXII. Martii appellit, urbeculam *S. Joſephi* dictam, & Præfectum Antonium Bereum facile capit. Sed ne nummum quidem argenteum reperit. A Bereo, qui auri fodinas in *Guaiana* ſedulo quæſierat, multa ſciſcitatus, nave in

1. Dudaco *Edd. priores.*

1595. *Trinidada* relicta, cum lembis & c. militibus vaſtum illud & plurium oſtiorum flumen *Orenoquo* ingreſſus *Guaianam* indagat per cccc.mill. paſſ. inter anfractuoſa brevia & aquarum divortia repercuſſis verticalis Solis radiis torrefactus, imbribus permadidus, pluribuſque difficultatibus conflictatus, donec cœlo menſe Aprili hibernante, aquis ſuperinfuſis omnia quodammodo ſtagnarent, ut neceſſario nec ſine periculo revertendum eſſet. Si plura deſideres, elegantem ipſius hac de re librum conſulas, in quo & regiones accurate quaſi indigena deſcribit, multa de *Guaianæ* opulentia ex ſplendentibus marcaſitis ibi inventis, ex Hiſpanicis ſcriptis, ex barbarorum fide, quos minime intellexit, & ſpe credula, nonnulla etiam quæ fabuloſa videntur de Amazonibus, & [1] gente cui ex humerorum prominentia vultus in pectore, enarrat. Sed quod nuſquam gentium Poëtæ & peregre navigantes reperiunt. In reditu Cumanam, quia incolæ numerata pecunia redimere abnuerunt, ſuccendit, item caſulas ad *S. Mariam* & *Rio de la Hach.* Nec deſtitit poſtea, magnis impenſis ſemel atque iterum cœptum perſequi, licet Hiſpanus ut impediret in *Trinidada* coloniam conſtituerit.

Angli Oceanum Occidentalem infeſtant.

Iiſdem diebus Amias Præſtonus & Somerius Inſulam *Portus Sancti* prope Maderam, *Cohe* prope *Margaritam*, Coros oppidulum, urbeculam S. Jacobi de *Leon* diripiunt, & Cumanæ accepta pecunia parcunt. Ante paucos etiam menſes tres naves Comitis Cumberlandiæ adortæ erant ingentem *Caraquam* à quinque Chriſti vulneribus denominatam, quæ fortuito igne dum pugnatur cum omnibus mercibus deflagravit, incendiumque ita late ſe diffudit, ut Angli vix evaderent, quum Luſitani ſe in undas præcipitarent. Hæc & alia à privatis geſta.

In Americam expeditio.

Regina vero edocta, magnam vim opum ad *Portum Ricum* in Inſula *Boriquena*, ſive *S. Joannis* convectam

1. Gentem in *Edd. priorib.*

eſſe

eſſe in Hiſpani uſum, ut intercipiendo belli nervos hoſti 1595.
præcideret ſimulque in alio orbe bello diſtineret, Joannem Hawkinſum & Franciſcum Dracum pari cum auctoritate in re navali, & Thomam Baskervillum terreſtribus copiis Præfectum eo mittit cum ſex navibus Regiis & xx. aliis bellicis. Hi è Plimoutha vela dederunt pridie Calendis Septemb. Viceſimo ſeptimo poſt die ad *Canariam Magnam* appulerunt. Hanc expugnare, & in gloriam, & in uſum ad claſſem copioſius re annonaria inſtruendam cenſuit Dracus, & Baskervillus: contra Hawkinſus, qui claſſem ſatis inſtructam eſſe aſſeruit, nec temporis jacturam faciendam, donec quod ſuſceptum perficeretur. Perſuaſus demum à Baskervillo, qui quatuor diebus [1] expugnare in ſe receperat, & à Claſſiariis cibariorum inopiam cauſſantibus, aſſenſit. Baskervillus autem terram conſcenſurus perſpecta difficultate oppidanis ad pugnam paratis, & mari ad littora furente, incepto deſtitit. Inde [2] toto menſe navigantes ad Inſulam *Dominicam* devenerunt. Quo tempore quinque Hiſpanicæ naves emiſſæ ad Anglos obſervandos, & opes à *Portu Rico* avehendas, inciderunt in actuariolam Anglicam à reliquis aberrantem. A cujus navarcho & nautis eculeo admotis, quum intelligerent Anglos *Portum Ricum* cogitare, eo velis remiſque tendunt, Anglos adventare docent, aurum argentumque occultant, miſſiſque celocibus per omnes Inſulas & Oram maritimam Hiſpanis idem ſignificant, qui jam præmoniti ſatis muniti. Angli in Inſula Dominica actuariolas ædificantes moram traxerunt, ſeriuſque ad *Portum Ricum* appulerunt. Ubi ſtatim atque anchoras in ſtatione jeciſſent, è molibus effulminatum eſt, & inter cœnandum Nicholaus Cliffordus vir Equeſtri dignitate & Brownus pilo læthaliter vulnerati poſt unum & alterum diem obierunt, eodem-

Canaria fruſtra tentatur.

Et Portus Ricus.

1. Expugnare inceperat, *Edd. priores.* 2. Tota *Cod. Rawlinſon.*

1595. que die Hawkinſus ex ægritudine,ſimultatibus inter ipſum & Duces exortis exſpirans triſte ſui deſiderium claſſiariis reliquit. Hiſpani portus oſtium ingenti nave demerſa obſtruxerant, à qua malos prælongas utrinque ad caſtellula quæ aditum communiunt tranſverſas duxerant. Interius quinque illæ Hiſpanicæ naves ſaburratæ ſclopetariis completæ & majoribus tormentis inſtructæ, oppoſitæ ſteterunt: nihilominus Baskervillus militibus in acatia & lembos impoſitis aditum vi aperire conatus, ex Hiſpanicis navibus unam & alteram incendit, ſed glandium procella ſuperfuſa multis cæſis rejecto impetum redintegrare haud lubuit. In continentem inde delati *Rio de la Hach* oppidulum, cujus incolæ XXXIIII M. ducatorum in redemptionem obtulerunt, igne injecto incenderunt, ut viculos aliquot circumſitos; deinde S. Martham, in qua ne gruma auri vel argenti reperta. *Nombre de Dios*, incolis & opibus vacuum, inde ceperunt & cum omnibus navigiis igne abſumpſerunt. Hinc cum DCCL. armatis militibus, *Panamam* verſus profecti. ſed quum uno & altero die per vias anguſtiis impeditiſſimas & luto madidas eluctati eſſent, hinc inde è ſilvis glandibus creberrimis impetiti, & in ipſis anguſtiis munimentum objectum offendiſſent, cujuſmodi & altera duo viam interius occludere intellexerant: ad naves laſſati, inediaque confecti numeris acciſis redierunt. Ad *Scudo* Inſulam jam vela verterunt, & inde ad *Portum Bellum*. Interea XXVIII. Januarii die F. Dracus dyſenteria cruciatus, atque ægritudine ex adverſis ſucceſſibus fatis conceſſit, [1] nautico funere in mare tormentis diſploſis demiſſus, eo fere loci ubi primum fatis monſtratus ſecundis ſucceſſibus inclareſcere cœpit. De quo ſi plura velis, vide quæ in anno M.D.LXXX. ſcripſi. Revertentibus ad auſtrale latus Cubæ juxta Pinorum Inſulam occurrit

J. Hawkinſus moritur.

Oppidula capiuntur.

Panamam verſus itur.

Fr. Dracus moritur.

1. Et nautico *Ed. Lond.*

claſſis

claſſis Hiſpanica quæ præſtolabatur,ſed prima impreſſione 1595.
Baskervillus & Throughtonus,hic in nave Proprætoria,ille in Prætoria ita Hiſpanos proturbarunt, ut parvo damno accepto & majore (ſi qua ipſis fides) illato evaſerint. Demum poſt octo menſes in Angliam cum præda ſatis tenui redierunt, poſtquam pauca oppidula, ſed plurima navigia incendiſſent. Hiſpani enim in America, qui diu disjunctiſſima loci longinquitate tuti, poſtquam ſæpius à Gallis & Anglis eo penetrantibus magna damna perpeſſi erant, ſe firmius operibus & bellico apparatu communierant.

Claſſis ægre reducitur.

Dum hæc in Occiduo orbe Angli attentarunt, controverſia quædam, ſed animo minime inimico inter Reginam & Ordines Confœderatos antea exorta in hunc modum [1] paullatim invaluit, & paullatim evanuit. Burghleius Theſaurarius Reginæ demonſtraverat quanta vis pecuniæ ab anno M.D.LXXXV. in Belgicum bellum fuiſſet effuſa, quanta vis auri & argenti ex Anglia in Belgium tranſmiſſa, ibidem quæſtuoſo compendio ab Ordinibus recuſa, & nunquam relata, quanta fortiſſimorum Anglorum multitudo in eorum cauſſa abſumpta: quantæ etiam expenſæ ad Hibernicum incendium reſtinguendum, & Hiſpani molitiones amoliendas neceſſario conferendæ: Præterea quo modo Reginæ ope Ordines ſe defenderant, hoſtes majorem in modum offenderant, Rempublicam antea vacillantem conſtituerant, facultates commerciis, & potentiam nonnullis territoriis adauctis plurimum adauxerant, proximoſque ſublevarant. Illa belli diuturnitate & expenſarum magnitudine quodammodo feſſa hæc eadem Ordinibus per Thomam Bodleium Legatum Ordinarium monſtravit: Inprimis Angliam viris militaribus & opibus eſſe admodum exhauſtam ex diuturno bello contra Hiſpanum, quem non alio quidem

Pecunia ab Ordinibus repetita.

Auctore Burghleio.

1. Paullatim invaluit, & *omittunt Elz. Sen.*

37876

nomine

1595. nomine hoſtem habet, quam quod eis in ſummo diſcrimine ſuppetias tulerit. Popoſcit igitur, ut expenſarum onere pro copiis auxiliaribus levarent, partem aliquam expenſarum rependerent, & quoſdam delegarent qui rationes inirent, quo modo univerſa pecunia eorum cauſſa expenſa, & Horatio Pallavicino debita, (cui gravem uſuram jam diu dependerat) tandem refunderetur.

Ordinum reſponſum. Ordines tot & tanta Reginæ beneficia agnoſcendo prædicarunt, eidem poſt Deum omnia ſecunda accepta retulerunt: Verum proteſtati ſunt, ſe, qui tantam pecuniam anno M.D.LXXXVIII. contra claſſem Hiſpanicam, anno ſequente in expeditione Luſitanica, poſtea in Breſtana erogarant, atque ex inſolita inundatione damna longe graviſſima nuper pertulerant, non ita ab opibus paratos eſſe ut nomina ſolvere poſſent, niſi miſellum populum opprimerent, & ſuam cauſſam jugularent: ex territoriis adjunctis, & oppidis hoſti ereptis tantum abeſſe ut expenſæ leventur, ut eadem communiendo, novaque præſidia collocando potius multiplicentur. Commercia magnis jacturis expoſita eſſe & fuiſſe ex arreſtationibus in Hiſpania, necnon per Anglorum & Dunkircanorum deprædationes. Fatentur ſe Galliarum Regem ſublevaſſe non ex opum affluentia aut inſolenti oſtentatione; nec ut Anglia neglecta, ad ejus patrocinium confugerent: ſed ut hoſtem diverterent, & impedirent ne ille pacem cum Hiſpano componeret, quo indigentia, domeſtica diſſidia, & prava conſilia facile impellerent.

Partem offerunt. Nihilominus partem aliquam pecuniæ repræſentare promiſerunt.

Diſceptatur acriter. Quum illa majorem poſtularet, illi ex contractu anno M.D.LXXXV. contenderunt, pecuniam non repræſentandam priuſquam bellum finiretur, nec à pacto reſiliendum ſi Regina ſuo conſulat honori.

Contra cenſuit illa ex his Juriſconſultorum & Politicorum

corum oraculis: *Omnes contractus cum Principe intelliguntur admittere interpretationem bonæ fidei, neque Princeps tenetur ex ſuo contractu quando ex juſta cauſsa contractus cedit in publicum detrimentum. Pax non rumpitur ſi Princeps recedat à pacto ſuo quando ex novi caſus contingentia id fiat, vel quando res devenit ad novum caſum, de quo fuiſſet aliter proviſum ſi fuiſſet cogitatum. Fœdera & pactiones Principum cavillari non debent, neque violantibus pacta debent obſervari. Princeps contractui celebrato in cauſſa reſpiciente ſtatum ſuum non tenetur ſi in præjudicium & detrimentum ſubditorum vergat. Omnis conventio quantumvis jurata, intelligitur rebus in eodem ſtatu permanentibus, non autem illis mutatis. Fortius quis obligetur Reipublicæ, quam propriæ promiſſioni.* Atque ex Senecæ auctoritate, *Non mutat ſapiens conſilium omnibus his manentibus quæ erant quum ſumeret. Ideo nunquam illum pœnitentia ſubiit, quia nihil melius illo tempore fieri potuit quam quod factum eſt, nihil melius conſtitui quam quod conſtitutum.* His de rebus multæ, variæ argutæque fuerunt diſceptationes, uti etiam, An Ordines tenerentur aliquid Reginæ ſucceſſoribus ſolvere, (ſi quid eidem humanitus acciderit) quum ex contractu nec hi opitulari, nec illi ſolvere obſtringantur? Atque an æs illud alienum Pallavicini nomine exactum, non ſit à Brabantis, Flandris & Arteſiis potius exigendum, quandoquidem contractum fuerit, dum illi confœderati, & ante hanc Provinciarum hodie Unitarum confœderationem? Bodleius autem Ordines eo tandem perduxit, ut tantæ principis iracundiam formidantes hujuſmodi conditiones proponerent. Se velle Reginam quamprimum levare omnibus expenſis, quas in auxiliares Anglorum copias facit (ſcilicet 40000. lib. ſingulis annis.) Vicies mille librarum ſterlingarum ad aliquot annos perſolvere, certo navium numero adjutare,

1595.

L. 4. de beneficiis cap. 134.

cum

1595. cum nullo pacem aut tractatum habere niſi illa conſentiente. Poſt pacem confectam C M. libr. in quadriennium ſingulis annis numerare. His tamen legibus, ut illis permittantur IV M. militum in Anglia, & quæcunque debeantur ex tabulis omnino diſpungantur. Hæc ut admitterentur, ſupplices rogarunt ex rationibus quas dixi. Inſuper res ſuas admodum ancipiti loco eſſe docuerunt, populo attonito ex hoſtis potentia, qui tot jam exercitus alit, Provinciis de canone pecuniæ collatitiæ diſcordantibus, primoribus ſimultates inter ſe exercentibus, multis à Religione recepta deficientibus; Imperatore populum ad pacem per Legatos pelliciente; adeo ut ſi hoc debitum decennale jam acerbius exigeretur, verendum ne miſeranda Cataſtrophe in Confœderatis Provinciis ſubſequeretur. Regina excuſationem ex inopia audire noluit, ex commiſeratione [1] ceteras admiſit, ne videretur eorum Confœderationem velle diſſolvere, in deſperationem adigere, aut hoſtibus triumphandi cauſſam præbere: dummodo tamen XXX. naves inſtructas claſſi, quam jam in Hiſpanum apparabat, adjungerent, & pecuniam menſtruam auxiliaribus Anglis aliquantiſper ſuppeditarent. Ita hæc controverſia ad annum M.D.XCVIII. quaſi conſopita jacuit.

Controverſia ſopita.

Hanſeaticorum contra Anglos querelæ.

Interim in Germania Hanſeaticæ Civitates apud Imperatorem & Imperii Ordines conqueruntur, privilegia de vectigalibus olim ab Angliæ Regibus indulta antiquata eſſe, bona ſua in Luſitanica expeditione adempta, & Monopolia mercatorum Anglorum in Germania inſtituta.

Reſponſum.

Ad hæc per D. Chriſtophorum Perkinſum Regina reſpondet. *Privilegia illa propter abuſum & alias rationabiles cauſſas regnante Edwardo Sexto, auctoritate Parlamentaria, à qua nulla provocatio, refixa eſſe, utique temporibus non accommoda: conceſſa, ſcilicet, quum res*

1. *Deeſt* ceteras *in Edd. priorib.*

mercatoria & nautica apud Anglos jaceret, ideoque eorum 1595.
uſum regnante Maria omnino fuiſſe inhibitum. Reginam non quæſiſſe omnimodam privilegiorum abolitionem, quod ex lege Parlamentaria jure poterat, ſed primis regni annis alia nonnulla iis aliquandiu, ut temporum rationes tulerunt, indulſiſſe, donec ipſi Anglos ne quidem præmonitos Hamburgo, nulla amicitiæ ratione habita, nulla ex cauſſa exturbarunt: poſtea tamen ſtatuiſſe easdem negotiandi rationes, quibus Angli utantur, concedere: illos vero omnino recuſaſſe niſi meliori jure uterentur. Quum nec alicubi conſuetum, nec ferendum ut alienigenæ in earum rerum commercio, quæ cuique regioni peculiares, indigenis præferantur, quod ex illis privilegiis vendicant. Præterea Remp. conſiſtere non poſſe, ſi non alia vectigalia quam quæ ante trecentos annos impoſita, ab Hanſeaticis nunc exſolvantur, Privilegia in Reipub. detrimentum conceſſa admittantur, & juſtis de cauſſis olim antiquata ad preces cujuſpiam denuo revocentur. Ut pari tamen fere jure cum Anglis eſſent, in Cæſareæ Majeſtatis gratiam ſubinde obtuliſſe. Scilicet in ſolutione vectigalium pro pannis hinc evectis, & mercibus è Civitatibus Hanſeaticis invehi ſolitis non amplius perſoluturos quam naturales. Quod ſi vellent merces aliunde, nimirum ex Hiſpania & Belgio, in Angliam invehere, licebit eis perſolventibus unum denarium pro vectigali in qualibet libra minus quam alii exteri, pannis ſolummodo exceptis, quos non liceret Hanſeaticis tranſportare in alia loca, niſi Hanſeatica ultra flumen Amaſim & urbem Emdanam verſus Orientem & Mare Balticum. Permiſiſſe etiam illis ædes ſuas Londini, & alibi in Anglia, retinere, ac honeſta diſciplina gubernare ſocietatem per Aldermannum ſuum, modo nihil fiat in præjudicium Majeſtatis Reginæ & legum regni; quamvis in nullo privilegiorum contineatur eos poſſe Aldermannum per ſe

1595. *conſtituere aut conſtitutiones facere, & juriſdictionem in alieno regno exercere, &c. Bona quæ queruntur adempta, fuiſſe bellicum apparatum, quem in Hiſpaniam contra Angliam tranſvecturi erant, quum tamen hoc ex privilegiis non liceret; & ne facerent publice, per eorum Urbes denunciatum eſſe, niſi hoſtium loco haberi vellent. Naves eorum eſſe dimiſſas, & nihil præter apparatum illum detentum fuiſſe, quod jure belli & Regni inſtitutis ſemper licuit. Ad Monopolium quod attinet, ipſi Germani publicis ſcriptis teſtantur, Anglorum negotiandi rationem apud eos longe à Monopolio abeſſe. Sperare itaque, mandatum Auguſtanum de Anglorum commerciis inhibendis, quod Hanſeatici impetraverant, ſuſpendendum eſſe, maxime quum Imperii Ordines cognoſcere non poſſint de Privilegiis, aut aliis quibuſcunque ad jura regni Angliæ ſpectantibus, quod Regnum abſolutiſſimum ſuperiorem agnoſcit nullum.* Inter hæc tamen ex Hanſeaticis civitatibus magna vis frumenti in Angliam invecta (poſtquam à Regina permiſſum, ut quilibet ſine vectigali inveheret) rem annonariam plurimum levavit, quæ continuis æſtate pluviis & clancularia evectione adeo ingraveſcebat, ut nonnulli ex infima plebe Londini tumultuari cœperint.

Annona levatur.

Comes Arundeliæ obiit.

Fatis hoc tempore conceſſit in Arce Londinenſi Philippus Howardus Comes Arundeliæ, qui mitem Reginæ ſeveritatem expertus; ex quo M.D.LXXXIX. condemnatus, totus in meditationibus defixus, [1] quaſi arctiſſimo religionis inſtituto aſtrictus, auſtero vitæ genere ſe maceravit, Thoma unico ex Anna Dacrea [2] Gilleſlandia filiolo ſuperſtite. In libera etiam cuſtodia diſceſſit Guilielmus Baro Vaulxius Romanæ religioni non minus devotus, cui ex filio & Elizabetha Ropera Edwardus nepos

Et Baro Vaulx.

1. Qui *pro* quaſi *in Edd. priorib.* 2. *Non* Gilleſlandia, *ut in Edd. priorib.*

tenellus

tenellus ſucceſſit. Hos comitatus eſt Thomas Heneageus, qui Elizabethæ ab adoleſcentia famulatus, primum ſacri Cubiculi Theſaurarius, deinde Vicecamerarius, & Ducatus Lancaſtriæ Cancellarius, vitæ elegantia & feſtivi ſermonis lepore ad aulam natus, unica filia relicta, quæ Finchorum familiam opibus atque numeroſa prole & felici adauxit. 1595. Tho. Heneageus.

Extremo anni menſe Guiliel. Whitakerus Theologus pietatis & doctrinæ ornamentis cumulatiſſimus, Regius Theologiæ in Academia Cantabrigienſi [1] XVI. annos Profeſſor & Collegio S. Joannis ibidem Præfectus, corpore ſtudiis attenuato, quum quæſtio, *An fides vera & juſtificans amitti poſſit*, Theologos ibi exerceret, humano carcere liberatur, magno ſui deſiderio Academicis relicto, quibus voce, vitæ exemplo, & ſcriptis plurimum profuit. Guiliel. Whitakerus.

Eodem menſe ex hac vita emigravit Rogerus *Williams* Cambrobritannus, Eques auratus, qui ex familia de *Penroſe* in Monumethenſi agro, primum mercenaria arma ſub Duce Albano circumtulit, poſtea omnibus militaris diſciplinæ muneribus feliciſſime perfunctus, clariſſimis noſtri ævi ducibus adæquandus ſi pugnacis animi ardorem cautiori prudentia temperare noſſet. In hoc certe pluribus præcelluit, quod litterarum rudis & ſolum uſu edoctus, Belgicorum bellorum, quibus interfuit, hiſtoriam erudito judicio ſcripſit, & Artem Militarem jam receptam contra illam ſuperioris ævi, non ſine veteranorum & Toxophilorum invidia, libro ſingulari aſſeruit. Funeri in templo Paulino interfuit Eſſexius atratus & quotquot erant in urbe viri militares. Altero poſt funus die Th. Morganus, qui Rogero cognato morienti adfuit, è vivis etiam exemptus. Ille item Cambrobritannus, Eques auratus, & ætate provectior, ex inſigni familia Morganorum de *Pencarn* in eodem agro natus, qui Et Rogerus Williams. Thomas etiam Morganus.

[1] XV. *Edd. priores.*

1595. bellicis ſtudiis ab ineunte ætate innutritus, magnam laudem ex militari virtute & animi moderatione apud omnes, ſed majorem apud Reginam ex intemerata fide

Ejus fides. conſecutus, poſtquam aſſignationem magnæ pecuniæ ſub Hiſpani manu ei factam, ut in ſuas partes pelliceret, Reginæ in manus tradiderat, modico quod ab illa accepit ſtipendio contentus.

Ruſſellus Hiberniæ Prorex ex his, quæ ſub finem anni ſuperioris diximus, belli tempeſtatem ingruentem proſpiciens per ſuos in Anglia ſedulo egit, ut aliquis rei militaris gnarus tranſmitteretur, qui ſibi conſilio & opera præſto adeſſet; & ex omnibus Baskervillum præoptavit,

J. Norriſius in Hiberniam mittitur.

licet hominem non nominarit. Miſſus autem eſt, quem minime exſpectavit, Joannes Norriſius ad militarem diſciplinam exercitatiſſimus, ad pericula fortis, & rerum geſtarum gloria celebris. Statim atque Tir-Oenius audierat, illum cum veteranis mille trecentis, qui in Britannia Minori Belgioque meruerant, & novo militum ſupplemento ex Anglia adventare, Angloſque jam *Balliſhononam* & *Belyck* caſtra ad exitum Lacus Earni cogitare, ipſe ſibi male conſcius propugnaculum ad *Blacwater*, per quod ad Tir-Oeniam provinciam aditus, ex improviſo adortus, deditione capit, Edwardo Cornwallo Præfecto negligenter abſente. Eodemque fere momento varius & animo æſtuans, per litteras opem ſuam Comiti Kildariæ contra injurias miniſtrorum Proregis offert, Comiti Ormondiæ & Henrico Wallopo exercitus Quæſtori ſe in fide permanſurum promittit, Proregem, Joannemque Norriſium per litteras obſecrat, ut mitius ſecum agatur nec in fidei præcipitium invitus protrudatur. Verum has litteras Bagnallus Mareſcallus intercepit, & ut iſi Comes poſtea conqueſtus eſt, in ejus maximum damnum ſuppreſſit.

Tir-Oenius propugnaculum ad *Blacwater* capit.

Animo æſtuans.

Statim enim menſe Julio hoſtis patriæ & proditor

Edicto

Edicto Anglice & Hibernice declaratur nomine Hugonis 1595.
O-Neal filii Matthæi [1] *Fadarough*, id eſt, Fabri-ferrarii, nothi Coni *O-Neal*. In Edicto primum proponitur ejus in Reginam ingratitudo, quæ illum inopem penſione annua ſuſtentaverat, ad Comitis honorem evexerat, latifundiis ſupra Hiberniæ Comites locupletaverat, injuriam in vicinos, & barbaram crudelitatem in Shani *O-Neali* filium (quem indicta cauſſa ſtrangulaverat) condonaverat. Deinde, quam indigne ille alios Shani filios vinculis aſtrictos in carcere teneat, & quam perfide Ultoniæ Dynaſtas in rebellionis ſocietatem pellexerit. Poſtremo venia promittitur illis, qui eum deſerent, monenturque univerſi & ſinguli ne auxilium rebellibus quovis modo præſtent.

Hac tempeſtate numerabantur apud rebelles in Ultonia plus minus mille Equites, Pedites VI M.CC.LXXX. & in Conachtia II M.CCC. qui omnes erant etiam ad Tir-Oenii nutum, & ex his quamplurimi rei militaris non ignari, utpote armis exercitati, ex quo ſingulis Dynaſtis Ultoniæ Perottus Prorex numeros præſcripſerat, qui armis exercerentur ad reſiſtendum Scotis Hebridianis, vel Belgico verſati bello, quos ille conſilio in poſterum improvido eo tranſmittendos curaverat, vel à *Fitz-Williams* Prorege in Anglicam militiam allecti. Nec minor in Anglorum copiis numerus ſub Norriſio, qui contra rebelles movere juſſus ad ſubſidium ex Hiſpania exſpectatum prævertendum. Illi enim ſumma rei militaris auctoritas cum titulo *Generalis exercitus in Proregis abſentia in Ultonia*, & abſoluta quibuſcunque retunlibus condonandi poteſtas à Prorege ex Reginæ mandato (ut minori cum Proregis contumelia fieret) delata fuerat, neſcio quo conſilio, ſed pleriſque admirantibus, quandoquidem tota vis imperii in unius conſiſtat im-

Rebellium vires.

Norriſius in Tir-Oenium movet.

1. Fadareugh *Edd. priores.*

perio,

1595. perio, & bicipiti imperio nihil monſtroſius, nihil exitioſius. Prorex tamen ei ſe adjunxit, tantoque rebellium terrore ad Armacham uſque proceſſerunt, ut Tir-Oenius, munimento ad *Blacwater* derelicto, villas circumvicinas oppidumque *Dunganon* igne injecto incenderit, ædes ibi ſuas magna ex parte ſubruerit, & jam de ſe conclamatum ingemiſcens latebras cogitarit: quum illi non ulterius progreſſi, quod à commeatu non ſatis inſtructi, (hinc etenim plures in Hibernia expeditiones ſucceſſu caruerunt) conſtiterunt, & Tir-Oenio proditore in ſuo ipſius territorio declarato, atque præſidio in Armachana Eccleſia Metropolitana relicto, reverſi ſint. Revertentes ſedulo obſervavit ille, & è longinquo ſe ſubinde oſtendit. Præſidium tamen ad *Monaghan* firmarunt. Quumque jam prope *Dundalkiam* ventum eſſet, Prorex bellum Norriſio proſequendum, pro ea quam acceperat auctoritate, commiſit, multiſque utrinque verbis habitis officio pleniſſimis Dubliniam ſe recepit, rebuſque Lageniæ, Conachtiæ & Momoniæ provide proſpexit.

Et una Prorex.

Tir-Oenium terrent.

Et revertuntur.

Norriſius cum juſto exercitu in Ultonia manſit, nec quicquam exſpectatione dignum geſſit: ſive ex æmulatione in Proregem, (quæ ex aula inſigni ſimulatione pernicioſe alebatur) dum hic parem, ille ſuperiorem non ferret: ſive ex militarium virorum artibus, quibus bellum trahi placet; quandoquidem haud ulterius æſtimantur quam dum ſunt uſui: ſive ex favore quo tantum in Tir-Oenium ille propendit, quantum Prorex in odium. Dum enim Tir-Oenio & ejus fautoribus aurem porrigeret, Proregem ſubaccuſavit ut Tir-Oenio iniquiorem, eo quod nullam cum eo pacem ineundam cenſeret. [illegible] Prorex quidem ſibi perſuaſerat, Tir-Oenium nihil [illegible] moras nectere, dum ex Hiſpania ſubſidia exſpectaret, ideoque colloquia & inducias cum eo, ut inſidioſa & pernicioſa ſemper averſatus; nec litteras nec nuncios à proditore

Simultates inter Proregem & Norriſium.

proditore declarato admittendos, ex Regia majeſtate & ſuo honore ratus. Norriſius contra credulus, ſpem optimam eum ad pacis conditiones perducendi conceperat, uſque adeo ut ad colloquium admiſerit; cunctis demirantibus, tantum bellatorem cum proditore declarato in colloquium prius quam in certamen deſcendiſſe. Ceterum verſutus ille ſpem iſtam aluit, ſubmiſſionem ſimulatam ſuoque chirographo obſignatam exhibendo, & in genua provolutus coram Norriſio & Fentöno Secretario veniam orando: Proteſtando etiam, *ſe non ex malitia vel ambitione obſequium in Principem optime meritam neglexiſſe; ſed ſuos, ex injuriis ſibi immerito illatis & inſidiis in vitam ſtructis, ulciſcendi avidos, in rebellionem proruiſſe. Hoc primum in Majeſtatem fuiſſe peccatum, quod fideli obſequio & ſuo ſanguine eluere promiſit, ſimulque titulum* O-Neäli, *quem arripuerat, ne alii in ſuam fraudem uſurparent, renunciare: nec ſibi aliquid cum Hiſpano jam inde futurum, (quocum nihil ſibi ante menſem Auguſtum fuiſſe affirmavit,) modo hæc miſericordia & oblivione tranſiliantur, & plenaria venia ſibi & ſuis impertiatur. O-Donellus* itidem ſe ſubmittit. Hinc induciæ ad Kalendas Januarii duobus obſidibus traditis pactæ. Paulloque poſt Feaghus *Mac-Hugh*, eadem ſimulationis larva, lugubri ejulatu ad Proregis pedes procidens, veniam expoſcit, & in tutelam receptus, aliquandiu quietus egit.

1595.

Tir-Oenius Norriſio ſe ſubmittit.

Hinc induciæ.

Obſervarunt prudentiores, hoc colloquium, haſque & hujuſmodi inducias, Reginæ admodum damnoſas exſtitiſſe. Rebelles enim liberum interea tempus nanciſcuntur ad occulta conſilia concoquenda, ad partes foris novis fœderationibus firmandas, & domi novis viribus augendas. In dies enim pravi undique ſe conſociarunt, dum Anglorum copiæ maximo impendio deſides otio torperent,

Quæ in Hibernia damnoſæ.

1595. torperent, & fidelium agros depaſcerentur, quum per inducias in hoſtico agere non liceret.

M. D. XCVI.

INEUNTE Januario, quum induciæ jam exiiſſent; etſi ſubdolis rebellium artibus Caſtrum Monaghan interim fuiſſet occupatum: Henricus Wallopus Exercitus in Hibernia Quæſtor, & Robertus Gardinerus Juſtitiarius primarius, viri graviſſimi & perſpecta prudentia, miſſi ſunt, qui cum Tir-Oenio, O-Donello, & ceteris rebellibus, colloquium haberent, & ad pacem perſuaderent. His illi ſua gravamina & petitiones ſeorſim exhibuerunt.

Colloquium cum rebellibus.

Tir-Oenii querimonia.

Tir-Oenius querebatur, Henricum Bagnallum Mareſcallum fructum laborum ſuorum intervertiſſe; mendaciis & malis artibus de Reginæ gratia, & quodammodo de gradu dejeciſſe; litteras ad Proregem, Norriſium & alios, in grave ipſius præjudicium intercepiſſe, & ſuppreſſiſſe; atque dotem uxori ſuæ aſſignatam detinuiſſe: proteſtatus, ſe cum exteris Principibus, priuſquam proditor eſſet declaratus, nunquam egiſſe. Humillime petebat, ut crimina ſibi & ſuis condonarentur; ut in integrum reſtituerentur; ut Religionem ſuam libere exercerent; (nec tamen in Religionem in Hibernia vix unquam inquiſitum fuit, nec de Religione cogitatio conjuratorum animos hactenus ſubierat, quam ad partes confirmandas jam primum obtenderunt;) ut Mareſcallus mille libras monetæ Anglicæ in dotem uxoris jam defunctæ perſolveret; ut nulli præſidiarii, Vicecomes, aut id genus officiarii, in Comitatu Tir-Oeniæ conſtituerentur; ut Ala quinquaginta Equitum, cui Reginæ ſtipendio præfuerat, redderetur, & qui ſuos deprædati fuerint, pœnis ſubjicerentur. Hæc ſi concederentur, promiſit, nullum fidelis ſubditi officium prætermiſſurum; & permiſſurum

Poſtulata.

Arma-

Armachano Archiepiſcopo & Decano, ut ſuis juribus & fundis utantur & fruantur. 1596.

O-Donellus quum patris & majorum erga Reges Angliæ fidem commemoraſſet, conquerebatur, [1] Boinum Anglum, militum ductorem, in Provinciam, ſpecie populum ad humanitatem imbuendi, à Perotto Prorege cum cohorte miſſum; comiter à patre quibuſdam oppidis aſſignatis acceptum; in [2] patrem tamen nullo non injuriæ genere ſæviiſſe; ſpurium quendam ad dignitatem *O-Donelli* extuliſſe; Perottum Proregem, hunc ipſum inſidioſe intercepiſſe: innocentem in carcerem detruſiſſe, & injuſte detinuiſſe, donec Deo duce evaſerat; *Fitz-Williams* Proregem, Owenum *O-Tool*, virum ab O-Donello in illo tractu ſecundum, publica fide evocatum, in arcta cuſtodia totos ſeptem annos inſontem aſſervaſſe, & vicinos in *Fermanaugh* intolerandis injuriis oneraſſe; ſe non aliam ſuæ ſalutis expediendæ rationem poſſe inire, quam proximis divexatis opem ferendo. Poſtulabat eadem quæ Comes, & etiam Caſtella quædam & prædia in Comitatu *Slego*, Caſtrumque *Slego*: quæ ſuo jure vendicavit ſibi confirmari. (Caſtrum enim illud Ulicus à *Burgo*, præſidii ſignifer, Georgio Binghamo Præfecto perfide occiſo, rebellibus nuper tradiderat.) Shanus *Mac-Brian*, *Mac-Phelim O-Neal* ejulabant, Inſulam *Magy* ab Eſſexiæ Comite, & Baroniam de *Maughery-Mourn* avitam hereditatem ab Henr. Bagnallo per injuriam ſibi [3] ablata; ſe in vinculis habitum donec jure ſuo Bagnallo coactus ceſſerit; & injuriis indignis nunc affici à Præſidiariis in *Knoc-Fergus*. Hugo *Mac-Guir* militarem præſi-[illegible]riorum inſolentiam in armentis abigendis exaggerabat, [illegible] Vicecomitem in ſuas regiones immiſſum proximi cognati caput amputaſſe & proculcaſſe.

O-Donelli querimonia.

Poſtulata.

Aliorum querimoniæ.

Brianus *Mac-Hug*, *Oge Mac-Mahon*, & Ever *Mac-*

1. Bomum *Edd. priores.* 2. Partem *Edd. Belg.* 3. Ablatas *Elz. Sen.*

1596. *Couley*, conquerebantur, præter alia, *Fitz-Williams* Proregem, largitionibus abductum, Hugonem *Roe* in dignitate *Mac-Mahon* confirmaſſe, & mox, quod mulctam impoſitam more patrio explicatis ſignis exegiſſet, ſuſpendiſſe, ejuſque hereditatem, ut nomen *Mac-Mahon* deleretur, alienis conceſſiſſe. Ut ſemel dicam, poſtulabant ſinguli eadem quæ ſupra memoravi de Religione exercenda. At hi duo inſuper, ut fundis, tam Eccleſiaſticis quam ſuis, in ſuis ipſorum ditionibus pro rata annua pecunia libere fruerentur. Quum delegati, quædam ex his concedenda, alia temperanda, alia ad Reginam referenda cenſerent; etiam & hos viciſſim articulos rebellibus propoſuerunt, ut arma deponerent, copias dimitterent, rebellionis crimen ſupplices deprecarentur, Vicecomites in ſuis territoriis admitterent, munimenta, quæ diruerant, reſtaurarent, Præſidiarios non infeſtarent, ablata reſtituerent, quæcunque cum exteris Principibus tractarunt, jurejurando præſtito propalarent, &, nihil jam inde ſibi futurum cum exteris contra Reginam, fidem obſtringerent. Hæc tam iniqua illis jam inſoleſcentibus viſa, ut diſceſſum fuerit, induciis ad Kalendas Aprilis his legibus pactis, ut nihil hoſtile utrinque committeretur, ut Angli præſidiarii libere, quocunque velint, cum re annonaria & armis proficiſcerentur, pabularentur, lignarent, materialia ad præſidia communienda intra tria milliaria, ubicunque egerint, comportarent, [1] conjurati nullo modo fideles ſubditos ad rebellionem illicerent, & id genus alia. Ad hæc confirmanda obſides ex parte Tir-Oenii traderentur, qui vel permanerent, vel alii ſtatis temporibus ſubſtituerentur. O-Donellus ut obſides daret, nullo modo induci poterat. Quum abituri eſſent, Tir-Oenius & O-Donellus litteris ſignificarunt, ſe nihil poſſe præſtare, niſi *Feaghus Mac-Hugh*

Margin notes: Et poſtulata. — Articuli rebellibus propoſiti. — Rejecti. — Induciæ iterum pactæ.

1. *Deeſt* conjurati *in Edd. priorib.*

in

in Lagenia, Mac-Williams, [1] O Rorc, O-Conorus-Dun, 1596. ceterique rebelles in Conachtia, O-Ralii, & illi in Brennia, condonarentur, ac in poſſeſſiones avitas reſtituerentur. *Novæ conditiones propoſitæ.*

Regina, etſi tunc temporis, & poſtea, ut humano ſanguini parceretur, ad quaſcunque pacis conditiones majeſtate non indignas haud invita deſcendiſſet; æquis tamen auribus audire non poterat, ut rebelles pro rebellibus apud ipſam intercederent, quæ ſuam miſericordiam, ut ipſa dixit, reſipiſcentibus & petentibus diſpenſare novit. De libero Romanæ Religionis cultu, (cujus in ſcripta ſubmiſſione non meminerant,) & Eccleſiæ patrimonio abalienando, reſpondit, ſe licentiam leges violandi, aut Eccleſiæ bona occupandi, nulli ſcienter prudenter unquam permiſiſſe, aut permiſſuram. Quod ad injurias illatas, reſarcire velle, ſi de illis certo conſtaret. Inſolentem autem adminiſtrorum iniquitatem & [2] præſidiariorum rapinas prorſus damnavit. Et in hanc quidem ſententiam ſcripſit ad Norriſium, & Fentonum; quorum facili credulitate Tir-Oenius nimio plus abutebatur. Prudentiam vero in Wallopo & Gardinero, Delegatis ſuis, deſideravit, & acerbiuſcule increpuit, quod Tir-Oenium, Rebellem publice declaratum, & ceteros in omnibus colloquiis & litteris honorifice ſalutaverint & compellaverint. *Reginæ de his ſententia.*

Ille etenim interea ſedulo & ſecreto litteris ſupplicibus cum Hiſpano per emiſſarios de ope ſubmittenda egit, uſque adeo ut unus & alter internuncius cum litteris clandeſtino ad rebelles venerint; quibuſcum pactum erat, ut, ſi juſtum exercitum, qui par eſſet Anglis profligandis, præfinito tempore Hiſpanus ſubmitteret, ſe ſuas copias conjuncturos; interim ſi apparatum bellicum ſuppeditaret, ſe quaſcunque pacis conditiones rejecturos. His pactis O-Rorc, Mac-Williams, & alii, ſub- *Rebelles cum Hiſpano de auxiliis agunt.*

1. O-Roro *Edd. priores.* 2. Præſidiotum *Elz. Sen.*

1596. ſcripſerunt; [1] verſute Tir-Oenius, haudquaquam cautus, conſenſiſſe tamen minime ambigitur. Litteras, quas ad eum Hiſpanus ſcripſerat promiſſis plenas, ſubdola officii ſimulatione ad Proregem tranſmiſit; ſimulque Hiſpanici ſubſidii ſpe certa nixus, à ſcripta ſubmiſſione, & fide Norriſio promiſſa, reſiliit. Quod Norriſius, ſua credulitate in fraudem illectus, acriter & iracunde cum eo, quaſi os ſublevaſſet, expoſtulavit. Ille autem, gnarus tempori ſerviendi, iterum, induciis jam fere exactis, cum Norriſio & Fentono Secretario in colloquium deſcendit, & qualiſcunque pax ſeu potius pactio datis obſidibus initur. Illis auctoribus veniale reſcriptum pro Tir-Oenio & ſuis in Tir-Oenia conficitur: quod, quum aliquantiſper dilatum, dum de formula inter Juriſconſultos in Hibernia minime conveniret, & ille deinde totos duos menſes procraſtinavit, anceps an acciperet, niſi rebelles in Conachtia una comprehenderentur. Accepit tandem, ſingulare gaudium præ ſe ferens, & dictitans, longe gratius eſſe, quam honorarios codicillos, quibus Comitis honor ſibi delatus. Veruntamen fidem jurejurando firmare externaque auxilia ejurare detrectavit.

Tir-Oenius Hiſpani litteras Proregi impartit.

Norriſio illudit.

Veniale reſcriptum accipit.

Dum Norriſius cum Tir-Oenio pactionem iſtam faceret, Prorex contra *O-Madenum*, qui novam rebellionis facem accenderat, perrexit, ejuſque Caſtrum [2] *Clohon O-Maden* obſedit. Præſidiarii, deditione imperata, barbara procacitate reſponderunt, ſi ſinguli, qui adſunt, Proreges eſſent, ſe minime deditionem facturos. Verum, caſtro poſt pauculos dies expugnato, illi occidione ad unum occiſi. Norriſius & Fentonus, in Conachtiam profecti, rebelles ægre ad aliquas pacis conditiones perducere poterant, qui ira contra Binghamum pleni, aliquandiu nihil niſi moras traxerunt, & pacem infidam tan-

Prorex O-Madenum in ordinem redigit.

Et Norriſius rebelles in Conachtia.

1. Tir-Oenius, haudquaquam verſute cautus, conſenſiſſe &c. *Edd priores.* 2. Clohon *Ed. prima.*

dem

dem fecerunt conſultore, ut veri ſimile eſt, Tir-Oenio. 1596.
Ille enim jam ambiguas voces ſpargere cœpit, ſe non poſſe non ſuſpicari, dolo malo ſecum agi, quod tam male inter Proregem & Norriſium conveniret, quod negligentius à Prorege habiti ſint, qui cum eo de pace [1] ejus nomine egerint, quod Prorex nihil niſi bellum ſpiraret, turmis equitum ex Anglia adauctis, Hiſpani litteris quas dixi detentis, & Mareſcallo, ejus adverſario acerrimo, jam tum ex Anglia cum novis mandatis reverſo. Hinc, emiſſis prædonibus, vicinos agros depopulari cœpit; mox, ſcelerum conſcientia exagitatus, & audito, pacem inter Angliam & Hiſpaniam coalituram, pacem ſe ex animo percupere ſimulat. Tædet integumenta diſſimulationis ſigillatim percurrere. Ut ſemel dicam: quum aliquid diſcriminis ab Anglis impenderet, vultu & verbis ita ſubmiſſionis ſimulationem ſuſtinuit, eamque ſcelerum pœnitentiam præ ſe tulit, ut eluderet, donec opportunitas perſequendi eſſet amiſſa, & neceſſario copiæ diſtrahendæ. Utque illi ſemper crederetur, & venia toties eſſet oblata; lucroſa ductorum in Hibernia [2] ſocordia, Conſiliariorum in Anglia parſimonia, & Reginæ innata lenitas, quæ rebellium latrocinia (nec bellum enim appellandum cenſuit) ſine ſanguine exſtingui optavit, facile effecerunt. Quam plena autem perfidiæ & mens & manus fuerint, vel hinc conſtat.

Tir-Oenius egregie ſimulat.

Eodem menſe, quo veniale reſcriptum accepit, ille, *O-Donellus*, *O-Rorcus*, *Mac-Williams*, & *Tribus Clan Shees* litteras ad nobiles in Momonia clam miſerunt; quibus omnem ſpem & operam ſancte promiſerunt, ſingulis Romano-Catholicam religionem propugnantibus & ſocialia arma conjungentibus, voventes & jurantes, ſe nullam pacem cum Anglis inituros, qua ſinguli confœderati non comprehenderentur. Paullo poſt ille Feaghum

Diſſimulatio detecta.

Rebelles concitando.

1. Ipſius *Edd. priores.* 2. Secordia *Edd. priores.*

Mac-

1596. *Mac-Hugh*, quum veniale item reſcriptum ſupplex peteret, & receptus eſſet, ad rebellionem in Lagenia ſopitam [1] reſuſcitandam concitavit, qui ſtatim ex improviſo munimentum juxta *Ballencore* occupat, ſolo æquat, & late per Lageniam deprædando furtim perſultat, licet Prorex proſequeretur. Animum etiam Petro & Jacobo Butleris nepotibus Comitis Ormondiæ rebellantibus addit. Hæc latenter.

Denuo ipſe rebellat. Hieme ingruente improbitas, hactenus diſſimulatione tecta, palam erupit. Publice enim contra pactionis leges commeatum ad præſidiarios in Armacha ſubvehi prohibuit; alios ſubvehentes, alios lignantes, ex inſidiis occidit. Ipſe præſidium adeo ferociter adortus eſt, ut triginta ex præſidiariis ceciderint; Henricum *Oge* [2] *Mac-Shan* generum, ad viculos incendendos, & prædam ad *Boynum* flumen agendam, emiſit, atque Caſtrum Carlingfordiæ inſidioſe tentavit.

Proregi & Conſiliariis de his expoſtulantibus, atque monentibus, ſi obſides ſalvos vellet, nec proditorem iterum denunciari, ne præſidiarios ulterius infeſtaret, nec commeatum ſubvehi impediret: reſpondit, ſe pactis ſtare; Feaghum autem *Mac-Hugh*, ſi non contra pacta, contra tamen promiſſa à Prorege exagitari, & Oenum *Mac-Collo* à præſidiariis ad *Kellas* indigne peremptum eſſe. Hinc dubitare quid de ſe & ſuis fiat. Rogavit itaque, ut colloquium cum Norriſio, vel Prorege de integro ad res componendas haberetur. De quo dum conſultatur, commeatum in Armacham invehi permiſit, O-Donellus tamen interim per Conachtiam hoſtilem in modum graſſatur, donec colloquium, cujus inani ſpe Norriſium lactabat, procraſtinando & tergiverſando plane eluderet.

Feagh Mac-Hugh occiditur. Prorex interea Feaghum *Mac-Hugh* indefeſſo labore perſequitur; tandemque rebellibus in fugam undique

1. Suſcitandam *Edd. priores.* 2. Man-Shan *Edd. priores.*

disjectis,

disjectis, & plurimis cæſis, eum in latibulum anhele fugientem Milburnus tribunus capit, multis [1] ictibus confoſſum capite obtruncat; quod Dubliniam, multa cum populi exſultatione, miſſum, paullo antequam Prorex provincia ceſſerit. 1596. Quibus etiam diebus Jacobi Butleri caput à Thoma Leao ad Proregem miſſum, & Petrus frater ejus à patruo Ormondiæ Comite captus, &, quamvis proximæ familiæ heres, ſuſpenſus. Et alii rebelles.

In mediis his Hiberniæ tumultibus, Albertus Archidux Auſtriacus & Cardinalis, quem Hiſpanus Belgio præfecerat, Reginæ animum ex improviſo à rebus Hibernicis avocavit. Ille enim, ſimul ac gubernacula ſuſcepiſſet, contractis Hiſpanorum copiis, quaſi obſidionem ad *Feram* Picardiæ ſolvere cogitaret, præter omnium opinionem ad Caletum divertit, & obſidione incingit; primoque die capta Arce Newnhamia, portu potitur. Caletum à Cardinale Auſtriaco oppugnatur. Quamprimum Regina trepidis Galli nunciis acceperat, Caletum obſideri; manum militum ipſo die Dominico, dum homines rebus divinis vacarent, colligi jubet, ut Gallo auxiliaretur, ſimulque Angliæ conſuleret. Angliam enim vicino incendio conflagraturam, non poterat non ſuſpicari. Exercitum tumultuario conſcriptum Eſſexio committit; ſed priuſquam navigiis imponeretur, certo auditur, & oppidum & arcem in Hiſpanorum poteſtatem ceſſiſſe. Continuis enim tormentorum effulminationibus (quorum tonitrua uſque Greenwicum audivimus) quum Albertus mœnia quaſſaſſet, oppidani ſe in arcem ſubduxerunt, quæ paucis etiam diebus magna Gallorum clade facile expugnata. Capitur. Hinc ille exercitus protinus ſolvitur, & aliquid pecuniæ mutuo Gallo numeratur, Bullionæo & Sancio fidem obſtringentibus. Pecunia Gallo mutuo datur.

Paucis diebus interjectis longe major & exquiſitior in Anglia conſcribitur exercitus, in quem multi ex clario-

1. Vulneribus *Edd. priores.*

ribus

1596. ribus familiis ultro nomina dederunt. Conſtans enim rumor in dies magis magiſque invaluit, Hiſpanum bellum in Angliam & Hiberniam omni conatu apparare; eoque magis, quod jam Caleto (unde breviſſimus in [1] Angliam trajectus) potitus eſſet, Hawkinſi & Draci expeditio male cecidiſſet, & Hibernici rebelles auxilia ex Hiſpania maximopere accelerarent. Regina, ut hanc tempeſtatem conglomerantem amoliretur, [2] conſultiſſimum ratus, hoſtem in portubus opprimere, claſſem CL. navium inſtruit: è quibus XVII. Regiæ; XXII. Belgicæ, quas Ordines Confœderati adjunxerunt; reliquæ actuariæ & annotinæ. In his ſtipendiarii VI M.CCC.LX; volones nobiles M; nautæ VI M.DCC.LXXII; præter Belgas. Robertus Comes Eſſexiæ & Carolus Howardus Angliæ Admirallus, qui de ſuo in expeditionem magnas impenſas fecerunt, pari auctoritate *Generalium* titulo præficiuntur, ita tamen, ut huic in mari, illi in terra auctoritatis & dignitatis prærogativa cederet. His ad Conſilium bellicum adjunguntur Thomas *Howardus*, Walterus *Raleighus*, Franciſcus *Verus*, Georgius Carew, & Conierus *Cliffordus*. Univerſa claſſis in quatuor acies dividitur, (Squadrons militari verbo vocantur:) primam Admirallus, ſecundam Eſſexius, tertiam Thomas Howardus, quartam Walterus Raleighus duxit. Officiarii exercitus erant: Franciſcus *Verus* Tribunus maximus, ſive Mareſcallus, Joannes *Wingfeldus* Caſtrorum Præfectus, Georgius *Carew* Præfectus machinarum, Conierus Cliffordus Sergeantus major. Chiliarchæ, Robertus Comes Suſſexiæ, Chriſtophorus Bluntus, Thomas Gerardus, Richardus Wingfeldus. Volonum ductor Edwardus Wingfeldus; & Antonius Aſtleius [3] bellici conſilii ab epiſtolis, qui conſilia cum ſingulorum rationibus, & res geſtas in acta referret.

Claſſis in Hiſpanum apparata.

1. Anglia *Edd. priores.* 2. Conſultiſſimum *Edd. Belg.* 3. Bellico conſilio *Edd. Belg.*

Præfectis

Præfectis ſive Generalibus Regina præſcripſit, ut ſe- 1596.
dulo inquirerent, quis & quantus bellicus ſit apparatus Mandata
in navibus, aut cellis penuariis contra Angliam & Hi- præſcripta.
berniam, aut Caletum tranſmittendus, eumque interci-
perent, aut una cum navibus perderent, ita tamen, ut
nec milites nec naves temere periculis objectarent. (Ma-
luit enim, quod ſubinde dixit, ſuos ad patriam propu-
gnandam reſervari, quam dubiam Martis aleam ita ſub-
ire, ut nec utilitatem nec gloriam reportarent.) Si qua
oppida caperent, muliebri ſexui & imbelli ætati parce-
rent, & nullis niſi repugnantibus vim afferrent. Ut ſpo-
lia reſervarentur, ad impenſas reſarciendas, & bene me-
rentes remunerandos; ut Conſiliarii libere ſalutaria ſug-
gererent, & ne in partes ſecederent, reſque pro plurium
ſuffragiis gererent aut relinquerent. Quum hoſtium
naves & apparatum, quantum poterunt, deſtruxerint, ali-
quot naves bellicas ad Indicas Caraquas intercipiendas,
ſi adventare audirent, emitterent. His præſcriptis, illa
precationem dictavit, qua per ſingulas naves quotidie di-
vinam opem cœptis implorarent.

Contra hanc expeditionem nonnulli diſſeruerunt, nec Contra diſ-
tantos viros, nec tot naves & claſſiarios belli aleæ expo- ſeritur.
nendos; ne forte, illis abſentibus, Hiſpani, qui in omnes
occaſiones imminent, infelici Draci & Hawkinſi ſucceſſu
erectiores, aut interim intervenirent, aut claſſem Angli-
cam profligarent, & periculum Angliæ faceſſerent.

Solvit tamen claſſis è Plimoutha ineunte Junio; pri- Claſſis ta-
mo die vento adverſante rejecta, poſtridie ſecundiſſimo men ſolvit.
vela iterum pandit; & longius in Occidentem evecta,
Luſitaniæ littora prætervehitur, ne conſpecta quidem,
idque conſulto. Si enim conſpecta fuiſſet, & in citeriore
Hiſpaniæ ora, aut Luſitania, aliquid tentaſſent; ſtatim
conclamatione ad arma [1] facta occaſio rei bene gerendæ

1. *Deeſt* facta *in Edd. priorib.*

1596. prorſus prærepta fuiſſet. Gades enim, *Solis Cubilia* à Poëtis decantatas, & ab antiquis Geographis *Ultimam Orbis terrarum metam* habitam, hodie emporium celeberrimum, quæ facile defendi poterat, & ad hoſtem lædendum opportuna, paucis conſciis cogitarunt. Locuſque ille receptui deſignatus erat in chartulis, quæ ductoribus per ſingulas naves ſub Sigillo traditæ; non aperiendæ priuſquam *Sacrum Promontorium* ſive *S. Vincentii* ſuperaſſent, (niſi à reliqua claſſe vi tempeſtatis abriperentur;) & in mare projiciendæ ſi quid periculi ab hoſte immineret. E regione Sacri Promontorii in Hibernicam navem inciderunt, cujus navicularius docuit, ſe à Gadibus ſolviſſe, omnia ibi ſecura; ne verbum quidem de claſſe Anglica; nullos milites præter pauculos præſidiarios in Inſula eſſe; in portu ſtare galleonas, triremes, naves bellicas, & plures mercatorias, ad Indicam navigationem mercibus onuſtas.

Gades verſus.

Ad Gades appellit.

Die Junii xx. qui Dominicus erat, primo diluculo, prope S. Sebaſtiani ædiculam, in occidua Inſulæ parte, anchoras fixerunt. Eſſexius, animi plenus, & juvenili ardore præfervidus, copias ſtatim exponendas cenſuit; contra Raleighus, & Admirallus inprimis qui præcipitia conſilia nunquam probavit. Exoratus tamen conſenſit, ut periculum aliqui facerent, ſi ibi commode terram conſcenderent; ſed fruſtra, mari ad littus decumanis fluctibus furenter æſtuante. Enixe inde inſtitit Eſſexius, ut, nulla mora interpoſita, naves bellicas, galleonas, & mercatorias, in *Sinu* conglobatas, adorirentur; ſed nec hoc ceteris placuit, quum illæ ſub propugnaculis ſubſiſterent, è quibus, [1] uti è navibus atque xv. triremibus, periculum præſentiſſimum impendebat.

Poſtridie bellicæ Hiſpanorum naves, æſtu accedente, ſe ſubduxerunt verſus *Puntall* terræ prominentiam, mercatoriæ interius verſus *Port Real.* Angli ſublatis anchoris

1. Uti & navibus *Edd. priores.*

ris in earum locum ſucceſſerunt. Ubi in illos, hinc è propugnaculo S. Philippi, inde è triremibus, atrociter effulminatum. 1596.

Jam deliberatum, naves Hiſpanicas aggredi, Eſſexio ita præ gaudio geſtiente, ut pileum projecerit. Hoc negotii datum Thomæ *Howardo*, Waltero *Raleigho*, Roberto *Southwello*, Franciſco *Vero*, Georgio *Carew*, Ro~~berto *Croſſo*,~~ & aliis minorum navium ductoribus. Nec enim viſum, æſtu jam recedente, naves majores in alveo anguſto & minus profundo inter brevia diſcrimini exponere. Raleighus itaque, quod deliberatum erat, medio alveo in nave (cui *Waſtſpight* nomen) in bellicas Hiſpanorum naves proram direxit, quæ illico receſſerunt. *Verus* Mareſcallus ex *Iride* in triremes intonuit, quæ ſub oppido tutæ proris obverſis illum duriter exceperunt, donec Eſſexius [1] ſubveniret. Tunc enim ſibi fuga conſuluerunt, & littus legentes, per Pontem *Suaco*, quo Inſula continenti jungitur, machina ſublatæ, ſe in apertum mare ſubduxerunt, præter unam & alteram, quas Joannes *Wingfeldus* in nave *Vantgarda* coërcuit. Interim bellicæ Hiſpanorum naves, jactis ad *Puntall* anchoris, latera obverterunt. Anglorum vero, quæ ob minus juſtam alvei altitudinem hactenus propius accedere non poterant, æſtu jam adlabente, mira alacritate invectæ. Eſſexius etiam in ſua nave in medium certamen ſe ingeſſit, & ipſe Admirallus cum filio. In *Miranora* pugnatum acerrime à diluculo uſque ad meridiem, quum Hiſpani, galleonis perforatis, miſere laceratis, & plurimis in iiſdem cæſis, ſtatuerint naves ſuccendere, aut in littus illidere. Multi trepidi in aquas deſiluerunt, quorum alii littore potiti, alii capti, alii ſubmerſi, alii natantes miſericordiam implorarunt, & Admirallo miſerante plurimi ſervati. Prætoria Hiſpanorum, nomine *S.*

Triremes Hiſpan. ſe ſubducunt.

1. Subvenerit *Ed. prima.*

Yyyy 2 *Philippi,*

1596. *Philippi*, M.D. vaſorum capax, ſulphureo pulvere à Mauro accenſo, deflagravit. una etiam, & altera, quæ juxta, igne concepto, ſimul perierunt; illa S. Matthæi, diligentia Admiralli, & S. Andreæ, opera Thomæ Gerardi, ſervatæ & captæ.

Milites exponuntur. Simul ac hoc navale prœlium confectum, Eſſexius milites DCCC. exponit ad *Puntall*, altera ab urbe leuca; ſtatimque Conierum Cliffordum, Chriſtophorum Blun-

Pons *Suaco* perrumpitur. tum, & Thomam Gerardum, mittit, ut *Pontem Suaco*, & machinam quâ triremes evaſerant, interrumperent, ne aditus eſſet è continente in Inſulam. Quod illi ſedulo præſtiterunt. Ipſe agmine facto ad urbem raptim contendit, cum Suſſexiæ Comite, Lodovico Naſſavio, W. Herberto Wigorniæ Comitis filio, Bourko Hibernico, Edwardo Wingfeldio, Chriſtophoro à S. Laurentio, Roberto Drurio, Thoma Germino, Chriſtophoro Heidono, Alexandro Ratcliffo, & ſelecto nobilium flore. Primum Equites & pedites Hiſpani ſe ad D. paſſus ab oppido oſtenderunt, & ſimul retroceſſerunt. Quum illico plures prodirent, ille juſſit ſuos pedem gradu militari referre, & in hoſtes ulterius prolectos ſignis mox converſis aſſilire. quod tanto impetu factum ut in fugam conjicerent; & fugientibus ita veſtigia preſſerunt, ut vix portam ingredi & occludere potuerint. Comes inchoatum munimentum portæ proximum aſcendit; unde introitum videt, ſed adeo editum & deſcenſu declivi, ut ad lanceæ altitudinem deſiliendum. Deſiluerunt tamen *Evans* Suſſexiæ Locum-tenens, Arthurus Savagius qui Comitis cohorti præfuit, Polius qui rubrum Comitis vexillum geſtavit, Samuel Bagnallus, & alii. Interim Franciſcus *Verus* Mareſcallus, porta effracta, irrupit, & una ipſe Comes. Jam acris pugna conſeritur per plateas, donec poſt ſemihoram ad forum deventum; ubi disjectis ſaxis è tectis ſupernè planis Angli admodum infeſtantur. Joannes

annes Wingfeldus (qui in prima velitatione occiſo Hiſpano ductore ſauciatus, atque cum ſuis huc penetravit) glande caput trajectus occiditur, multique vulnerantur, è quibus Samuel Bagnallus, octo vulneribus acceptis, & Arthurus Savagius, cruore perfuſus, Equeſtri dignitate donantur. Eodemque fere momento Admirallus cum Thoma Howardo, Guilielmo Pagetto, Raleigho, Roberto [redacted]llo, Richardo Leviſono, Philippo Woodhouſo, Roberto Manſello, & claſſiariis, Edwardo Hobeio vexillum præferente, feſtinanter ſubſecutus ingreditur. Jam Hiſpani pugnando obſiſtunt, atque in Caſtellum & Domum Civicam ſe recipiunt. Hæc illico dedita: illud poſtridie ea lege, ut cives incolumes cum veſtibus indutis dimitterentur, reliqua in prædam militibus cederent, DXXCIↃ. Ducatorum in redemptionem ſolverentur, & ad ſolvendum XL. è primariis civibus obſides in Angliam mitterentur. Mox edicto prohibetur ne quis Hiſpanis vim afferret; mulieres, Eccleſiaſtici & cives ad *Portum S. Mariæ* tranſvehuntur. 1596.

Interim Raleighus jubetur cum minoribus navibus, quæ alveo pares, mercatorias naves ad *Port Real* ſubductas incendere; verum ad illas redimendas bis decies centena millia Ducatorum offerebantur. Hoc Admirallus audire noluit, qui ſe ad naves perdendas, non pacta pecunia dimittendas, miſſum dixit. Dum hoc diſceptatur, Dux Medinæ Sidoniæ, plurimis mercibus jam exoneratis, juſſit ut ignis injiceretur; quo omnes conflagrarunt, magno mercatorum damno. Ingens apparatus bellicus in urbe repertus, magna vis pecuniæ ſurrepta dum quiſque ſibi rapuit.[1] Judicarunt prudentes,[2] Hiſpanum in navibus captis, & incenſis, in bombardis majoribus demerſis & ablatis, atque re annonaria abſumpta, ſupra vicies decies centena millia ducatorum jacturam feciſſe. Naves incenduntur.

1. Indicarunt *Edd. priores.* 2. Hiſpanis *Elz. Sen.*

Ex

1596. Ex Anglis nemo melioris notæ periit præter Joannem Wingfeldum; qui militari funere magnifice in primaria Eccleſia inhumatus. Viri militares plus minus LX. Equeſtri dignitate ob fortitudinem donati: inter quos celeberrimi, Robertus Comes Suſſexiæ, Lodovicus Naſſovius, Chriſtophorus Luſitanus filius Regis Antonii, Guilielmus Herbertus, Somerſettus, Bourkus Hibernicus, Guil. Howardus Admiralli filius, Rober. Dudleius, [redacted]reux, Henr. Nevillus, Eodwinus Richus, Rich. Leveſonus, Antonius Aſtleius, Henricus Lennardus, Horat. Verus, Arthurus Throgmortonus, Milo [1] Corbettus, Edwardus Conwaius, Olivarus Lambertus, Antonius Coocus, Joannes Tounſendus, Chriſtophorus Heidonus, Franc. Pophamus, Philippus Woodhouſus, Alexander Cliffordus, Mauritius Barkleius, Carolus Blundus, Georgius Giffordus, Rob. Croſſus, Jacobus Skidmoras, Urianus Leighus, Joannes Leæ, Richardus Weſtonus, Richardus Wainman, Jacobus Wottonus, Richardus Rudallus, Rob. Manſellus, Guilielmus Mounſonus, J. Bowles, Edward. Bowes, Humf. Druellus, Amias Preſtonus, Robertus Remingtonus, Alex. Ratcliffus, J. Buckus, J. Morgan, Joa. Aldridgius, Guilielmus Aſhinden, Matthæus Brownus, Thom. [2] Actonus, Thomas Gates, J. Staffordus, [3] Gillius Merricus, Tho. Smith, Guil. Poolius, Tho. Palmerus, J. Lovellus, J. Gilbertus, Guil. Herveius, J. Graius, Jo. van [4] Duvennord, Melchior Lebben, Petrus Redgemort, N. Medkerk, [5] alii.

Equites creantur.

De captivis utrinque reddendis deinde tranſigitur, & diſceptatur an Gades relinquendæ vel retinendæ? Retinendas cenſuit Eſſexius, quod Hiſpano tanquam unguis in ulcere exſiſterent, [6] & quo minus Angliam vel Hiber-

Conſultatio quid agendum.

1. Corbertus *Ed. prima.* 2. Actonio *Edd. priores.* 3. Gillicus *Edd. priores.* 4. Duvenvord *Edd. priores.* 5. *Deeſt* alii *in Edd. priorib.* 6. *Deſunt* & quo *&c.* diſtinerent *in Edd. priorib.*

niam

niam cogitaret diſtinerent. Ille cum cccc. militibus retinere in ſe recepit, ſi commeatus in tres menſes ſuppeditaretur. Contra ſenſerunt reliqui. Singuli enim ſatis ditati patriam cogitarunt, adeo ut ne unam navem, nec commeatum in unum & alterum menſem concederent, & ille Gades invitus neceſſario relinqueret. Prius tamen univerſa Inſula devaſtatur, munimenta diruuntur, plures in urbe ædes incendio deformantur; & die v. Julii, manubiis convaſatis, univerſa claſſis inde ſolvit, cum hoc Hiſpanorum Elogio: *Anglos in ſacris ſe hæreticos, in ceteris bellicoſos, providos, & vere nobiles præſtitiſſe.* 1596.

Ad Pharum Algarbiæ primum venitur, unde incolæ bonis aſportatis aufugerant. Bibliotheca inſtructa relicta Eſſexio in prædam ceſſit. Ibi triremes hoſtium, quæ ſatis longo intervallo inſecutæ, propius accedunt; ſed, ubi primum Admirallus abſcedere juſſit, jubenti parent; &, remis converſis, Anglis abeuntibus quaſi lætanter valedicunt. Ad *Promontorium S. Vincentii*, Aquilo impetuoſus claſſem longius in mare abripuit, conſiliumque initur, An Inſulas *Azoras* adirent, & ibidem *Caraquas* Indicas præſtolarentur? Propoſuit Eſſexius, ut terreſtres copiæ, & naves, defectu rei annonariæ aut claſſiariorum morbis aut aliis incommodis laborantes, in Angliam [1] remitterentur, & ipſe *Azoras* cum duabus regiis & decem aliis navibus adiret. Nec hoc ceteris Conſiliariis placuit, morbos & rei frumentariæ defectum cauſſantibus, & præter Thomam Howardum & Belgas nemo fere omnium aſſenſum præbuit. Hoc quum ille conſequi non poſſet, rogando induxit, ut quiſque ſuam hac de re ſententiam ſua manu teſtaretur, ne cui crimini daretur. Demum ægre pervicit, ut *Corunnam* adirent, ſed ne navis quidem ibi, nec in *Farolia* ſtatione proxima, conſpecta. Quum perurgeret, ut expoſitis copiis Corunnam

Pharo.

Corunnam adeunt.

1. Demitterentur *Ed. prima.*

adori-

1596. adorirentur, & Galitiæ littora legentes naves in S. Andreæ & S. Sebaſtiani portubus aggrederentur : ne audire quidem voluerunt, ſed ſinguli paſſis velis curſum feſtinanter in Angliam accelerarunt, atque eum cum paucis reliquerunt, qui nihil amplius geſtum fuiſſe conquerebatur, & errores quoſdam nonnullis ex conſilio bellico objecit : quos illi facile diluerunt ; ſatiſque utilitatis & ſolidæ gloriæ reportaſſe videbantur, tantis damnis Hiſpano illatis, tantis manubiis domum relatis, & omnibus navibus ad unam incolumibus. Si quid erratum, inde videbatur, quod non unius imperio res adminiſtrarentur ; Admirallus autem Eſſexio deliberate adjunctus erat : ut juvenilem ardorem, inflatum gloriæ ſtudium, & invicti animi fortitudinem, nunquam ſatis laudatam, conſulta moderatione, & matura cunctatione (quæ inſignes diſciplinæ militaris partes cenſentur) temperaret. Etſi ex his, quæ hactenus dixi, ſatis conſtet, quantum gloriæ, quantum emolumenti Reginæ, & Anglorum genti, quantum etiam detrimenti Hiſpano, ex hac expeditione acceſſerit ; hæc tamen ex ipſius Eſſexii commentariolo adjungere lubet. Ad gloriam ; Angli Hiſpanum Regum potentiſſimum, exitioſum bellum Angliæ minitantem & apparantem, non exſpectarunt ; ſed ad certamen in ſua quaſi arena provocarunt : Claſſem quam habuit apparatiſſimam, & in ea naves omnium maximas profligarunt, duas Galleonas in triumphum domum retulerunt, cum pauculis navibus triremes xv. fugarunt. Anglos plures ad remum damnatos in libertatem reſtituerunt, & plures Hiſpanos captivos cum clementiæ laude dimiſerunt. Munitiſſimam ulterioris Hiſpaniæ urbem, ſimul ac viderunt, vicerunt. In hoſtico tredecim totos dies hæſerunt. Ad emolumentum ; præter duas illas Galleonas, ad Anglicam claſſem adaugendam, centum plus minus tormenta æenea majora, aliaque ſpolia opima, relata :

Redeunt.

Quam glorioſa hæc victoria Anglis.

Quam utilis.

milites

milites & nautæ præda onuſti redierunt, ad alteram expeditionem & opibus & animis auctiores. Quod ad detrimenta Hiſpano illata: ille tredecim naves bellicas ex optimis, XI onerarias Indicas, quatuor alias mercatorias, amiſit. Ingentem etiam apparatum bellicum, nauticum, & annonarium, ut non niſi longo tempore claſſem bellicam denuo armare poſſe videretur, omnem opportunitatem merces in Novam Hiſpaniam hoc anno tranſmittendi, & inde recipiendi, perdidit. Et, quod magni momenti, Angli edidicerunt, quam facile maritima Hiſpaniæ oppida occuparentur. 1596. Quam damnoſa Hiſpanis.

Regina reverſos perbenigne excepit; & ſingulis melioris notæ gratias egit ſingulares, inprimis Eſſexio & Admirallo quos illuſtribus præconiis extulit. Cogitanti, quem ex horum numero Brielæ portui magni momenti in cautionem pro pecunia ab Ordinibus[1] oppoſito præficeret, (Baro enim Sheffeldus jam ſponte Præfectura illa ceſſerat,) Franciſcus *Verus* Anglorum ſub Ordinibus Chiliarcha ut digniſſimus occurrit. Et, licet nonnulli è primaria nobilitate ambirent, Eſſexius[2] opponeret, & alii nobiliorem præponendum cenſerent; illa, quæ hominis nobilitatem novit (nepos enim erat Joannis Veri. xv. Comitis Oxoniæ) fidemque & fortitudinem exploratam[3] habuit, (Hiſpanos ad Berkam Rhenanam fortiter profligarat, caſtra Littenhoven & Buric expugnarat, & Zutphaniæ propugnaculum recuperarat;) poſt attentiſſimam deliberationem, non ſolum ceteris prætulit, verumetiam locum apud Ordines, quem alii affectarunt, ſimul retinere permiſit: quamvis, ut ipſa dixit, minus convenire videretur, eum, qui Ordinum ſtipendio militat, oppido ab Ordinibus oppignorato præficere. Hoc Fran. Verus Brielæ præficitur.

1. Oppoſitæ *Ed. prima, uti etiam Elz. Jun.* 2. Se opponeret *Edd. priores.* 3. Habuit, quod is Hiſpanos *&c.* expugnarat, is & Zutphaniæ propugnaculum recuperarat; poſt attentiſſimam *Edd. priores.*

1596. Eſſexius,qui alios commendarat, indigne,[1] ſed indignius, imo palam indignanter, ſtomachatus eſt, quod, dum abeſſet, Robertus Cecilius, in Secretarium adſcitus; cui muneri ille jampridem Thomam Bodleium, ob ſpectatam in Belgicis rebus prudentiam, tantis congeſtis laudibus ut maxime idoneum commendaverat, & Cecilio tam odioſis comparationibus detraxerat, ut nec viſum Reginæ (quæ jam cœpit minus probare quos ille maxime commendavit) Bodleium in Secretarium admittere, nec Theſaurario collegam filio adjungere, quod deſtinarant priuſquam ex immodicis illis ab Eſſexio laudationibus eum in Eſſexii partes pellectum ſuſpicarentur.

Bodleius in Secretarium deſtinatur.

Hiſpanus interim, ut gloriam Gadibus amiſſam recuperaret, & incommoda ſanaret, contractis undiquaque navibus Uliſſipone claſſem inſtaurat, exterorum naves in Hiſpaniæ portubus armat, copias conſcribit, ad Faroliam, unde in Angliam & Hiberniam ſolverent, cum plurimis profugis Hibernicis mittit; ſed inter navigandum, ut ferebatur, fœdiſſima tempeſtate exorta, plurimæ naves vel ſcopulis illiſæ, aut fluctibus abſorptæ perierunt, ut æther Reginæ militaſſe videretur. Hoſtes enim prius periiſſe quam ſolviſſe audierat. Illa nihilominus in omnes occaſiones intenta, Caſtra maritima Sandsfortiæ, Portlandiæ, Hurſti, Southſeiæ, Calſhotti, S. Andreæ, & S. Mauditi, novis operibus reſtaurat, & apparatu bellico[2] inſtruit. Utque firmior cum Gallo amicitia coaleſceret, mutua confœderatio, offenſiva & defenſiva, contra Hiſpanum, Duce Bullionæo, & N. Harlaio Sancio curantibus, his verbis initur:

Hiſpanus Claſſem in Angliam armat.

Quæ magna ex parte perit.

Elizabetha maritima munit.

Fœdus cum Gallo init.

Priores tractatus & fœderationes confirmabuntur, & vigore ſuo perſtabunt, niſi quatenus in præſenti Tractatu aliquid derogetur: ad hoc fœdus invitabuntur omnes Principes, & ſtatus, quorum intereſt ab Hiſpani machinationibus

1. Tò ſed *omittunt Edd. priores.* 2. Inſtituit *Ed. Lond.*

nationibus ſibi cavere. Quanto citius fieri poterit, con- 1596.
ſcribetur exercitus ad Hiſpanum invadendum. Nec Rex, nec Regina de aliqua pace, aut induciis tractabit ſine conſenſu alterius. Quoniam Hiſpanus dominia Galliæ proxima Belgis jam oppugnat, Regina mittet quatuor millia peditum, qui Regi militent hoc anno ſex menſes in locis quæ non diſtabunt quinquaginta millia paſſuum à Bono-[redacted]*itima. Militabunt etiam itidem tanto ſpatio annis inſequentibus, ſi ſtatus rerum Anglicarum commode permittat; in quo ſtabitur aſſertioni & conſcientiæ Reginæ. Quum ſeditio Hibernica compoſita fuerit, ſtabitur voluntati Reginæ an ſubſidium* IIII M. *augebit. Angli recipientur in Regis ſtipendium à die quo in Gallia appellent, ad diem diſceſſus. Regina numerum illum de tempore in tempus ſupplebit, ſtipendia ſolventur per miniſtros Reginæ, & ejuſdem pecunia in ſingulos menſes; pro qua Rex tenebitur intra ſex menſes plenarie quatuor oppidis traditis ſatisfacere. Si Rex majori numero indigebit, Regina majorem numerum in Anglia conſcribet, quibus Rex ſtipendia perſolvet ex ſua pecunia. Angli, qui Regi militabunt, ſubjecti erunt Officiariis Regis, per eoſdem punientur, ita tamen ut Capitanei Angli advocentur à Regis Officiariis, & iis in judiciis aſſiſtant. Si Regina invadatur, & requiret auxilium Regis, ille intra duos menſes conſcribet quatuor millia peditum, qui ſumptibus Regis in Angliam mittentur, & non trahentur ulterius, quam quinquaginta milliaria à littore, & ſtipendia perſolventur à Regina à die quo in Anglia appulerint. Iidem milites Gallici ſubjicientur Officiariis Reginæ modo præfato; numerum itidem Rex ſupplebit. Alter alteri omnem apparatum bellicum, quoad abſque præjudicio ſtatus poterunt, ſuppeditabit. Mercatores ſubditos utriuſque Principis reciproce defendent in Regnis alterutrius; Rex non permittet Anglos in Religionis cauſſa*

 vexari.

1596. *vexari. Stipendia vero Capitaneis & militibus in ſchedula jubjiciantur.* Mox alter habetur Tractatus, quo convenit, *ut hoc anno duo tantum millia Anglorum tranſmittantur, qui Bononiæ & Monſtrelliæ tantum militabunt, niſi Rex ipſe adſit perſonaliter in Picardia. &c.* In hæc Regina juramentum præſtitit in Sacello Regiæ Greenwici, XXIX. Auguſti, in manus Henrici *de la Tour*, Ducis Bullionæi Vicecomitis Turaniæ & Mareſcalli Franciæ; Epiſcopo Ciceſtrenſi Evangeliorum librum exhibente, magna nobilium multitudine circumfuſa. Menſe Septembri Gilbertus Talbottus Comes Salopiæ in Galliam legatur, ut in ipſius manus Rex itidem juramentum faceret; Antonium Mildmaium in Legatum Ordinarium loco Henrici Untoni, qui in Gallia obierat, præſentaret; & Regem inſignibus Ordinis S. Georgii inveſtiret, in quem, prima inſtitutione viris militaribus dicatum, Regina illum, ut militari gloria longe florentiſſimum, cooptaverat. Nec multo poſt Thomas Baskervillius cum II M. peditibus Anglis ex poſteriore pacto in Picardiam trajicit.

In fœdus utrinque juratur.

Gallus Ordine Garterii donatur.

Inter hæc bellica, maleficum hominum genus, auctoritate & inſignibus Regiorum Apparitorum aſſumptis, paſſim per Angliam oberrabat, cum ementitis Mandatoriis & Chirographis Conſiliariorum Regiorum atque Delegatorum, in cauſſis Eccleſiaſticis, ædes viduarum & Pontificiorum rimantes; vaſcula, monilia, gemmas, quæcunque Chriſti vel Sanctorum imagines præferebant, expilando abſtulerunt tanquam illicita. Viaticum apparitoribus debitum rigide exegerunt, & à pluribus meticuloſis pecuniam emunxerunt, ne coram magiſtratibus comparerent. Horum nonnulli capti ad expilata reſtituenda coacti, collo numellis inſerto, auribus mutilati, & ſtigmate fronte notati, ut falſarii & circumſcriptores. Nihilominus hæc ſeveritas graſſantem hujuſmodi hominum

Apparitores ementiti coërcentur.

num improbitatem comprimere non poterat, donec e-diceretur, ne apparitores Regii viaticum exigerent priuſquam citati comparerent atque illi una cum citatis ad magiſtratus accederent; ſi hoc abnuerent, citati non comparerent. Si plures eorum *Mandatorio* ad unum eundemque diem ſiſterentur, apparitores etiam adeſſent; ſi citatus ſuſpicionem contra Apparitorem conceperit, eum examinandum coram Eirenarcha vicino ſiſteret, ut de homine conſtaret; Citati ſub pœna incarcerationis, Apparitores data pecunia non corrumperent, quo minus comparerent. Item nec Apparitores pecuniam ea conditione acciperent, ni loco moveri, incarcerari, & graviſſime plecti maluerint. 1596.

Rediit in Angliam hoc anno Thomas Arundellius de *Wardour*; quem Reginæ litteris ut conſanguineum commendatum, & bello Hungarico ad Strigonium contra Turcas præclare meritum, Imperator honorariis litteris *Sacri Imperii Comitem, omneſque & ſingulos ejus heredes & poſteros, & deſcendentes legitimos utriuſque ſexus natos, æternaque ſerie naſcituros Sacri Imperii Comites & Comitiſſas creavit.* Quo titulo qui gaudent, & hujuſmodi privilegiis gaudere perhibentur, [1] in Diætis Imperialibus ſedem & ſuffragium habeant, prædia in Imperio comparent, milites volones conſcribant, & judicio niſi in Camera Imperiali non ſiſtantur. Quum ille reverſus hoc honoris titulo apud vulgus inclareſceret, quæſtio ſuborta eſt, an ejuſmodi titulus à Principe extero, Regina inconſulta, ſubdito collatus, ſit admittendus? Erant qui cenſuerunt, præmia virtutis ergò, à quocunque Principe fuerint delata, admittenda; virtutem enim flacceſcere niſi bene meriti præmiis excitentur. Henricum III. Regem Angliæ, Reginaldum Mohunum, Somerſetti Comitem à Pont. Rom. Apoſtolica auctoritate creatum

Thomas Arundellius Comes Sacri Imperii.

An honos ab extero admittendus?

1. Ut in Diætis *in Edd. priorib.*

gratanter

1596. gratanter agnoviſſe; Henricum VIII. Rob. Curſono, quem ob virtutem militarem Maximilianus I. Imperator Baronem Sacri Imperii creaverat, adeo gratulatum fuiſſe, ut inter Angliæ Barones adſcripſerit, & annuam pecuniam ad dignitatem tuendam conceſſerit; Scotos etiam quoſdam bellicoſos, Archibaldum ſcilicet Douglaſſium Wigtonium, titulum Ducis Turonum, & Joannem Stewartum Comitis d'Evereux, à Gallorum Regibus accepiſſe. Regeſque Scotorum hoc in gentis honorem cedere exiſtimaſſe. Barones autem Angliæ, hoc ſibi & ſuis fraudi in honoris prærogativa futurum augurantes, ſi ipſi & liberi, hujuſmodi novitio Comiti, & ejus ſoboli, quæ in infinitum propagetur, loco cederent, ita contra argumentati ſunt: Ejuſmodi titulos honorarios nec à ſubditis accipiendos, nec à Principe admittendos. Solius Principis [1] eſſe, (& non alterius cujuſcunque) ſuis ſubditis dignitates diſtribuere; juxta illud Valeriani Imperat. *Ea ſit tantum dignitas, quæ nobis jubentibus ſuſtinetur.* Principis enim majeſtati & ſubditorum obſequio multum detrahi ſi honores ab exteris accipere permittantur; tacitum enim fidei pactum inter honorantem & honoratum intercedere videri. Hujuſmodi titulos illecebras eſſe occultas ad animos ſubditorum à ſuis Principibus abſtrahendos. Actionem furti in eum competere qui alienæ ovi ſuum ſignum inuſſit, & actionem fraudis in eum qui alterius oves ſparſo pabulo in ſuum gregem allexit. His legibus etſi ſupremi principes non teneantur, legum tamen æquitate ex jure naturæ teneri. ut in Republica Romana nemo poterat civis eſſe Romæ & alterius civitatis; unde Pomponius Atticus in civitatem Athenienſium adſciſci recuſavit, ne jus civitatis Romanæ amitteret. Ita in Republica Veneta & Genuenſi, quicunque vel Eccleſiaſticas dignitates à Pontifice, vel civiles à

Non admittendus.

1. Eſſe, non alterius cujuſcunque, ſuis ſubditis *Edd. priores.*

Principe

Principe externo accipiunt, tanquam ſuſpectæ fidei homines ad publica munia non vocantur. Fieri poſſe, ut Henricus Tertius ex ſua ſimplicitate & temporum iniquitate Mohunum Comitem à Pontifice Romano obtruſum admiſerit, quum pater regno interdicto excommunicatus & indigniſſimis injuriis exagitatus ſe Pontificis Romani beneficiarium agnoſcere adactus fuerit, & ipſe [illegible] Romanenſes Angliæ opes exhaurire permiſerit. (Mohunum tamen pro Comite agnitum non fuiſſe, ex publicis Actis conſtat.) Henricum Octavum Curſonum pro Barone Angliæ ideo habuiſſe, ut umbratilem Baronis Sacri Imperii titulum mature obrueret, ſuffragium autem in Parlamentis non conceſſiſſe. Scotos honores à Gallis accepiſſe, minime mirum; quum, ſe ſub Gallicorum Liliorum tutela fuiſſe, Liliato in Armis Regiis Limbo præ ſe ferant. Erant, qui Comitem Sacri Imperii non alio loco habendum cenſuerunt, quam Notarios publicos, & id genus alios Sacri Palatii Lateranenſis Comites & Vicecomites à Pontifice Romano creatos, aut Regii Palatii Archiatros, Juriſconſultos, Grammaticos, & Rhetoras, qui XX. annos profeſſi ridicule vani ſe pro Comitibus Palatinis oſtentant, quum hiſce temporibus Comitis Palatini titulus ſit ſumme honoratus, ut qui habet apud nos Regiam juriſdictionem in ſuis Tribunalibus & regiam poteſtatem in feudis, caducis hereditatibus, &c. Regina de his conſulta dictitavit: *Inter Principes & ſubditos arctiſſima intercedit animorum colligatio. Ut mulieres pudicæ non in alium quam maritum, ita nec ſubditos in alium quam quem Deus dedit Principem, oculos conjicere decet. Nollem oves meas alieno ſtigmate inuri, nolim alieni paſtoris ſibilum ſequi.*

1596.

Comites & Vicecomites Apoſtolici.

Comites Palatini.

Reginæ de hac quæſtione judicium.

Intra hunc annum nonnulli inſignioris notæ & nobilitatis ex hujus vitæ ſtatione evocati fuerunt; è quibus in primis memorandi: Joannes Puckeringus, magni Angliæ

Obitus Joannis Puckeringi.

1596. gliæ Sigilli Cuſtos, qui ob famulorum ſordes & corruptelas in Eccleſiaſticis beneficiis nundinandis ipſe vir integer apud Eccleſiaſticos haud bene audivit. Succeſſit Thomas Egertonus, primarius Regis procurator, magna exſpectatione & integritatis opinione.

Fletcheri Epiſcopi Londinenſis.

Richardus Fletcherus, Epiſcopus Londinenſis, Præſul ſplendidus; qui, dum curas è nuptiis infauſtis & Reginæ improbatis (quæ Præſules conjugatos minus probavit) Nicoſia immodice hauſta obruit, vitam efflavit.

Baronis Hunſdonii.

Henricus Carius, Baro Hunſdonius, Aulæ Regiæ Camerarius, Berwici Præfectus, & Ordinis Georgiani Eques; vir animo magno, ſed bilioſo, qui è cognatione cum Regina, cui conſobrinus, hos honores & opes modicas conſecutus, nec magnas unquam conſectatus. Illi in honore ſucceſſit Georgius filius; & [1] in Camerarii munere Baro Cobhamus, qui paucos menſes ſuperfuit.

Franciſci Knolles.

Franciſcus Knolles, qui Hunſdonii ſororem duxerat, & in Germania ob Evangelicam veritatem exſulaverat; Reginæ primum Vicecamerarius, deinde Satellitibus Præfectus, poſtea Regiæ Theſaurarius, & in ordinem Georgianum adſcitus; cui in Theſaurarii munere ſurrogatus Rogerus Baro Northus, atque Guilielmus Knolles ejus filius conſtitutus Contrarotulator.

Comitum Huntingdoniæ.

Et ſub anni finem, Henr. Haſtingus, Huntingdoniæ Comes ex hac ſtirpe tertius, Conſilii in Boreali plaga præſes, qui vir miti ingenio & purioris Religionis ſtudio inflammatus, Miniſtros flagrantiores impendioſe fovendo patrimonium plurimum imminuit. Sepultus eſt Aſchbeiæ Zoucheanæ in Comitatu Leiceſtrenſi; eodemque funere elatus eſt Franciſcus Dominus Haſtings nepos è fratre Georgio qui in honore ſucceſſit. Præfectura deinde Conſilii partium Borealium commiſſa eſt Matthæo Huttono, Archiepiſcopo Eboracenſi, cum omnimoda juriſdictione, ſed ſine præſidis titulo.

1. Et Camerarii, *ſine* in, *Edd. priores.*

Nec

Nec inter tot viros reticenda Margareta Cliffordia, 1596.
Comitiſſa Derbiæ, Henrici Cliffordi Comitis Cumberlandiæ ex Eleonara Brandonia Henrici Octavi nepte filia unica; quæ ex muliebri imbecillitate curioſula, credula vanitate & neſcio qua ſpe ambitioſa, Divinatores conſulendo, Reginæ gratia paullo ante obitum quodammodo exciderat. Et Comitiſſæ Derbiæ.

M. D. XCVII.

QUANTAM fortitudinis laudem hoc anno inchoante Robertus Sidneius & Franciſcus Verus cum auxiliaribus Anglis in prœlio ad Turnholtum in Brabantia ſub auſpiciis Mauritii Naſſovii retulerint, II M. Neapolitanorum & Germanorum cum Comite Varaxio ductore cæſis; Belgici Hiſtorici prodiderint. Ego ad majora propero. Prœlium ad Turnholtum.

Regina, primo vere certior facta, Hiſpanum novi belli molem ex ſuperioris naufragii reliquiis, & aliis navibus in Gallicia contra [1] Angliam aut Hiberniam apparaſſe; ut averteret, aut diſtineret, claſſem ex decem navibus Regiis totidemque Belgicis denuo inſtruit. Nova in Hiſpanum expeditio.

Quum autem hic numerus exiguus videretur, plures additæ; quinque millia militum conſcripta, præter mille veteranos, quos Verus ex Belgio duxerat, ut in hac claſſe recenſerentur naves CXX; è quibus XVII. Regiæ, XLIII. bellicæ minores, reliquæ annotinæ. Diviſæ erant in tres *Phalanges*. Primam duxit Eſſexius, cui ſumma expeditionis commiſſa; ſecundam Thomas Howardus; tertiam Walterus Raleighus. Militibus ſub Eſſexio præfuit Carolus Blontus Baro Montjoius, Franciſcus *Verus* Tribunus conſtitutus, Georgius *Carew* machinarum præfectus, & Chriſtophorus Bluntus Chiliarcha primarius. Squadrons.

In hanc militiam nomina dederunt Comites Rutlan-

1. *Deſunt* Angliam aut *in Edd. priorib.*

1597. diæ & Southamptoniæ; Barones Greius, Cromwellus, & Richus, cum [1] pluribus ex Equeſtri dignitate, aliiſque notæ clarioris. Hi plumis ventilantibus & ſplendide veſtiti (peculiari Anglorum vanitate, quum in militiam proficiſcuntur) è Plimoutha die IX. Julii ſolvunt; poſt biduum documenta conſignata ſingulis navibus traduntur, quo curſus dirigendus. Ad *Feroliam* ſcilicet & *Corunnam*, ut claſſem Hiſpanicam in ſtationibus opprimerent, & Indicam claſſem ad *Azoras* interciperent. Hoc poſt maturam deliberationem conſultiſſimum videbatur. Ita Angliæ ſecuritas præſtaretur; utriuſque Indiæ claſſes indefenſæ facilius interciperentur; Inſulæ *Azores* occuparentur, ad quas opulentæ claſſes ex utraque India in reditu appellunt ad aquandum; Regina abſoluto Oceani Imperio potiretur; Hiſpanuſque claſſe exutus ad æquas pacis conditiones facilius perduceretur, vel ſuo detrimento bellum repararet. Eſſexio enim deſtinatum erat, ut ipſe præ ſe tulit & palam prædicavit, *aut claſſem illam Hiſpanicam, quæ jam annum totum Angliæ minabatur, profligare, aut ſe patriæ ſacrificare.* Vix XL. plus minus leucas à Plimoutha provectis, horrida tempeſtas ab occaſu Brumali glomerata irruit, vela adverſa furenter ferit, atra caligo proſpectum undiquaque adimit; cœlum horrendo tonitru, & iratiſſimum mare, turbinibus, vorticoſis fluctibus in naves horrendo boatu illidentibus, totum quatriduum ita inhorruit, ut ipſi nautæ expaveſcerent, milites horreſcerent, disjectaque hinc inde claſſis non ſine maximis periculis Plimoutham & ſtationes illa in ora ægre recuperaret. Ipſa Prætoria navis ita conquaſſata, ut vix uſui eſſet; nonnullique ex delicatioribus ita nauſea laborarunt, & ſævientis Æoli contumelias formidarunt, ut ſe domum clam ſubduxerint.

Quo conſilio, quibus documentis.

Tempeſtate rejicitur.

---

1. Plurimis *Elz. Sen.*

Refecta

Refecta claſſe, etſi numero & viribus acciſa, iterum vela ſubinde pandunt, ſed ventis ita ſtatim adverſantibus, ut è portubus toto menſe egredi non potuerint, quaſi incepto cœlum indignari videretur. Quo tempore res annonaria admodum erat imminuta; (quæ niſi ex Orientali Angliæ parte, nec brevi tempore, ſuppleri poterat.) Viſum itaque eſt, milites omnes præter mille veteranos exauctorare, & plura è navigiis minoribus dimittere, nec Feroliam aut Corunnam adire. In deliberationem deinde cecidit, an ad *Azoras* expeditionem ſuſciperent? Suſcipiendam cenſuerunt omnes: præter *Verum*, qui illam nec in rem, nec in honorem Reginæ futuram diſſeruit; quum tam paucis navibus & tantillis viribus nihil effici poſſet quod hominum exſpectationi ſatisfaceret; & Anglia interea, lectiſſimis ducibus & parte claſſis Regiæ abſentibus, ab Hiſpanis facilius invaderetur. Hinc Eſſexius & Raleighus per diſpoſitos equos ad Reginam advolant, ut, quid jam agendum, conſulerent. Propoſuit Eſſexius magna & multa ex excelſa animi magnitudine, ſi ipſi permitteretur cum altera claſſis & exercitus parte locum neſcio quem adire. Quod quum Regina abnueret, in ſe recepit, claſſem Hiſpanicam in ſtatione ad *Feroliam* debellare, ſi cum bona Reginæ venia mille veteranos, & duas illas ingentes naves ab Hiſpano abreptas à *S. Andrea* & *S. Matthæo* denominatas cum quibuſdam aliis diſcrimini objicere liceret, reliqua claſſe extra ſtationem relicta, dum ipſe cum quibuſdam ſelectis Martis aleam tentaret. Nec hoc permiſſum, niſi certis quibuſdam cautionibus. Tandem res tota eorum relicta arbitrio, ita tamen, ut omnem occaſionem, naves in Feroliæ portu incendendi, vel Indicam claſſem intercipiendi, arriperent, & ad novos caſus conſiliorum rationes accommodarent.

1597.

Ventis adverſis diſtinetur.

 Pli-

1597. Plimoutham reverſi, die decimo ſeptimo Auguſti vento obliquo è portu eluctati ſolverunt; priuſquam autem Hiſpaniam conſpicerent, alia denuo efferata tempeſtate disjiciuntur; qua ingens Sancti Matthæi navis, antennis & malo effractis, in rupellam adacta, & illa Sancti Andreæ à reliquis abrepta. Cetera claſſis brevi collecta in conſpectu Aſturiæ & Galleciæ vela facit; parum conſulto, ut prudentioribus viſum; quum ejuſmodi vanæ oſtentationes, & Draco in duabus poſterioribus ad Americam expeditionibus, & Norriſio in Luſitanica, damnoſæ fuerint. Hoſtes enim præmoniti ad reſiſtendum præmuniuntur. Prope Nerium Promontorium antenna in nave Raleighi vi tempeſtatis effracta decidit; quam dum reſtaurat, à reliquis derelictus, & falſo edoctus claſſem Hiſpanicam è Ferolia *Azoras* verſus ſolviſſe, naviculam fruſtra emiſit ut Eſſexio hoc nunciaret. Dum Raleighus exſpectatur, ex una omnium ſententia deliberatum eſt, à conſilio incendendi naves in portubus, ut impoſſibili, abſiſtere, quandoquidem jam à littore conſpecti eſſent, & recta *Azoras* adnavigare. Statioque ſua unicuique phalangi eſt aſſignata: Eſſexio ad *Faial*, Howardo & Vero ad *Gratioſam*, & Raleigho ad *Pico*, qui ad *Azoras* jam curſum direxerat. Ille errabundus claſſem ad Flores Inſulam tandem reperit; inſimulatus interim à nonnullis, qui infenſum jam antea Eſſexii in illum animum exacerbarant, quaſi deſertor ſe ſponte ſegregaſſet. Eſſexius tamen lætanter excepit, &, quod illum litteris in Angliam miſſis ut deſertorem falſo ſubaccuſaſſet, excuſavit. Hîc Raleighus quum aquæ penuria laboraret, venia non rogata exſcenſionem facit. Vix aquare cœperat quum è veſtigio jubetur, ut Eſſexium ad *Faial* ſubſequeretur. Quo quum veniſſet, nec Eſſexium ibi inveniret, portum obſervat, incolas bona convaſare, & præſidiarios vallum ducere conſpicit. Conſilio igitur

Claſſis iterum ſolvit & iterum disjicitur.

Raleighus relictus.

igitur in rem præſentem inito, placuit ductoribus, ut locum adorirentur, & claſſiarii perurgebant, ne tanta præda quaſi oblata faucibus eriperetur. Gillius vero Mericus, ex Eſſexii clientela, ſuaſit enixe ne quid Eſſexio abſente tentaretur: quem quum totum quatriduum fruſtra exſpectaſſent; Raleighus ex aquandi neceſſitate, temporis opportunitate, [1] ſuorum importunitate, & gloriolæ cupiditate, ad IIII. à portu milliare, in terram, loco acclivi [2] & difficili, marique ſæviente, cum ſelectis voIonibus, Guilielmo [3] Brooko, Guilielmo Harveio, Arthuro Georgio, Joanne Scotto, Thoma Ridgewaio, Sidneio, Henrico Thinno, Carolo Morgano, Waltero Chuto, Bretto, Berrio, & aliis ordinum ductoribus, exſcendit. Hiſpani eo convolantes impreſſionem fecerunt, ſed in fugam conjecti. Raleighus terra potitus, poſtquam aquaſſet, cum ſuis periculoſo tranſitu ad oppidum perrexit, & vacuum occupavit. 1597.

In Faial exſcenſionem facit.

Oppidum capit.

Poſtridie Eſſexius, qui in vaſto illo mari claſſem Hiſpanicam indagaverat, *Faiolam* accedit. Gil. Mericus, quid Raleighus geſſerat, edocet; perſuadetque, non alio conſilio oppidum occupaſſe, quam ut Eſſexio gloriam præriperet: quod ille, qui in gloriam ex innata magnanimis cupiditate effuſus, atque ambitioſum & malevolum Raleighi animum prope novit, facile credidit. Suaſerunt alii, ut Raleighum judicio militari ſiſteret & exauctoraret, alii, ut capite plecteret, quod ſummo Imperatore inconſulto in terram exſcenſionem fecerit, ſuggerentes occaſionem adverſarium tollendi jam oblatam arriperet, quam amiſſam forte poſtea doleret. Hinc Sidneius, Brettus, & Berrius, & alii qui Raleighum comitati, exauctorati & in cuſtodiam dati, ipſe accitus torvo omnium vultu excipitur; Eſſexius gravius increpat,

Hinc Eſſexius indignatur.

1. *Deſunt* ſuorum importunitate *in Edd. priorib.* 2. *Deſunt* & difficili *in Edd. priorib.* 3. Brako *in Edd. priorib.*

quod

1597. quod imperio ſpreto diſciplinam violaſſet, qui, contra ac capitis pœna ſancitum erat, cohortes, Imperatoris in juſſu, in terram expoſuiſſet. Reſpondet ille, ductores militum, navarchos & ceteros, non tres primarios gubernatores, è quibus ipſe erat, ea lege teneri; ſe diu ejus adventum exſpectaſſe; neceſſario aquandum fuiſſe; &, niſi inſulani aquatu prohibuiſſent, & ad pugnam provocaſſent, diutius exſpectare voluiſſe. Ne aſperius cum Raleigho ageretur, interceſſit Thomas Howardus, & perſuaſit ut culpam agnoſceret. quod factum: ſimulque ipſe & ductores exauctorati in gratiam recepti. Eſſexius enim mitiſſimo ad offenſionem accipiendam & deponendam ingenio inimicitias jam inveteraſcentes Reipublicæ donavit, quæ tamen utrinque erant potius ſopitæ quam ſublatæ.

Raleighus ſe defendit.

In gratiam recipitur.

Dum hæc aguntur, propugnaculum juxta oppidum à præſidiariis Hiſpanis deſeritur, & in eo reperti duo Angli jugulis præſciſſis. Emiſſi ad indagandum, aliquam Inſulæ partem deprædati, fruſtra redeunt. Poſt aliquot dies oppidum, tormentis abductis, in cineres redigitur.

Gratioſa & Flores Eſſexio ſe dedunt.

Hinc ad *Gratioſam Inſulam* navigatur, cujus incolæ, uti illi apud *Flores*, clementiam Eſſexii expoſcunt & impetrant. Ad *Gratioſam* ille in terram deſcendere ſtatuit, & inſulam amœniſſimam luſtrare, ibique claſſem Indicam præſtolari. At Gravio Navarcho inauſpicatò diſſuadente, quaſi illa incommoda navibus ſtatio, inde cum univerſa claſſe vela ad S. Michaëlis Inſulam explicat; præcipitque *Vero* & Nicholao Parkero, ut inter *S. Georgii* & *Gratioſam*, Comiti Southamptonio & Guilielmo Mounſono, ad Occiduam *Gratioſæ* partem cum ſuis navibus excubarent, & aliis alibi. Ecce vix una & altera hora, poſtquam Angli malo fato & inviti è *Gratioſa* ſolviſſent, Americana claſſis (in qua quadraginta erant naves, & ſeptem ex illis theſauro onuſtæ) ibidem appellit;

pellit; & comperto, Anglos adeſſe, ad *Terceram* recta curſum dirigit. Nocte intempeſta in Mounſonum incidit. ille diſploſis ſæpius tormentis denunciat. Hæc longe audita, & lætiſſimo nautarum celeuſmate excepta. Quiſque ad prœlium ſe accinxit; Mounſonus, Southamptonius, & Verus, qui in vicinia erant, inſecuti ſunt, ſed lentius & longius, dum auxilia exſpectarent. Interim in portum *Terceræ* claſſis illa ordinibus ſervatis invehitur. Tres tantum naves ſatis opulentæ, quæ à ceteris aberrarunt, interceptæ. Southamptonius & Verus tentarunt lembis majoribus portum noctu ingredi, & rudentes proximarum navium præcidere, ut vento à terra reflante in altum propellerentur. ſed, Hiſpanis diligenter vigilias agentibus, operam luſerunt. Protinus igitur emiſſo celoce hæc Eſſexio ad *S. Michaëlis* ſignificarunt, & hoſtem exitu prohibere in ſe receperunt. Ille, poſt unum & alterum diem collecta claſſe, venit, ducum ſententiam rogat: Chiliarchæ quidam & militum ductores periculum oppugnandi oppidum & naves expopoſcerunt facileque factu judicarunt, & cum illis Eſſexius: nautæ contra; qui tamen ſuam operam terra marique prompte detulerunt. Poſtquam vero Eſſexius ipſe, Montjoius, & alii, locum propius contemplati, viderent, naves interius ſub propugnaculis ſubductas, portum operibus & præſidio eſſe munitiſſimum, tormenta majora undique librata, & ventum ita adverſum ut pyroboli uſui eſſe non poſſent; illi qui antea lingua promptiſſimi, pericula detrectarunt. 1597.

Ad *S. Michaëlis* itaque (poſtquam Rutlandium, Southamptonium, Guiliel. Evers, Guil.[1] Brownum, & Henricum Docwraium Equeſtri dignitate[2] ornarat) revertit, coramque urbe primaria (*Cividadam* vocant) in anchoris conſiſtit; quæ ſpecioſo admodum proſpectu oculis

1. Brodonum *Edd. priores.* 2. Ornarunt *Edd. priores.*

adblan-

1597. adblandiens milites ad prædam allexit. Ipſeque, imperatorii muneris oblitus, in cymbam [1] in armis deſcendit, ut, qua commode exſcenſionem faceret, obſervaret; ſed fluctibus decumanis volventibus, & littore militibus completo, copias ibi in terram exponere minime viſum. Raleighus ibidem cum ſuis in ſtatione manere jubetur, ut exſpectatione exſcenſionis hoſtium animos ſuſpenderet, dum ipſe Eſſexius alibi terram conſcenderet; qui ad

Villa Franca capitur. VI. milliare juxta *Villam Francam* appulſus, oppidum elegans, mercimoniis, vino, glaſto, & frumento opulentum, nullo fere reſiſtente cepit; ubi ſex dies hæſit, & gregarii milites prædam opimam fecerunt, Raleigho interim fruſtra ad S. Michaëlis reditum exſpectante. Qui-

Caraqua incenſa. bus diebus viſa eſt in alto *Caraqua* ex India Orientali, paſſis velis, haud procul à *S. Michaëlis*: quæ, quum emiſſo tormento è nave Belgica ſentiret hoſtes adeſſe, & plures hinc inde naves imminerent, in littus ſe violenter illiſit ſub oppido; ubi pretioſiſſimis mercibus feſtinanter expoſitis, igne injecto, fere biduum deflagravit. Ita Anglis ubique hoc bello tranſverſa incurrit fortuna, ut illuſiſſe videatur. Et quamvis fortuita nuſquam crebriora quam in mari, errata tamen ſpontanea fuiſſe videantur, & fruſtrationes ex æmulatione à nonnullis injectæ, ut gloriolam aliis præriperent: Ad diem IX. Octo-

Claſſis Anglica redit. bris, quo menſe mare illud & cœlum tota in tempeſtates abeunt, ſigno dato Eſſexius juſſit ut anchoris ſublatis omnes Angliam verſus concomitarentur.

Hiſpanica diſperſa. Verum perendie fœda ab Aquilone irruit tempeſtas, totoque mari naves diſpulit, Hiſpanicamque ſimul claſſem interim à *Ferolia* magno contra Angliam apparatu emiſſam diverſe abripuit, uſque adeo ut nec Angli Hiſpanicam nec Hiſpani Anglicam ſemel conſpexerint. Ex Anglica ne navis quidem periit; ex Hiſpanica plures,

1. *Deſunt* in armis *in Edd. priorib.*

ut

ut perhibent; & una hinc inde vi tempeſtatis raptata in Dartmoutham tandem adacta, militibus & nautis fame fere confectis. Hi docuerunt, Hiſpanis deliberatum fuiſſe aliquem Cornwalliæ portum occupare, qui commodiſſimus ex ſitu juxta Britannici maris fauces ad auxilia ex Hiſpania accipienda; Anglos inde bello diſtinendos, & eorum in Occiduam Indiam & Hiſpaniam navigationes cohibendas. Ita divinum numen, bellorum arbiter, gentes in mutuam cædem ruentes diremit, & ſpes utrinque hoc tempore fefellit. Tandem ſub finem Octobris, Eſſexius incolumis, navibus vero fatiſcentibus & laceris, in Angliam rediit, cum præda haud contemnenda. 1597.

Quo consilio illa emiſſa.

De hac navigatione multa variaque hominum judicia, hinc ex amore in Eſſexium, inde ex odio in Raleighum. Principis enim gratia, qua uterque floruit, miro ſane effectu huic odium, quod ſiniſtra impietatis ſuſpicio adauxit, illi amorem apud populum comparavit, quem comitas & ſumma virtutis opinio magis magiſque accendit. Certe in neutro, aut fortitudinem in periculis, aut laborem in negotio, aut prudentiam in conſiliis, deſideres; felicitatem autem, quæ à ſolo numine, nemo à ſe ipſo præſtare poterit. Inimicitias tamen magis apertas inter ſe illi jam perſequi cœperunt, dum adverſos ſucceſſus alter in alterum conjiceret. Indeque etiam tulit Eſſexius, Robertum Cecilium, quem ſuperiore anno Regina in Secretarium ipſo contranitente adſciverat, jam ipſo abſente, Ducatus Lancaſtriæ Cancellarium factum eſſe, cui ſe, ut prudentiæ æmulo, & Raleighi ſtudioſo, oppoſuerat. Iniquiſſime etiam tulit, Carolum Howardum Admirallum ipſo abſente ad honorem Comitis Nottinghamiæ evectum eſſe, cum hoc elogio in honorariis Creationis litteris: *illum Angliæ Regnum, anno* M.D.LXXXVIII. *victoria parta, ab omni invaſione*

Simultates inter Eſſexium & Raleighum gliſcunt. *

Et inter Eſſexium & Robertum Cecilium.

Eſſexius Comitis titulum Admirallo delatum ægre fert.

* *Deeſt hæc nota marginalis in Ed. Lond.*

1597. *Hiſpanica & periculi ſuſpicione tutum reddidiſſe: atque etiam conjunctim cum chariſſimo conſanguineo noſtro Roberto Comite Eſſexiæ, fortiter & magnifice cepiſſe vi aperta Inſulam & urbem de* * Cadiz, *fortiter munitam in ulteriore Hiſpania; aliamque claſſem integram Regis Hiſpani, in dicto portu paratam contra Regnum noſtrum, totaliter expugnaſſe & deſtruxiſſe.* Hæc Eſſexius, qui eam gloriam ſibi totam vendicavit, quaſi in ſuam contumeliam rapuit, & etiam in præjudicium interpretatus eſt, quod Admirallus, qui, dum Baro, honore poſterior fuerat, jam Comes creatus, honoris prærogativa ipſa antecederet. Sancitum enim erat regnante Henrico VIII. ut Magnus Angliæ Camerarius, Conſtabularius, Mareſcallus, Admirallus, Seneſcallus Regiæ, & Camerarius, ante omnes ejuſdem gradus locum haberent. Regina autem, quæ honoris Eſſexii & fautrix & amplificatrix ſemper fuit, ut offenſionem leniret, & honori ſimul conſuleret, [1] atque Admirallo jam Comiti præcederet, illum *Comitis Mareſcalli Angliæ* titulo, qui à morte Comitis Salopiæ quodammodo jacuerat, exornavit.

* Gades.

Fit Comes Mareſcallus Angliæ.

Legatus à Polono.

Venit in Angliam hoc anno Paulus Dzialinus à Sigiſmundo Poloniæ Rege Legatus, homo pro gentis ingenio promptæ audaciæ. quem quum Regina admiſiſſet, exſpectans ut gratias ageret, quod pacem Polonis ab Amurathe Turcarum Imperatore bellum minante impetrarat: ille (poſtquam Reginæ, quæ procerum corona circumfuſo in ſolio ſedit, litteras tradidiſſet; dum illa perlegit) more in Anglia inſolito inferiorem conclavis partem, vultu ad Reginam obverſo, retroceſſit. Ibi alta voce, oratione Latina, conqueritur, antiqua Prutenicorum & Polonorum in Anglia negotiantium privilegia non ſolum eſſe imminuta, ſed etiam jure gentium violato, commercia cum Hiſpanis à Regina prohibita, quæſito-

Ejus ad Reginam oratio.

1. Itaque *pro* atque *habent* Elz. Sen.

que

que inde colore, Polonorum bona in fiſcum eſſe abrepta. Hæc Polonum negligere non poſſe, cum ob damna civis illata, tum etiam ob affinitatem, quæ ipſi cum Hiſpano & Auſtriaca familia intercedit. Proinde ablata reſtitui, & liberam jam inde in Hiſpaniam navigationem permitti poſtulat. Sin minus; denunciat, Polonum rationes initurum, quibus ſuis ſuorumque ſubditorum rebus conſulat, & eos reſipiſcere faciat, qui injuriæ auctores extiterunt. 1597.

Regina extemplo hominis audaciam modeſta eloquentia hiſce verbis compreſſit. *Quam decepta fui? Legatum exſpectavi, Heraldum inveni. Per totam vitam hujuſmodi orationem ne audivi quidem. Non poſſum ſatis mirari tantam audaciam & temeritatem. Quod ſi tale aliquid Rex tuus tibi mandaverit, quod valde dubito; ideo factum exiſtimo, quod, juvenis quum ſit, neque ordinaria ſanguinis ſucceſſione, ſed electione ad Regnum nuper promotus, non adhuc intelligat rationes hujuſmodi negotiorum, nec ea quæ nobis cum ejus prædeceſſoribus intercesſerunt. Ad te quod attinet, multos quidem libros legiſſe nobis videris; ea tamen, quæ ad res Politicas pertinent, parum intelligere. Quod enim jus gentium toties in oratione uſurpas, ſcire debes, exorto inter Reges bello licere uni parti auxilia vel ſubſidia ad alteram miſſa intercipere, & providere ne damni quidquam inde ſibi exſiſtat. Hoc nos dicimus naturæ ac gentium juri eſſe conſentaneum, & non à nobis ſolum, ſed etiam à Poloniæ Sueciæque Regibus factitatum in bellis, quæ cum Moſcovitis geſſerunt. Quod novam Regis tui affinitatem cum Auſtriaca familia jactas, ac tanti facis, meminiſſe debes, quoſdam ex eadem familia Poloniæ regnum Regi tuo è manibus præripere voluiſſe. De ceteris, ex Conſiliariis noſtris, quid noſtræ ſit voluntatis, ſcies.* Quibus dictis, ſe in conclave recepit. Illa reſpondet.

1597. Dzialinus in colloquiis cum quibuſdam Conſiliariis, ut ſe excuſaret, Orationem illam ſcriptam exhibuit, ſibi, ut aiebat, à Thelitizkio Sueciæ Cancellario traditam, & ab aliis compoſitam, abſente & inſcio Zamoskio. Regina per Burghleium Theſaurarium, Admirallum, Robertum Cecilium, & Forteſcuum, ab intimis conſiliis, hæc nunciari juſſit. Privilegia Prutenicis civitatibus, ut reliquis Hanſeaticis, regnante Edwardo Sexto, legitime fuiſſe abjudicata; Reginam tamen permiſiſſe ut æquo cum Anglis jure commercia exercerent: Ut potiore jure eſſent, permittere non poſſe, niſi, ut mater improba, prole ſua neglecta, alienam indulgentius foveret. Subſidia ad hoſtes miſſa intercipere, non eſſe contra jus gentium, quum à natura comparatum ſit ut quiſque ſe defendat, iſtamque legem non ſcriptam, ſed natam eſſe; Cautum item eſſe ne Civitates illæ Regni Angliæ hoſtes commeatu juvarent, his diſertis in privilegio verbis: *Licebit prædictis mercatoribus, quo voluerint, tam intra regnum & poteſtatem noſtram, quam extra, mercantias ſuas portare, ac portari facere, præterquam ad terras manifeſtorum & notoriorum hoſtium.* Ad hæc, memoria recenti, Poloniæ & Sueciæ Reges Anglorum naves & merces in fiſcum rapuiſſe, ex ſuſpicione quod Moſcum commeatu adjuverant. Sciſcitantibus quid ad hæc reſponderet, dixit, non ſibi imperatum ut reſponderet, ſed ut mandata exponeret, & reſponſum referret, poſteaque benigne dimiſſus eſt.

Reſpondetur à Conſiliariis.

Hanſeatici autem importunis apud Imperatorem efflagitationibus evicerunt, ut Edicto promulgato Angli mercatores è Societate, quam vocamus *Adventureurs*, omni negotiatione in Germania interdicerentur, eo quod ſuis legibus & non Imperii in Imperio mercaturam exercerent. Quum Regina per Joannem Wrothum apud Imperatorem, & Stephanum Leſurium apud Imperii Principes,

Mercatoribus *Adventureurs* negotiatio in German. interdicitur.

Principes, ut Edictum ſuſpenderetur, reſque compone- 1597.
retur, fruſtra egiſſet; publicato Londini programmate, eodem die quo Angli è Germania excedere juſſi, omnibus Hanſeaticis & mercatura & Regno Angliæ interdixit, juſſitque Prætorem Londinenſem Hanſeaticos poſſeſſione ædium, quas in urbe habuerunt, & *Stiliard* vocant, movere. Hinc illi Comitia urbium Hanſeaticorum Lubecæ indixerunt, conjuraturi ad Anglorum in Germania & Polonia commercia, quibuſcunque poterant rationibus, diſturbanda. Quod ne fieret, Georgius Carew Cancellariæ Primicerius in Pruſſiam mittitur, ut edoceret Regem & Ordines Poloniæ atque Civitates Prutenicas quæ Dzialino reſponſa: ſimulque Reginam ex gratia permittere ut frumentum & omne genus mercium (præter bellicum apparatum) in Hiſpaniam libere tranſmitterent, etſi ex jure gentium, & civili, ad hoſtem miſſa intercipere liceret; utque Hanſeatici antiquis fruerentur privilegiis in Anglia, modo illa ut privilegia ex Principum gratia indulta, & non ut pacta ex juris rigore expoſcerent. Privilegia enim, ex Principum gratia ſubditis, nedum exteris, conceſſa, pro temporum ratione, reipub. bono, aliiſque de cauſſis, legitime poſſe ſuſpendi, revocari etiam, & reſcindi. Hanſeaticos hoc in Dania & Suecia expertos, & in Anglia, Ed. VI. Philippo, Mariaque regnantibus. Aliam regnorum, aliam Civitatum eſſe rationem; Regum intereſſe potius Regiæ dignitati, quam mercatorum avaritiæ patrocinari, ne nimio plus contra Reges inſoleſcant.

Et Hanſeaticis in Anglia.

Georgii Carew ad Polonum Legatio.

Ille apud Gedanenſes efficit, ut ſuos Legatos ad Comitia Lubecæ non mitterent, nec cum Germaniæ Hanſeaticis ſe conjungerent. In Sueciam inde trajicit; ubi Polonum in anguſtias apud Steckburgum à Carolo patruo adductum convenit, ſed nihil efficit, quandoquidem

Quid ille * præſtiterit cum Polono.

* Præſtitit. Ed. Lond.

(ut

1597. (ut Rex ipſe benigne reſpondit) Polonicis legibus cautum ſit, ne Rex ſolus cum exteris quicquam paciſcatur aut tranſigat. Hoc reſponſum *Litteris Patentibus* accepit; Alias litteras, quas Vice-Cancellarius in manus tradidit obſignatas, accipere abnuit, eo quod titulus Reginæ in ſuperſcriptione non eſſet omnibus numeris abſolutus, ne Principis ſui honori defuiſſe videretur, qui Legato etiam in minimis ante omnia tuendus. Elbingam inde ſe recepit, quæ ſuam elegantiam & frequentiam Anglorum commerciis magna ex parte debet; ubi lites inter cives & Anglos negotiatores quodammodo compoſuit. Verum hæc anno inſequente. Hîc tamen attexere lubuit ne ſaltuatim ſcribendo lectoris animum diſtraherem.

Et Elbingenſibus.

Hoc anno à Chriſtiano IV. Daniæ Rege venit Arnoldus Whit-feldius Regni Cancellarius, cum Chriſtiano Bernico, qui reddita Georgiani Ordinis periſcelide, qua Regis patrem Fredericum Regina honoraverat, antiqua inter Angliam & Daniam fœdera renovari, &, ne Danorum bona in mari interciperentur, rogavit; piſcationem Norwagicam & Iſlandicam ab Anglis contra fœdera exerceri prætendit, Regiſque operam ad pacem inter Angliam & [1] Hiſpaniam conciliandam detulit. Illa legatos benigniſſime complexa, fœdera renovanda; bona, ſi quæ fuerant intercepta, reſtituenda, nec deinceps intercipienda, certis legibus promiſit; & piſcationem ex antiquis fœderibus legitime exercendam; Pacem autem ab Hiſpano, qui prius violarat, per pararium quærere, nec è Regni nec è Regia ſua dignitate cenſuit, (quæ ſuorum fide & fortitudine, ut dixit, *vallata* hactenus formidavit neminem,) & minime quidem hoc tempore, quum ille Gallum confœderatum ſæviſſimo bello infeſtet.

A Dano Legatio.

1. Hiſpanum *Ed. Lond.*

Hiſpani

Hiſpani enim, ductore Ferdinando Teglio, nato ſpe- 1597.
ctatæ fortitudinis & ſolertiæ, Ambianum maximam & munitiſſimam Picardiæ Urbem, militati ſtrategemate, plauſtro in portu everſo, jam ceperant, eoque Gallum adegerant, ut Reginam auxilia IIII M. Anglorum denuo rogaret. Nec negavit quidem illa, modo ille ſtipendia ſolveret, quum jam claſſis ad Inſulas miſſa, & exercitus in Hibernia, pecuniam exhaurirent. Ille proteſtatus ſe ſolvendo non eſſe, ut facilius conſequeretur, per Reauxiam edocet, pacem ſibi commodiſſimam à Nuncio Pontificis oblatam fuiſſe, cum abſoluta omnium locorum in Gallia præterquam Caleti & Ardarum reſtitutione, ſi à Regina ſe abjungeret: populumque Gallicum pacem omnibus votis efflagitare. Illa reſpondit, ſe non poſſe credere, tantum Principem, neceſſitudine conjunctum, beneficiis multis affectum, quæ ſemper agnovit, & modo jurejurando obſtrictum, velle admittere quocunque fuco objecto, ut à fœdere inito & votis ſubinde ſuſceptis recederet, quod in tantis Angliæ difficultatibus illi in omnibus ſatisfacere non potuerit. Et hæc quidem Antonius Mildmaius, Legatus Ordinarius, vehementius, nec citra offenſam, cum Rege expoſtulavit. Vir apertus & vere Anglus, qui Galli Conſiliarios tergiverſationis & deſultoriæ levitatis in reſponſis, quaſi Anglis illuderent, ſubinde inſimulavit. Quum tamen nonnulli crederent, Hiſpani conſilia eo collineare, ut, conjunctione inter Gallum & Reginam diremptа, Angliam è Caleto facilius adoriretur; viſum eſt Reginæ, auxilia ſubmittere, ſtipendiaque perſolvere, dummodo ille bellum vel in Picardia vel Britannia ad hoſtes longius ſubmovendos ſuſciperet, majores copias adjungeret, Angliſque locum receptui aſſignaret; alias enim, Anglos in lanienam in rem Gallorum protrudere, pro materno ſuo in ſubditos amore, omnino recuſavit, magnam tamen pecuniam mutuam

Gallus auxilia ab Elizabetha rogat.

tuam

1597. tuam dedit. Pro qua & ceteris debitis ille Caletum ſpecioſe in pignus obtulit ſi Regina ſuis impenſis & copiis * intra [1] ſtatutum tempus recuperaverit. utque commodius recuperaret, Bononiam in receptum & armamentarium propoſuit: ratus, Ambianum facilius oppugnatum iri, ſi hoſtiles copiæ diſtraherentur. Verum, dum hæc agitantur, Ambianum poſt difficilem obſidionem deditione feliciter recepit; pro quo Baskervillo (qui obſidionis tempore diem obiit) & Arthuro Savagio fortiſſimis ductoribus, & Anglorum virtuti, ſe multum debere, ſuis litteris Septembri datis libenter agnovit. Ad illius etiam felicitatem acceſſit, quod ætas & neceſſitas ingraveſcentes Hiſpanum ad pacis ſtudium excitarint. Quum enim ille videret, res ſuas magis fama quam viribus ſtare, opes impares eſſe ad Anglorum aſſultus comprimendos, Belgicum bellum proſequendum, & loca, quæ in Gallia occuparat, ſimul defendenda; ſe ſumma ſenectute, & perdita valetudine; filium ætate nondum firmata exiguoque rerum uſu; & Gallum bellica laude florentiſſimum: conſultius exiſtimavit, Pontifice Romano arbitro interpoſito, cum Gallo, pacis etiam tunc temporis percupido, de pace agere, quam filio res turbatas inter tot & tantos hoſtes relinquere: & ſane pax poſtea inter eos coäluit, utrique optatiſſima; ut ſuo loco dicemus.

Ambianum recipit.

Hiſpanus ad pacem propendet.

Ubi primum hujus pacis inchoatæ ſuſpicio apud Reginam increbuit, illa ſibi & Angliæ fraudi futuram ſuſpicata, ſe ſuorum benevolentia & pecunia contra præmunire ſtatuit. Ordinibus igitur Regni Weſtmonaſterium convocatis, leges populo gratiſſimas tulit de prædiis per rura depopulatis reſtituendis, depopulatoribus coërcendis, de arvis & cultis in paſcua non redigendis, de bonis in pauperculorum uſum legatis non intervertendis, (nec quidem ſine fœda hujus ſeculi labe,) de

Parlamentum habetur.

1. Statum *Edd. Belg.*

Ptocho-

Ptochodochiis, modo non ſupra cc. libris annuis dotentur, libere erigendis, de Rationalium fraudibus prævertendis, de militibus & nautis ſublevandis, de ergaſtulis per Comitatus ad vagabundos corrigendos erigendis, de fœneratoribus & virginum raptoribus cohibendis: de Pontificiorum Epiſcoporum primis Reginæ annis abdicatione: utique eam [1] juſtam & legitimam fuiſſe & fore, contra abdicatos; & Epiſcopos in eorum loca ſuffectos legitimos fuiſſe, & pro legitimis habendos. Ob hæc & Religionem veram reſtauratam, Rempublicam feliciſſime adminiſtratam, patriam ab hoſtium furore liberatam, Hiberniam defenſam, Gallum & Belgas ſublevatos, Ordines [2] congratulantes; ut ex præparato opes ad Regni tutelam & ſalutem haberentur, Eccleſiaſtici tria ſpontanea ſubſidia conceſſerunt; & Laïci Reginam rogarunt, ut ab illis tria integra Subſidia, ſex Quindenas & Decimas, accipere dignaretur; ſimul obſecrantes, (uti anno M.D.XCIII.) ne tanta extra ordinem contributio in exemplum traheretur, niſi ex ejuſmodi urgente neceſſitate. 1597.

Ad hoc Parlamentum Thom. Baro *La-warus*, Guil. patre defuncto, vocatus, Reginæ petitionem exhibuit, ut in antiquum & avitum Baronum *La-ware* locum reſtitueretur. Pater enim, quia patruo Baroni *La-ware*, cujus hereditati inhiavit, venenum pararat, judicio Parlamentario, regnante Edwardo Sexto, omni hereditate & honore, quæ à patruo obvenire poterant, excluſus erat. Idem regnante Maria læſæ Majeſtatis damnatus, ac poſtea in integrum, perinde ac ſi damnatus non fuiſſet, reſtitutus. Verum quum illi ex priore judicio avito honore gaudere non liceret; ex ſpeciali R. Elizabethæ gratia, codicillis honorariis de novo Baro *La-ware* creatus fuit, locumque pro Creationis tempore, dum vixit, capeſſivit. Illa rem ad Proceres in Parlamento retulit:

Baro La-ware in priſtinum locum reſtitutus.

1. *Deeſt* juſtam *in Edd. priorib.* 2. Congratulantur *in Edd. priorib.*

1597. qui, quum comperiſſent, judicium illud prius perſonale fuiſſe in Guilielmum, nec liberos eodem teneri; & proſcriptionem Maria regnante, nihil obſtare, quum ille eo tempore dignitatem, quam non habuit, amittere non potuerit, & mox in integrum reſtitutus fuerit; nec antiquam dignitatem nova Creatione fuiſſe exſtinctam, ſed illo ſuperſtite quaſi conſopitam jacuiſſe, quum Creationis tempore in illo non ineſſet: locum ei avitum adjudicaverunt inter Barones Willoughbeium de *Eresby* & Bercleium, in quo rite locatus.

Tho. Baro Howard. de Walden. Thomas etiam Howardus Thomæ Ducis Norfolciæ filius ſecundo-genitus, qui nuper in Periſcelidis ordinem adſcitus, ad hoc Parlamentum titulo Baronis Howardi de *Walden* Reſcripto evocatus erat; & pro eo, qui ex morbo tunc decubuit, introductus eſt in ſuperiorem conſeſſum Baro Scroopus, inter duos Barones, in trabeis Parlamentariis Reſcriptum geſtans, primario Armorum Rege præeunte. Quod quum Sigilli Cuſtos publice perlegiſſet, loco infra ceteros omnes Barones collocatus erat, etſi filii Ducum natu minores locum alibi habeant Vicecomitibus ſuperiorem. Quandoquidem (ut ex Faſtis Parlamentariis conſtat) anno ſexto Henrici Octavi, quum Thomas Howardus Comes Surriæ ad Parlamentum vocatus *vendicaret locum ſedendi & incedendi ante Comites, quia Ducis filius eſſet primogenitus*; judicatum erat, ut in Parlamentis ſederet ordine ſuæ Creationis, prærogativa honoris & dignitatis, quæ Ducis filio primogenito debetur, extra Parlamentum integra.

Obitus Baronis Cobhami. Emigravit ex hac vita hoc anno Guil. Brookus Baro Cobhamus, ex Ordine Sancti Georgii, Reginæ Camerarius, Caſtri Dovorenſis Conſtabularius, Quinque portuum Præfectus, & Cancellarius; cui heres erat Henricus filius ex Franciſca Newtonia. Guilielmus etiam Powlettus tertius Wintoniæ Marchio, ex honoris ampli-

Et Guilielmi Powletti.

tudine

tudine & avitis opibus magis quam re alia illuſtris, unico 1597. filio legitimo Guilielmo ex Anna Howarda Effinghamia relicto.

In Hibernia quum res jam admodum turbidæ, (univerſa enim Ultonia ultra Dundalkiam, præter ſeptem præſidiaria Caſtra, *Newry* ſcilicet, *Knockfergus*, *Carlingford*, *Green-Caſtle*, *Armacha*, *Dondrom*, & *Oldorfleet*, atque tota fere Conachtia, defecerant,) Ruſſellus revocatur. In ejus locum Thomas Baro *Borough*, vir acer, & animi plenus, ſed nullis fere caſtrorum rudimentis, Prorex ſufficitur, præter omnem opinionem & omnino contra exſpectationem Norriſii, qui ex meritis & ſcientia militari hanc provinciam ſibi promiſerat. Quum autem, adverſariis in Aula præpotentibus atque amicis deſerentibus, æmulum, quem natalium ſplendore quodammodo ſua opinione æquavit, rerum geſtarum gloria longe ſuperavit, ſibi prælatum videret, quodque gravius, ſub ejus imperio in Momoniæ Præfectura manere juberetur; atque indoleret, Tir-Oenium toties ſimulando deluſiſſe: ille tot victoriis clarus, animi ægritudine victus, ſuccubuit, & brevi diem obiit. Vir ſane magnus, & inter maximos noſtræ gentis hoc ævo duces celebrandus; qui ſecundo-genitus Henrici Baronis Norriſii ex filia & altera heredum Baronis *Williams de Tama*, prima militiæ tirocinia in civili Gallorum bello ſub Colinio Admirallo poſuit, ordines in Hibernia juvenis ſub Waltero Comite Eſſexiæ duxit, Chiliarcha Generalis Anglorum ſub Ordinibus in Belgio, Mareſcallus Exercitus Ordinum ſub Comite Hohenlo, Momoniæ Præſes XII. annos, etſi plurimum abſuerit, Generalis auxiliarium Anglorum in [1] Britannia Armorica, & ceteris, quæ dixi, bellicis muniis perfunctus, virtute meruit ut per omnes gradus ad ſummum militaris laudis faſtigium aſcenderet.

Baro Borough Hiberniæ Prorex.

J. Norriſius obit.

---

1. Britannica *Edd. priores.*

1597. Tir-Oenius quum Norriſium ſpe dejectum videret & ipſe animo dejectior, in rem tamen ſuam callide intentus, inducias (*Ceſſationem armorum* Hibernici vocant) à novo Prorege per litteras demiſſe petiit; & Reipub. quidem intereſſe videbatur, ad menſem concedere, etſi Prorex *Ceſſationes* & Protectiones Reipub. exitioſas judicaret. Menſe expleto Prorex, contractis copiis, quod in rem & famam primis Imperii auſpiciis videbatur, in rebelles aciem erexit, dubioque conflictu inter anguſtias exceptus, viam virtute patefacit: & munimentum ad *Black-water* refirmatum, per quod in Comitatum Tir-Oeniæ aditus, & unicum erat præter ſilvas & paludes rebellibus firmamentum, fortiſſime expugnavit, docuitque, ſi quis inſiſteret, rebelles facile profligari poſſe. Eodem ipſo die, dum Prorex cum exercitu gratias divino numini de victoria ageret, ad arma ex improviſo conclamatum eſt, hoſte ſe à propinquo colle oſtendente; in quem Henricus Comes Kildariæ cum ala Equitum & quibuſdam è nobilioribus volonibus ſtatim proſiluit, & fugavit. Deſiderati tamen ex Anglis: Franciſcus Vaghanus, qui frater Proregis uxori; R. Turnerus Tribunus major, vir ſpectatæ fortitudinis; duo collactanei fratres Comitis Kildariæ, quorum mortem ille adeo ægre tulit, ut paucos poſt dies præ mœrore exſpiraverit. (Omnes enim omnium charitates collactaneorum in Hibernia amor longe ſuperat.) Plures vulnerati: inter quos bellica fortitudine nominatiſſimus erat Thomas Wallerus. Quamprimum, munimento novis operibus reſtaurato, Prorex exercitum reduxiſſet, rebellibus inter ſpem, metum & pudorem fluctuantibus, conſultiſſimum viſum eſt, illud obſidione premere. Opportuniſſimum enim erat ad illos infeſtandum; & actum de fama & fortuna Tir-Oenius exiſtimavit, niſi recuperaret. Valida itaque manu circumdedit. Prorex illico, quanta maxima

Prorex munimentum ad *Black-water* expugnat.

Kildariæ Comes moritur.

Rebelles munimentum obſident.

maxima potuit celeritate, eo rurſus contendit, certus 1597.
penetrandi ulterius in Ultoniam. Sed plenis paſſibus ad victorias progredientem vis morbi intempeſtiva exſtinxit, magno deſiderio bonis, & ſeditioſis ſecuritate relicta. Utique ſi vixiſſet, prudentum judicio, ſpem hoſtium infregiſſet, & in tanta pericula ſumma rerum non deveniſſet. Proregis morte audita, rebelles præferoces magno ſubinde clamore & impetu munimentum adorti, ſed majore ſemper clade repulſi. Qui ſcalis admotis ſcandebant, præcipitati, & à proruente præſidiario obtriti, adeo ut viribus jam diffidentes ad moras conſilium verterint, perſuaſi, paucorum dierum ſupereſſe cibaria; & fluxa præſidiariorum ex inopia fides, & proditio, ſperabatur. Verum egregia virtute Thomæ *Williams* Præfecti, & præſidiariorum, locus animoſe propugnatus, qui famem, ferrum, & extrema paſſi, abſumptis equis, herbas vallo innatas veſcentes, nihil non miſeriæ pertulerunt. Jam exercitus in Hibernia, regia ex Angliæ auctoritate, Comiti Ormondiæ, titulo Locum-tenentis Exercitus Generalis; & ſummum in civilibus imperium Adamo Lofthoſo Archiep. Dublinenſi, Cancellario, & Roberto Gardenero, titulo Juſtitiariorum Hiberniæ, demandatum erat poſtquam Thomas Norriſius Juſtitiarii locum per menſem exercuiſſet. Tir-Oenius prolixis ad hunc novum Locum-tenentem litteris omnia, quæ prius dixi, gravamina exaggerat vetera & recentia, ne minima vel militum vel Vicecomitum inſolentia omiſſa: pacta cum Norriſio violata frigide excuſat: Inprimis conqueritur, Feoghum *Mac-Hugh*, [1] à neceſſariis ſuis ad mortem fuiſſe exagitatum; denique litteras ſuas ad Reginam in Anglia interceptas, & ſuppreſſas; necnon *Impoſitiones* & *Compoſitiones* proceribus & plebi intolerandas eſſe impoſitas. Addidit, ſe prævidere, omnium

Prorex moritur.

Juſtitiarii Hiberniæ conſtituuntur.

Tir-Oenius gravamina Ormondio exhibet.

1. E neceſſariis *Ed. Lond.*

procerum

1597. procerum Hiberniæ territoria jamjam inter Anglicos Conſiliarios, cauſſidicos, milites, & ſcribas, diſtrahenda eſſe; ſimulque opem filiis Feoghi *Mac-Hugh* ſubminiſtrat ad novi belli incendia in Lagenia excitanda. Eodemque tempore ſimulate Locum-tenenti exhibito ſcripto demiſſiſſime ſupplicat ut in gratiam reciperetur, nihil non pollicitus; etſi jam omnibus exploratum, hanc rebellionem non alio conſilio ſuſceptam fuiſſe (quicquid obtendebatur) quam ad Anglos ex Hibernia omnino exturbandos.

M. D. XCVIII.

Gallus pacem cum Hiſpano Reginæ proponit.

INTER medias has de Hibernia curas intervenerunt & aliæ è Gallia. Gallus enim, licet Ambianum recepiſſet, bellorum tamen pertæſus, aſſiduis ſubditorum efflagitationibus & Pontificis Rom. interpellationibus laſſatus, ſuperiori anno, jam fere exacto, per Maſium Reginæ ſignificavit, ſe colloquia cum Hiſpani adminiſtris de pace habuiſſe, ſtatuiſſe tamen, non ulterius perſequi ſine ipſius atque Ordinum Confœderatorum conſenſu, quandoquidem cum utriſque arctiſſimum & defenſionis & offenſionis fœdus ea lege contraxiſſet. Rogavit itaque, ut ex Anglia & Hollandia aliqui mitterentur, qui hac de re conſultarent, &, quæ proponenda, exaudirent.

Legati de hac miſſi.

Regina ut Gallo ſatisfaceret, in Galliam mittit Robertum Cecilium Secretarium primarium, Joannem Herbertum à Supplicum libellis, & Tho. Wilkeſium, qui ibi appulſus mox obiit. Ordines Juſtinum [1] Naſſovium ac J. Oldenbarneveltzium miſerunt; & ſimul alios in Angliam, ut Reginam à pace dehortarentur. Angli in documentis habuerunt, ut ediſcerent, quibus initiis hac de pace mentio inchoata, quouſque proceſſerit, an bona fide propoſita, quum Hiſpani in tractatu Borburgenſi

1. Naſſavium ac J. Oldenbarneveldium *in Edd. priorib.*

aſtute

aſtute egerint; qua etiam ſecuritate Ordinibus Confœderatis conſulatur ſi ad tractandum conſenſerint: necnon ut proponerent (quandoquidem Gallus innuerit, hunc tractatum fore ad rationem Tractatus Caſtri Cameracenſis, in ſuis cuique reſtituendis) de Caleto Anglis reſtituendo pro pecunia à Gallo debita, quæ longe major quam tantillum oppidum æſtimari poſſit. Clauſula etiam adjecta, ut nihil omnino tractarent, niſi Ordines ſuum etiam aſſenſum adhiberent. 1598.

Rex jam profectionem in Britanniam inſtituerat ad Provinciam recuperandam; Duci enim Mercæuro male cum Hiſpanis convenerat, quod Nannetas illis in manus tradere nollet. Eum longis itineribus Cecilius ad Andes aſſecutus eſt. Cui Rex, quum maxima Reginæ in ſe beneficia grato animo præ ſe tuliſſet, paucula in hanc ſententiam verba fecit: *Etſi Regina bellum contra Hiſpanum & cum honore incepit, & feliciter hactenus geſſit; ſi illa tamen non aliam belli rationem inierit, majori opulentiæ minor tandem neceſſario cedat. Quod ad me: quamvis armis innutritus, militari ſtudio præ ceteris omnibus capiar; quum tamen Rex ſim & populo præſim, populum bellorum furori exponere religio eſt, & grande piaculum, ſi irreligioſa quadam ambitione pacem oblatam, quæ ſine ſanguine redimi non poterit, cum meo, tum Confœderatorum detrimento reſpuerem, populumque commiſſum ſupine negligerem.* Cecilius reſpondit, Reginam à pacis ſtudio minime alienam eſſe, quæ hoſtem ſatis ulta, nihil aliud jam cogitet, quam ut ſuæ & ſuorum ſaluti & ſimul honori conſulat. Poſtulavit deinde edoceri, quas pacis conditiones Hiſpanus [1] propoſuerit, & quid de Confœderatis Belgii Ordinibus ageretur, ſi modo pacem non amplecterentur. Agnovit ille, Reginam Hiſpano damna intuliſſe, ſe autem ab

Gallus eos alloquitur.

Regis replicatio.

1. Propoſuit: *Ed. Lond.*

Hiſpano

1598. Hiſpano pertuliſſe. Hiſpanum ex animo pacem expetere, omnia in Gallia ablata velle reſtituere, etiam & Caletum ; ſe vero brevi effecturum, ut Hiſpanus ad æquas pacis conditiones cum Regina & Ordinibus perduceretur. Palamque proteſtatus eſt, fieri non poſſe, ſi pacem oblatam recuſaret, quin Gallia interno bellorum incendio denuo involveretur ; ſe enim jam providere populum Gallicum ad rebelliones accinctum.

Dum hæc aguntur, ille ſuis rebus conſulens, clam quædam de pace cum Hiſpano pactus erat, eaque ſecreto apud Albertum Archiducem depoſita, donec auctoritas ex Hiſpania delegaretur ad pacem conficiendam. Quod quum Regina certis indiciis comperiſſet, expoſtulare cœpit : ille vero ex mora, quam Regina traxit, ex urgente quadam neceſſitate, & oblata opportunitate, ſe excuſavit, &, quaſi aliud agens, rem ad quoſdam è ſuis Conſiliariis rejecit. Illis Olden-Barneveltzius primum expoſuit, res Ordinum, Deo propitiante, & Regina favente atque auxiliante, eo uſque provectas fuiſſe, ut non ſolum ſe tueri, ſed etiam Galliæ laboranti adeſſe valuerint. Deinde, quantopere Gallus fœdus defenſionis & offenſionis cum illis expetierit, quod in Reginæ gratiam libenter contraxerant, ex certa ſpe pacem Generalem inde conſolidandi, ne putantes quidem, tantum Regem de eo dirumpendo vel ſemel cogitaturum. Ordines non uſque adeo negligendos, quibuſcum & Galliæ & Angliæ Reges arctiſſima fœdera contraxerant. Poſtea fuſe explicavit, quam longe lateque Hiſpani potentia cum Galliæ & vicinorum periculo diffundatur, ſi Confœderatæ Provinciæ armis & opibus validæ in poteſtatem redigerentur. Ad Galli conſcientiam coram Deo provocavit, an Rege ſit dignum, ab iis ſuam cauſſam ſejungere, quibus ſe tantis cum obteſtationibus conjunxerat, quum nullam ſejungendi cauſſam præbuerint. Concluſit

Inter Regem & Reginam expoſtulationes.

Barneveltzii oratio.

Concluſit (poſt multas rationes, cur pacem cum Hiſpano amplecti non poſſent,) *Reges aliquot, ut potentiam conſequerentur, fœdera neglexiſſe, ſed eventu plerumque triſti. Res enim Regum niſi fide ſteterint, potentia neutiquam poſſe conſiſtere.* Propoſuit tamen Ordinum nomine, ſi modo Rex paci non amplius auſcultaret, & Caletum obſideret, eos ſuis ſumptibus alium quempiam locum ſimul obſeſſuros, ut hoſtiles copiæ diſtraherentur, & præterea ad Caletum obſidendum ſtipendia VII M. militum ſoluturos, & XXV. naves bellicas cum omni apparatu inſtructuros; modo ille III M. equitum, VI M. peditum, VI. tormenta majora, ad eandem obſidionem ſuppeditaret. Hæc conſideratione digna eſſe, Galliæ Cancellarius agnovit; Regique ſignificare, & omnia ſtudia Confœderatis tam bene meritis conſtitutura, promiſit: ceterum, pacis oblatæ opportunitatem Galliæ bellis contabeſcenti non ſolum accipiendam, ſed ex importuniſſima neceſſitate arripiendam reſpondit. 1598.

Ordinibus pacem jam omnino reſpuentibus, [1] Cecilius, qui in mandatis habuit, de generali pace agere, ulterius progredi non potuit. Iiſdem tamen Conſiliariis demonſtravit, neque Reginam moras traxiſſe, quæ illico eos in Galliam ad pacem conciliandam miſerat, neque auxilia Regi negaſſe, ſi, quod omnibus Confœderatis conduceret, contra communem hoſtem ſuſciperet. Neceſſitatem, quam ſupra fidem exaggerarunt, non tantam videri, univerſa Gallia præter unam & alteram provinciam in Regis poteſtatem jam redacta. De opportunitate non [2] amittenda ſe nolle diſputare, apud eos qui fidem datam opportunitati poſtponunt, Principumque honorem utilitate & occaſione metiuntur, & in rebus ſuis conſulendo totum conſiſtere opinantur. Ipſis judicandum relinquit, an Rex parem gratiam Reginæ

Altercatio inter Cecilium & Gallos.

1. Robertus Cecilius *Edd. priores.* 2. Admittenda *Edd. Belg.*

1598. retulerit, quæ & ad pacem eum quaſi arbitrum conſtituerat, & auxiliares copias VI M. in bellum, ſi maluerit, obtulerat. Perorans, laxiorem diem ad deliberandum poſtulavit. Quum illi nec hoc concederent, rogavit ut Regi in mentem revocarent, quibus votis ſe obſtrinxerit nuper coram comite Salopiæ, poſt fœderis ratihabitionem, & antea litteris quam plurimis ſua ipſius manu conſignatis. Nec dubitavit affirmare, Reginam in fœderis leges neutiquam peccaſſe, [1] imo plura præſtitiſſe, Regem vero nihil obſervaſſe. ſimulque fœderis tabulas propoſuit. Modeſte etiam ſubmonuit, ut ratio aliqua iniretur, quo modo pecunia illa ingens jam antea mutuo data ſolveretur Reginæ, quæ, nunc derelicta, ſero edocta [2] erat, ut rebus ſuis in poſterum intentius proſpiceret, & beneficia non male collocaret. Mollibus tandem reſponſis ille cum ceteris dimiſſus; Galluſque ampliſſima Reginæ erga ſe beneficia agnovit, pollicitus nihil eſſe quod ejus cauſſa non ſtudioſiſſime [3] facere vellet. Hæc illa animo tulit iniquiſſimo, ſubindeque per litteras & Tho. Edmundum ab epiſtolis Gallicis blande & libere monuit ut fidei datæ recordaretur, conſcientiæ apud Deum, exiſtimationi apud homines attenderet, ne ſe pravorum conſiliis in laqueos induceret; gravibuſque admonitionibus hujuſmodi aculeata intertexuit: *Si* [4] *quod ſit in rebus humanis in Spiritum ſanctum peccatum, Ingratitudo eſt. Si quas æquiores pacis conditiones ab Hiſpano nanciſcaris, auxiliis Anglicis acceptas referas. Non derelinquas amicum veterem; novus enim non ſimilis ei. Fœderis Religio & pactorum fides non niſi inter pravos ſunt retia ad fallendum. Faſciculus colligatus non facile rumpitur. Non alia facilior ratio ſubvertendi utrumque quam alterum ab altero ſejungendo.* Quæ

* Regina Gallum fidei datæ libere admonuit.

1. Imo & plura *Edd. Belg.* 2. Eſſet *Edd. Belg.* 3. Faceret. Hæc *Ed. Lond.* 4. Quid *Edd. priores.* * *Deeſt hæc nota marg. in Ed. Lond.*

quum

quum multum è vero traxerint, ille indignanter audivit: nec alio, quam urgentis neceſſitatis excuſatione promiſſa exuit, pacem ſerio proſecutus, quam brevi publico Galliæ bono confecit. Unde tritis in Principes ingratos ſententiolis apud vulgus per Angliam vapulavit. 1598.

Verum enimvero ille, ut honori conſuleret, nihil omiſit ad pacem etiam inter Angliam & Hiſpaniam conficiendam; egitque cum Archiduce de induciis ad aliquot menſes paciſcendis, conatus perſuadere Reginæ, ut antea fuerit oneri, pace jam conſtituta, firmiſſimo munimento futurum; nec ullo tempore eam ſororem optime meritam deſerturum. Et eximiam ſane in Reginam benevolentiam navavit, quum Vervini in Gallia de pace ageretur. Illius enim ratio à Gallis ante omnia habebatur poſtquam de honoratiore loco inter delegatos utrinque controverſum eſſet. De hac controverſia liceat mihi digreſſiuncula ex ipſo Delegatorum ad Archiducem autographo, quod vidi, paucula quæ poſteros ſcire juvet, interſerere. Galli ex ſententia Pii IV. primum locum ſibi pertinaciter vendicarunt, qui pro Hiſpano, ſententiam eam, ut ab Hiſpano jam antea rejectam, non admiſerunt; factam ſibi injuriam interpretati ſi potior locus illis non concederetur vel ex hoſpitii jure; quandoquidem in Gallici imperii oppidum devenerint; quod neutiquam feciſſent, niſi ex obſervantia erga Pontificem Max. &, qui ejus vicem gerit, Legatum. Convenit tandem, Pontificio Legato enitente, ut ipſe ad menſæ caput ſederet, Nuncius Pontificius juxta eum ad latus dextrum, & optio data eſt Gallis an proxime Nuncium ad dextrum latus an ad ſiniſtram proxime Legatum [1] ſederent. Illi ſiniſtrum elegerunt, ut Legato propiorem. Qui pro Hiſpano, libenter dextrum occuparunt: quem potiorem, quia à dextra, & Nuncius non ex Delegato-

Ille tamen impenſe Reginæ ſtudet.

Tractatus Vervinenſis.

Seſſionis inter delegatos ordo.

1. Sederint *Ed. Lond.*

 rum

1598. rum numero erat, judicarunt : ſimulque ſe ſuo Regi honorem integrum conſervaſſe exiſtimarunt. Si enim Calgaritonus Franciſcanorum *Generalis*, qui in hoc negotio plurimum deſudavit, illis prælatus fuiſſet, ut ante ipſos proxime Legatum ad ſiniſtram ſederet, (qui pro Franciſcani humilitate ſibi locum ad finem menſæ ex adverſo Legati elegerat,) ſtatuerant, clara voce pronunciaſſe, ſe probe locum Catholico Regi debitum ſcire, eundemque tueri voluiſſe ſi à Catholico Rege delegati fuiſſent: verum quum ab Archiduce, qui ſe Chriſtianiſſimo Regi adæquare nollet, miſſi & ſubdelegati eſſent, & in publicæ fidei litteris, quas à Chriſtianiſſimo Rege acceperunt, non alio nomine quam Archiducis Delegati diſerte nominarentur, libenter ſe Gallis ceſſuros. Provide enim Hiſpanus ut ſuam dignitatem tueretur, auctoritatem Archiduci tribuit, qua ille alios ſubdelegaret, ne ipſe immediate in honoris certamen cum Gallo deſcenderet.

Galli Reginæ rationem habent.

Statim atque res ita compoſita, & Delegationis diplomata utrinque exhibita, Galli perinique tulerunt, quod in illa Archiducis nulla de Angliæ Regina facta mentio, quum de Sabaudo fieret. Reſponſum eſt, illam comprehendendam eſſe in fœderatorum numero. Quum hoc Gallis minime ſatisfaceret; cauſſati ſunt, illam nihil niſi hoſtile in Hiſpanum cogitare, & hoc ipſo tempore claſſe infeſtare. Nec acquieverunt tamen Galli, donec fidem obligarent, Hiſpanum poteſtatem cum illa tractandi facturum, ſi quam ſpem pacem amplectendi oſtenderet.

Henr. IV. Elogium ex Janino.

Ceterum, pace confecta, Gallus bellica gloria hactenus cumulatiſſimus, pacis ſtudiis jam totus defixus, rem Gallicam inteſtini belli tempeſtatibus multos annos præcipitatam ita excitavit, Religionem cum Romanam, tum reformatam ſublevando, jura reſtituendo, bonas litteras fovendo, commercia revocando, & Regnum ædificiis exornando, ut omnes retro Galliarum Reges

longo

longo intervallo ſuperaverit & Henrici Magni agnomen retulerit. 1598.

Regina jam interiori cura ſibi proſpiciens, Franc. *Verum* ad Ordines mittit, qui ediſceret, an ad pacem tractandam ſe conjungerent: ſin minus; quid in bellum conferre vellent: ſerioque cum illis ageret, ut expenſas, quas illorum cauſſa fecerat, jam tandem refunderent. Accurate interim diſceptatur in Anglia, an in reipub. & Reginæ rem eſſet, pacem cum Hiſpano paciſci? Qui pacis ſtudioſi; hujuſmodi rationibus innitebantur: [1] Pax, præterquam quod ſit tum jucunda, tum ſalutaris, maculam abſtergat, quæ Anglis, tanquam orbis turbatoribus, aſpergitur, quaſi illi alienis miſeriis eſſent beati, & alienis periculis quieti: Regina ſecurior ſit à nefariis machinationibus, finis bellicis contra Hiſpanum & Archiducem impenſis imponatur, Hibernica rebellio conſopiatur quum ſpes nulla ex Hiſpania rebellibus affulſerit, commercia in ſubditorum & Reginæ emolumentum liberius exerceantur; Hiſpania, quondam Anglis negotiantibus fructuoſiſſima, aperiatur, ubi frumentum auro & argento permutent; Mandatum Imperatoris contra Anglos mercatores in Germania revocetur; pericula tumultuum domi ex crebris penſitationibus, tributis, & militum delectibus, amoveantur; Fœdus Burgundicum renovetur: ita à Gallo nihil metuatur, Anglia reſpiret, & opes in futuros eventus congerat. Reginæ etiam exiſtimationi conſulatur, quæ anno M.D.LXXXV. quum Ordines Belgii Dominium obtuliſſent, publice libris editis proteſtata eſt, ſe Belgis ſubveniendo nihil aliud quam [2] Belgii libertatem & pacem, Angliæque ſecuritatem ſpectaſſe. Si tunc conſilium plenum prudentiæ viſum, ut tempora tulerunt, ſubveniſſe, & juſtitiæ plenum tantarum Provinciarum Dominium ad impenſas belli fe-

At illa ſibi proſpicit.

Diſceptatio de pace cum Hiſpano.

Pro pace.

1. Quod pax, præterquam quod ſit *Edd. Belg.* 2. Belgis *Ed. Lond.*

rendas

1598. rendas oblatum recuſaſſe; certe imprudentiæ extremæ nunc videatur [1] bellum perſequi, quum pax ab Hiſpano, & nihil ab iis qui bellum tantopere volunt, offeratur. Hæc præterea examinanda: An Anglia par ſit bello in Hibernia, Belgio atque alibi contra Hiſpanum ſuſtinendo? An ſpes ſit, bellum alendo, illum ad æquiores pacis conditiones, quam quæ nunc propoſitæ, perducendi? Atque conſideratiſſime perpendendum, quum ſine controverſia Anglis maxime expediat bellum gerere offenſivum, (væ enim ſe domi defendentibus,) quo in loco illud gerendum. An in ora maritima Hiſpaniæ & Luſitaniæ? Oppida ſane maritima utrobique facile capi & ſpoliari poſſint, at non retineri ſine maximis expenſis & fructu plane nullo. An in *Azoris Inſulis*? Hæ itidem in poteſtatem redigi poſſint, magno quidem Hiſpani damno, at non teneri ſine majori impendio. An in America? Verum nunc ibi armatæ naves ubique diſpoſitæ, & ora maritima crebrioribus præſidiis, quam jam antea, firmata, nec vel gluma auri, argenti, aut margaritæ, ſine diſcrimine ſperanda. An in vicina Belgica? Hoc autem opus fore difficillimum. Regio illa tot urbibus munitiſſimis eſt conferta, quæ ſingulæ obſidionem diuturnam perferre poterunt. Nec Ordines cum Anglorum copiis conjunctis potuiſſe niſi defenſivum bellum gerere, donec Hiſpani in Gallicum bellum diverterentur. Poſtremo axioma illud Politicum non negligendum: *Qui bello gerendo pares, pacem inveniant*; *qui impares, nunquam*. Triſtiaque exempla Athenienſium, & aliorum qui oblatam pacem reſpuerunt, ſunt prolata. Addiderunt nonnulli, ſed qui ex odio in homines quam in cauſſam iniquiores videbantur; Ordines, quamcunque Religionis & libertatis tuendæ larvam induant, omnem Religionis pietatem tollere, quamlibet præter Romanam

1. Deeſt bellum in Edd. priorib.

tole-

tolerando: Nihil aliud quam ſuis commodis velificari, 1598.
vectigalia graviſſima pro cibariis imponendo, nummos adulterando, valorem pro arbitrio intendendo, aliiſque id genus technis; & hinc mira ſolertia & bellum alere, & ex bello diteſcere, quum reliquæ gentes bello exhauriantur. Porro Monopoliis ubique inſtitutis omnia commercia aliis præripere; Monarchias, ut Democratici omnes, tacito odio proſequi; nobiles, præter unum & alterum qui in bellis uſui ſint, exterminaſſe; Et plane nihil aliud ſibi proponere, peſſimo contra Principes exemplo, quam, ut Helvetii olim contra Habſpurgicam familiam, ita contra Auſtriacam, quæ eadem eſt, ſe *cantonizent*, nec ſuo, ſed Anglorum, Gallorum & Scotorum ſanguine, qui vitæ in aliorum cauſſa pro gloriola nimio plus prodigi.

Alii contra pacem hujuſmodi argumentis uſi ſunt: Contra pacem.
Ex pace Hiſpanus tantam vim opum accumulet, ut, ſi in bellum denuo prorumpat, omnibus vicinis longe ſuperior evadat. Pax ſolida & fida, niſi Pontifice diſpenſante, non poteſt ab illo exſpectari, qui Bourburgi anno M.D.LXXVIII. illuſit, & nullam hæreticis & excommunicatis fidem ſervandam credit. Damna accepta non concoquat, ſed in ultionem exardeſcat. Pace facta, Regina Hollandiæ & Zelandiæ Ordines derelinquat, ſimulque pecuniam in bellum collatam amittat, aut oppida in cautionem data hoſti tradat; hoc dedecori, illud damno futurum. Ordines derelicti in Hiſpani ditionem reducantur, inde ille ad Angliam infeſtandam claſſe & viribus ſit longe inſtructior, & regiones illæ ſint ſedes belli contra vicina regna opportuniſſima ad Hiſpanicam Monarchiam conſtituendam. Eſto, quod bellum offenſivum in Belgio ſit difficillimum, in *Azoris* anceps & incertum, in Hiſpaniæ & Luſitaniæ maritimis infructuoſum, & in ſingulis impendioſiſſimum: At in America fore

1598. fore compendiosiſſimum, quæ Regio vaſtiſſima ab Hiſpanis adeo raro, idque disjunctiſſime, incolitur, ut invicem ſubvenire non poſſint. Si itaque juſtus exercitus x. mill. Anglorum ſub ſolerte Duce ibi exponatur certo incolendi conſilio, haud dubitandum quin Carthagena in Caſtilla Aurea, Ciagrus fluvius qui par ſubvehendis cimbulis fere uſque ad Panamam, ipſa Panama, & Puerta Bella, expugnentur, & conſequenter opes, quæ ex Peruia & Caſtilla Aurea per hæc in Hiſpaniam mittuntur, vel intercipiantur, vel in America detineantur. Hinc commercia Hiſpanorum intercludantur, & vectigalia maximo cum Regis detrimento minuantur. Nec timendum eſſe ab Americanis ignavis & cœli amœnitate effeminatis, aut ab Hiſpanis eo mittendis, qui longa navigatione laſſati, & nauſea laborantes, pluſquam difficile invenient, veteranos ex munimentis firmatis exturbare. Nec formidandum à defectu rei annonariæ aut apparatus bellici, quæ tam facile ex Anglia quam Hiſpania ſuppeditentur. Quamprimum enim fama vulgaverit, eos ſedes ibi fixiſſe, plures ex omnibus gentibus ad eos cum neceſſariis confluxuros; quandoquidem Europæis nihil majoribus votis expetitum quam liberum in America commercium. Quæ de Religione & Monopoliis objiciuntur, meras eſſe Reformatæ Religioni adverſantium calumnias. Ordines etenim cum avita libertate veram Religionem ex animo colere, eandemque cum Reformatis Orbis Chriſtiani Eccleſiis in fundamentis, quæ ad animarum ſalutem ſpectant, aſſerere: aliis non omnino ad ſalutem neceſſariis tolerantiam pro temporum ratione adhibere, cujuſmodi (& primæva Eccleſia adhibuit, quandoquidem zizania ubique ſuccreſcant. De ceteris ſingulorum vitia non univerſis adſcribenda; publicam cauſſam à privatorum culpis ſejungendam; inter Dei Angelos & Chriſti Apoſtolos pravitatem fuiſſe de-

prehenſam.

prehenſam. Reip. bene conſtitutæ, gnaræ induſtriæ & parſimoniæ liberrimæ gentis, quæ ſola ex bellis diteſcere callet, non invidendum, non obtrectandum. 1598.

Pro pace replicatio.

Hæc pacis ſtudioſi hujuſmodi rationibus elevare conati ſunt: Regina & Confœderati itidem ex pace opes accumulent, & ſe apparent non minus ad defendendum quam Hiſpanus ad offendendum. Pax ſolida & firma ab Hiſpano exſpectetur, qui majora incommoda hactenus perpeſſus ſero diſcat, quantum in re Belgica adminiſtranda bellum perſequendo erraverit, & ſerio per pacem corrigat. Pax cum Burgundiæ Ducibus & Caſtellæ Regibus Hiſpani progenitoribus ſubinde contracta, ſolida ſemper fuit, & Anglis, ſi qua alia, ſalutaris. Eſto, quod Hiſpanus de pace non ex honore in rem ſuam Bourburgi tractaret; & nobis itidem nunc manu armata tractare non noceat. Pacem cum Excommunicatis & hæreticis à Principibus Pontificiis, Pontifice poſthabito, obſervatam fuiſſe, ſatis ſuperque probent exempla tum Caroli v. tum ſucceſſorum in Imperio qui cum excommunicatis Germaniæ Proteſtantibus, quos hæreticos deputarant, fidem datam coluerunt; Franciſci I. Galliarum Regis, qui Henrico noſtro Octavo à Pontifice excommunicato juſta Lutetiæ ſolvit; & Henrici nunc Regis Galliarum, qui, poſtquam Pontifici reconciliatus, primogenitus & chariſſimus Eccleſiæ filius agnitus, fœdus offenſivum & defenſivum cum Regina iniit. Ulciſcendi ardor defervet, quum vires deficiunt. Regina Ordines juſte derelinquat, quum ad auxilia præbenda ſe tantum obſtrinxerit, donec æquas pro libertate conditiones ab Hiſpano referant; quas ſi reſpuerint, auxiliari non [1] tenetur. Ut oppida in cautionem data illis reddantur, non æquum [2] eſt, nec cum ratione requirant. Pecuniam in bellum collatam recuperandi ratio ſit ex-

1. Teneri *Edd. Belg.* 2. Eſſe, nec c. r. requiri *Edd. Belg.*

1598. pedita ſi pax ſemel coaluerit. Ordines in Hiſpani ditionem armata manu brevi tempore reduci non [1] poſſunt, & temporis tractu multa [2] interveniant. Sin pacificatione reducantur, non poterunt ſibi ſatis cavere, [3] niſi etiam Anglis ex ratione ſuæ ſecuritatis, religionis etiam & utilitatis caverint. Quicquid de illis fiat, Gallia & Anglia firmo nunc fœdere colligatæ Hiſpanum in æquilibrio facile contineant. Communis utilitas firmiſſimum [4] erit fœderis vinculum. Denique argumenta pro pace ex jure Naturæ, quod ſui conſervationem ceteris omnibus præfert; ex jure gentium, quod jubet populi ſalutem legem eſſe ſupremam; atque ex ſolidis *Chriſtianæ* pietatis rationibus peti, ut ſanguini parcatur, & res Chriſtiana contra infideles firmetur; Argumenta autem pro bello (quæcunque auri ſpes ex juſto exercitu in America adblandiatur, infelix Draci ſucceſſus ſatis ſuperque refellat) ex humana ſolummodo prudentia deduci, ut pericula depellantur; quæ ſatius eſt divinæ relinquere diſpoſitioni dirigendo conſilia ex recta conſcientia ad publicum [5] bonum potius, quam ex noſtris ſuſpicionibus ad ea quæ non laudanda niſi dum neceſſaria. Hæc & hujuſmodi utrinque diſputata audivimus.

Burghleius pro pace.

Burghleius Theſaurarius, ex his, quæ dixi, & pacis beneficiis, quæ certa, præſentia & neceſſaria, in pacem propendit; quandoquidem belli alea ſit incerta, impenſæ infinitæ, ærarium Anglicum [6] fere exhauſtum, plebis Anglicæ ingenium ad ſeditiones præceps, ſi penſitationibus extra ordinem opprimantur, innata vulgi in nobiliores malitia, exiles ſpes auxiliorum ab Ordinibus, vicini undiquaque ſuſpecti, plures domi infideles, atque Hiſpani opes inexhauſtæ, atque, ut ille dixit, quid[illegible] ex

1. Poſſe *Edd. Belg.* 2. Intervenire *Edd. Belg.* 3. Niſi etiam & utilitati caverint *Edd. priores.* 4. Eſſe *Elz. Sen.* 5. Bonum, quam ad ea *tantummodo in Edd. priorib.* 6. *Deeſt* fere *in Edd. priorib.*

hoc

hoc bello nihil boni Angliæ acceſſerit niſi *Mali averſio*, 1598.
quæ inter bona [1] minimum.

Eſſexius contra, qui bellicæ laudi innutritus pacem haudquaquam probavit, diſputavit; & ex argutiſſimis Hiſpanorum ingeniis, infinita imperii propagandi cupiditate, inveteratis in Angliam & Reginam odiis, religionis diverſitate, Pontificis Rom. in diſpenſando poteſtate, Axiomate *Fidem hæreticis non ſervandam*, ſollicita periculorum ſuſpicione, & id genus aliis, quæ diximus, nullam pacem niſi turpem & inſidioſam cum Hiſpanis confici poſſe, obfirmatè contendit. Uſque adeo, ut Theſaurarius eum nihil niſi bellum, cædem & ſanguinem ſpirare dixerit, atque poſt verboſam de hac re diſceptationem, neſcio qua mente præſaga, porrecto Pſalmorum libro, tacitus indicaret verſiculum, *Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuas*. Erant tamen qui eum tanquam patriæ honori & ſecuritati ſincere ſtudentem celebrarunt. Erant etiam qui tanquam ſuæ ambitioni & ſuorum commodis deſervientem ſugillarunt. Contra quos *Apologiam* ſcripſit; in qua ſupra dicta diſertiſſime expoſuit, oſtenditque, Antonium Rolſtonum profugum Anglum non ita pridem ab Hiſpani adminiſtris & Creſwello Jeſuita in Angliam fuiſſe tranſmiſſum, ſpecie pacis conciliandæ, re vera (quod ipſe Rolſtonus faſſus eſt) ut apparatus bellicos exploraret, Pontificios confirmaret, Procerum aliquot fidem, & nominatim Eſſexii, pretio & promiſſis emeret.

Eſſexius contra pacem.

Apologiam ſcribit.

De hoc pacis negotio, & de eligendo aliquem idoneum ad res Hibernicas introſpiciendas, acre inter Reginam & Eſſexium intervenit diſſidium, non aliis quam Admirallo, Roberto Cecilio à Secretis, & Windebanco à Sigillulo, præſentibus. Quum enim illa Guilielmum Knolles Eſſexii avunculum præ ceteris omnibus in Hi-

Diſſidium inter eum & Reginam.

1. Minima *Ed. Lond.*

1598. berniam mittendum cenſeret; ille Georgium Carew, ut ab Aula amandaret, potius mittendum, pervicaciter ſuaderet, nec perſuadere poſſet: ſui immemor & obſequii negligens, incivilius, quaſi ex deſpicientia, tergum obvertit, & ſubſannavit. illa impatientior alapam impegit, & in malam rem abire juſſit. Ille gladii capulo manum admovit. Admirallo ſe interponente, dejeravit, nec poſſe nec velle tantam indignitatem exſorbere, nec ab Henrico Octavo perferre voluiſſe; fremenſque ex Aula ſe proripuit. Monitus à Cuſtode Sigilli litteris graviſſimis, ut ſupplex ad Reginæ miſericordiam ſe reciperet, *tempori cedendo bene cederet*: Illud Senecæ recordaretur, *Lex ſi nocentem punit, cedendum eſt juſtitiæ*; *ſi innocentem, cedendum eſt fortunæ.* Si juſte Principem offenderat, haudquaquam ſatisfacere poſſe; ſin offenſus fuerit, prudentiam, officium, imo Religionem, exigere ut Reginæ optime meritæ ſe ſubmitteret, quum nulla ſit inter Principem & ſubditum æqualitas, &c. Ille ad hæc prolixis [1] litteris (quæ poſtea à ſuis inconſiderate [2] divulgatæ) ſtomachoſe reſpondit, provocando à Regina ad Numen divinum, hæc & hujuſmodi intertexendo: *Nulla tempeſtas furentior quam impotentis Principis indignatio. Cor Reginæ induratum eſt. Quid ut ſubditus, quid ut Comes & Angliæ Mareſcallus, debeo, ſcio: ut ſervus & mancipium ſervire neſcio. Si me ſontem agnoſcerem, veritati & Deo veritatis auctori injurius eſſem. Toto corpore telum accepi. Hoc ſcandalo accepto plane impietas eſt ſervire. Annon poſſint Principes errare? Annon ſubditos injuria afficere? An terrena poteſtas infinita? Apud Salomonem fatuus percuſſus ridet. Qui ex Principum erratis fructus ſibi percipiunt, Principum injurias perferant. Infinitam Regiæ Majeſtatis poteſtatem iſti agnoſcant, qui infinitam Divini Numinis omnipoten-*

Irreverentius ſe gerit.

Bene monenti ſtomachoſe reſpondit.

1. *Deeſt* litteris *in Edd. priorib.* 2. Divulgata *Edd. Belg.*

tiam non credunt. Ego injuriis laceratus injuriarum acerbitates intimis animi viſceribus ſatis diu pertuli. 1598.
Aliquanto tamen poſt ſubmiſſior veniam invenit, & in gratiam ab ea receptus; quæ offendiſſe quam odiſſe ſemper honeſtius putavit. Hinc tamen male metuere cœperunt amici, qui obſervarant, fortunam ſuis alumnis, quos ſemel deſeruit, raro reconciliari; & Principes rarius iis quos offenderint.

Inter hæc Guilielmus Cecilius Baro Burghleius, ſummus Angliæ Theſaurarius, aſſidua animi contentione, arthritide, & ætate confectus, angoribus ſe dedit, & datis ad Reginam litteris, ut magiſtratuum onera deponeret, majorem in modum obſecravit. Illa mox eum ſubinde inviſit, blandiſſime conſolata; ſed intra paucos dies, quum ſatis naturæ, ſatiſque gloriæ, patriæ autem non ſatis, vixiſſet, morte adeo placida Deo animam reddidit, ut adverſariorum maximus ſe nihil illi perinde invidere dixerit ac ejuſmodi mortem in tanta claritudine, quum maximarum rerum adminiſtris exitus plerumque ſint triſtiores. Vir ſane erat præſtantiſſimus, quem (ut ſpeciem venerandam, & vultum tranquillum taceam) ad honeſtatem, gravitatem, temperantiam, induſtriam, & juſtitiam, hominem excelſum finxit natura, & doctrina excoluit. Acceſſit multiplex & elegans dicendi copia, nec illa affectata, ſed plana & facilis; prudentia uſu corroborata, & moderatione ſumma condita; fideſque ſpectatiſſima; ſed ſupra omnia ſingularis in Deum pietas. Ut ſemel dicam: Tanto Conſiliario Regina erat feliciſſima, & ſalutaribus ejus conſiliis Reſpub. Anglica in æternum debebit. Natus erat (nam forte & hæc poſteros ſcire juvet) Burnæ in Comitatu Lincolnienſi anno M.D.XXI. patre Richardo Cecilio ex familia de *Alterynnis*, à ſyntheſi Henrico VIII. matre Jana herede claræ familiæ Ekintoniæ & Walcottorum.

Cecilius Burghleius moritur 4. Auguſti ætatis anno 77.

Ejus nativitas & genus.

Juvenis

1598. Juvenis humanioribus litteris in Collegio S. Joannis
Educatio. Cantabrigiæ operam dedit, ubi vigeſimo ætatis anno uxorem duxit Mariam ſororem Joannis Checi viri litteratiſſimi, quæ poſt unum & alterum annum obiit. Deinde, quum juri in Graienſi Londini Collegio aliquantiſper incubuiſſet, Mildredam Antonii Coci, qui Edwardi VI. informator, filiam Græce Latineque eruditam duxit. In Ducis Somerſettenſis Angliæ Protectoris familiam adſcitus, illi fuit à ſupplicum libellis, (primus omnium, ut ex ipſo audivi, qui hoc titulo in Anglia uſus.) Mox factus eſt Regi Edwardo VI. Secretarius, & ab eodem dignitate Equeſtri ornatus. Cujus ſuppoſititiæ regni tranſcriptioni, qua Maria & Elizabetha omni regni jure excluſæ erant, quum ſe opponeret, (etſi cum ceteris etiam ſubſcripſerit) gratiam aliquam apud Mariam invenit, & magnam apud Cardinalem Polum, Tunſtallum & Guilielmum Petre, ob Prudentiam. Verum quum Proteſtantium doctrinam ex animo amplexus (licet tempori nonnihil ceſſerit) omnem aditum ad honores ſibi præcluſum videret, ad Elizabetham ſe convertit. Quæ privata ejus opera in negotiis procurandis uſa erat, & [1] Regina in ſanctioribus conſiliis & epiſtolis; atque Thomæ Parrio defuncto in pupillorum præfectura anno Regni tertio ſurrogavit, quam, in rem Principis & pupillorum provide, in ſuam moderate, & ſuorum benefice, ſine offenſione, magna cum integritatis laude, ut cetera omnia, adminiſtravit; adeo ut Regina prudentiam admirata rerum ſummam illi quodammodo commiſerit. Potentiam hanc apud Principem & opes comitabatur procerum quorundam invidia, quam, ut dicere ſolebat, magis patientia quam pervicacia ſuperavit. Prudentia & fide jam XIII. totos annos in maximis rebus ſpectata, Regina eum Baronis Burghleii titulo ornavit, ſummumque

[Margin: Mr. of Requeſts. — A Secretis Edwardo Sexto. — Elizabethæ famulatur. — Fit Baro & Theſaurarius Angliæ, 1571; & * Eques Garterii, 1584.]

1. Reginæ *Edd. priores.* * Equeſtris *Edd. Belg.*

que Angliæ Theſaurarium deinde conſtituit. Quo in munere malas artes pecuniam corradendi averſatus, ut rem privatam, ita & publicam, induſtria & parſimonia auxit. Ægre enim expendi quicquam paſſus eſt, niſi ad Regiæ Majeſtatis honorem, Regni defenſionem, aut proximorum ſublevationem. In Publicanos, qui portoria curarunt, ſevere, nec tamen rigide, inſpexit. Ut Fiſcus tanquam lien increſceret, & cetera membra intabeſcerent, juxta ac dicere ſolitus, nunquam probavit; & in hoc nervos ſane feliciter intendit, ut Princeps & populus mutuo diteſcerent. Nihil Principi utile eſt, dictitans, quod non cum honore conjunctum. Unde fundorum reditus augeri, & veteres colonos conductoreſque ſubmoveri noluit. Quod etiam in re privata obſervavit, quam ea integritate curavit, ut ille neminem, nemo illum in jus vocaverit. Sed in laudes ire nolo: vere tamen dicam, inter pauculos fuiſſe quorum vita & mors cum gloria. Tantum virum, quem alii admiratione, ego tacita veneratione, ut in ſacris olim aſſolet, proſequar. Ex priore uxore Maria Checa Thomam nunc Comitem Exoniæ numeroſa prole felicem procreavit; ex altera Mildreda Coca Robertum Comitem Saliſburiæ, in maximis Reipub. muniis rara felicitate ſucceſſorem, filiaſque duas, quibus erat ſuperſtes, Annam Comitiſſam Oxoniæ, (cui tres filiæ natæ, Elizabetha Guiliel. Comiti Derbiæ, Brigida Baroni Norriſio, & Suſanna Philippo Comiti Montgomeriæ enupta,) & Elizabetham uxorem Guilielmi Wentworthii improlem. Teſtamenti curatores inſtituit: Gabrielem Goodmanum, Weſtmonaſterii Decanum, virum integerrimum; & Tho. Bellotum, Oeconomum, cui grandem pecuniam in pios uſus erogandam reliquit, quod ille fideliſſime præſtitit.

1598.

Ejus proles.

Acre illud pacis ſtudium in Burghleio etſi pacem non peperit,

Vide in 1595.

1598. peperit, bellorum tamen ſumptus maxima ex parte levavit. Dum enim illa jam perdita valetudine & prope depoſitus; Ordines J. Duvenvordium Hollandiæ Admirallum, J. Oldenbarneveltzium Sigillorum Cuſtodem, J. Verekum, Joann. Hootingum, Andream Heſſellium, miſerunt, & Natalem Carronem eorum agentem in Anglia adjunxerunt; qui, bellum paci præferentes, cum Tho. Egertono Sigilli Magni cuſtode, Eſſexio Admirallo, Georgio Hunſdonio, Buckhurſtio, Guil. Knolles, Rob. Cecilio, & Joanne Forteſcuo, à Regina delegatis, in hæc pacta menſe Auguſto convenerunt: *Ut fœdus anno* M.D.LXXXV. *initum, articulis quibuſdam de ſumma Reipub. adminiſtratione exceptis, ratum haberetur*: *Ordines Provinciarum Confœderatarum Reginæ ſolverent octies centena mill. librarum monetæ Anglicæ. ſcilicet dum bellum contra communem hoſtem geratur,* XXX M. *ſingulis annis, donec quatuor centena millia perſolvantur. Sin pax inter Hiſpanum & Reginam conficeretur, ex iis, quæ ſolvenda ſupereſſent,* XX *millia ſingulis annis, donec octingenta millia perſolverentur.* M.C.L. *præſidiariis Anglis in Fluſhinga, Briela, & munimentis adjunctis,* Ordines *ſtipendia numerarent. Milites ex Anglia ſub Anglis ductoribus conſcriberent, quos* [1] *ſuis ſtipendiis alerent. Si Hiſpanus Angliam, Vectam, Garnſeiam, Jarſeiam, aut Inſulas Sillinas invaſerit,* V M. *peditum, equitum* D. *auxilio mitterent. Claſſi autem Anglicæ, ſi qua contra Hiſpanum inſtruatur, claſſem totidem navium adjungerent*; *Anglorum autem copiis, ſi quæ in Flandriam aut Brabantiam tranſmittantur, eodem numero & apparatu copias conſociarent, &c. Pro pecunia Pallavacino debita in Brabantiam & Flandriam & ceteras extra fœdus Regina jus integrum haberet.* Ita his pactis Regina graviſſimis expenſis, quæ ſingulis annis centies

Novum cum Ordinibus pactum.

1. *Deeſt* ſuis *in Edd. priorib.*

xx mill.

xx mill. librarum Anglicarum plus minus ſuperarunt, 1598.
exonerata fuit, prudentia Burghlei, curante Tho. Bodleio, &, qui ei in Ordinum conſilio ſucceſſit, Georgio Gilpino. Bodleius publicis Reipub. curis jam liber in curam maximis Regibus digniſſimam Reip. litterariæ adaugendæ totus incubuit. Cœpit enim reſtaurare publicam in Academia Oxonienſi Bibliothecam ab Humphredo Duce Gloceſtrenſi olim inſtitutam, & temporum iniquitate regnante Edwardo VI. omni libraria ſupellectile ſpoliatam. Quam conquiſitis undique in ſtudiorum inſtrumenta lectiſſimis ex omni genere libris ſua pecunia & collatitia ſtipe ita inſtruxit, & moriens dotavit, ut illuſtri æternaque laude, dum litteræ fuerint, inter maximos & de litteris meritiſſimos jure optimo ſit concelebrandus.

Bibliotheca Bodleiana.

Dum hæc inter Anglos & Ordines tractantur, Baro Zouchæus & Chriſtoph. Perkinſus LL. D. in Daniam miſſi ad congratulandum Regis cum Brandenburgici Electoris filia nuptiis, difficulter impetrarunt, ut trigeſies mille Dallerorum rependerentur, pro mercibus Anglorum ad centies mille Dallerorum valorem, quibus Dani manum injecerant; cauſſati, Anglos mala fide rationes apud publicanos retuliſſe. Jam enim lites gliſcebant hujuſmodi de rebus; [1] dum Regina, ſuſpicata, Danum Hiſpano æquiorem & Anglis eſſe iniquiorem, [2] conquereretur, vectigalia ſupra modum eſſe adaucta: & ille contra, ſuos à piratis Anglis ſpoliatos; & Conſiliarios Angliæ magis privatam mercatorum quorundam cupiditatem quam publicam utriuſque regni ſalutem, curare.

Lites oriuntur inter Danos & Anglos.

Circiter hos dies Philippus II. Rex Hiſpaniarum Iſabellam filiam Alberto Cardinali deſpondit, & cum ea Belgicas Provincias, Burgundiæque Comitatum, in dotem tranſcripſit. Unde galero Cardinalitio Romam rite tranſ-

Philippus Rex Hiſpaniarum moritur ætate 71.

1. Dum *omittunt Elz. Sen.* 2. Conquerebatur *Edd. Belg.*

1598. miſſo, & gladio conſecrato à Pontifice recepto, in Hiſpaniam properat. Interim Hiſpanus ſeptuagenario major vitam magna cum patientiæ laude Menſe Septembri exuit. Princeps, cujus imperium tam longe lateque ſupra omnes retro imperatores diffuſum, ut vere dicere poſſet, SOL MIHI SEMPER LUCET. Ex paternis præceptis & longo rerum uſu prudens, ſed in rebus bellicis plerumque infelix, quum ipſe natura imbecillior, conſiliis cautioribus & aliorum opera in bellis uteretur. Unde tres imperii Hiſpanici claves, (quas pater dixit, & ante omnia diligentiſſime cuſtodiendas monuit,) ſcilicet, Guletta Africæ, Fluſhinga Belgii, & Gades Hiſpaniæ, neglectæ; altera à Turcis, altera à Belgis Confœderatis adempta, & tertia ab Anglis effracta, magno tanti Principis damno & dedecori, ut non ſine cauſſa filium res cum Anglis & Belgis componere, monuiſſe perhibeatur.

Hiſpanici Imperii tres claves.

Quo fere tempore Georg. Cliffordus Cumberlandiæ Comes in Angliam rediit, qui ſuis impenſis claſſem XI. navium inſtituerat, ut *Carraquas* Luſitanas è Tago in Indiam Orientalem ſolventes interciperet. Sed audito, eum Luſitaniæ littori imminere, illæ in Tago ſub munimento S. Juliani centum machinis majoribus inſtructo tam diu ſe continuerunt, ut navigandi opportunitatem hoc anno amitterent. Ille ergo primum ad *Canarias* curſum direxit, *Lancerata*que cum oppido capta & direpta, inde, ad *Boriquenam*, terram conſcendit, & facto agmine *Portum-Ricum* aggreſſus, unoque & altero munimento expugnato, oppido potitur, vix triginta deſideratis; etſi ibidem CCCC. milites præſidiarii præter incolas. Hîc ille, quum, ob opportunitatem ſitus, *Americæ clavis* ab Hiſpanis haberetur, ſedem belli ſtatuere cogitavit, incolaſque omnes ſubmovit, etſi in loci redemptionem opulentas merces, aurumque & argentum factum, offerrent. Sed dyſenteria cum torminibus inter Anglos mox

Cumberlandiæ Comes redit.

Qui Porto-Rico cepit.

ita

ita graſſari cœpit, ut xl. diebus (totidem enim ibi e- 1598.
gerunt) ſeptingentos abſumpſerit, neceſſarioque domum
redierit, plus victoriæ quam prædæ reportans, in qua
ſupra lx. tormenta ænea majora. Grave autem damnum
Hiſpano intulit, quum per eum hoc anno nec Caraquæ
in Indiam Orientalem ſolverint, nec claſſis Americana in
Hiſpaniam redierit.

Squierus in Judicium vocatur.

Iiſdem diebus in judicium ducitur Edward. Squierus, ex plebeio hominum genere, qui primum ſcriba circumforaneus, poſtea in regio ſtabulo ſervulus, & in poſtrema Draci expeditione miles, in actuariola illa quæ ab Hiſpanis intercepta, captus atque in Hiſpaniam abductus, innotuit Walpolo Anglo è Societate Jeſu. Hic eum ut Hæreticæ pravitatis reum in Inquiſitionem rapi curavit, hominemque afflictum facile ad Romanam Religionem pertraxit, poſteaque, ut aliquid Religionis cauſſa auderet, ſubinde hortatus eſt; demum multis verborum anfractibus docuit, (ut ipſe Squierus confeſſus eſt,) Meritorium eſſe, Eſſexium perimere, at magis neceſſarium Reginam tollere; quod facile fieri poſſe & ſine periculo, innuit, illinendo venenum ephippii regii capulo cui illa manum inter equitandum apponeret. Huic ſceleri quum Squierus aſſenſum adhibuiſſet, Jeſuita variis votis ſub pœna damnationis hominem obſtrinxit, ut hoc occultum haberet, & facinus patraret. Ita Squiero ad ſcelus edocto, & promiſſis æternæ ſalutis onerato, benedixit, & venenum tradidit, curavitque ut pro Hiſpanis in Anglia captivis redimendis ille & alter in Angliam remitterentur, ne qua ſuſpicio in hominem ex Hiſpania reducem oboriretur. Ille, haud multo poſtquam redierat, venenum capulo ephippii Reginæ tecte, quaſi aliud agens, & clara voce bene precatus, illevit: ſed Deo protegente, venenum vires non exſeruit. Interim ille nomen in militiam dederat Eſſexio jam *Azoras Inſulas* co-

 gitanti,

1598. gitanti, & in eadem nave miles ex Anglia deceſſit, ut omnem ſuſpicionem amoliretur; cujus etiam cathedram eodem veneno illevit, nec meliore ſucceſſu. Poſtea in Angliam reverſus ſecurus egit, nec exiſtimavit quidem, Walpolum Confeſſorem unquam retecturum. Verum, ut videtur, Walpolus ægre ferens, hoc ſcelus ſucceſſu carere, & ſuſpicans, Squierum votis neglectis illuſiſſe, ad ulciſcendum incubuit. Submiſſus ſane quidam erat in Angliam qui Squierum ſuſcepti ſceleris generatim deferret. Hinc Squierus, quum res tanti eſſet momenti, examinatus, primum inficiatus eſt; dein exquiſitius de circumſtantiis quibuſdam interrogatus, & ratus, Confeſſorem mala fide egiſſe, ſponte ſuperiora illa de Walpolo, & ſuo aſſenſu adhibito, & capulo ephippii illito, & cetera confeſſus erat. Pro tribunali tamen, & ad patibulum, proteſtatus eſt, licet à Walpolo & aliis ad hoc ſcelus fuerit ſubornatus, nunquam tamen animum induxiſſe ut admitteret. Walpolus, aut pro eo alius, ſingula quæ Squierus confeſſus erat, edito libello multis cum deteſtationibus præciſe pernegavit. Utcunque ſe res habuit, nonnulli ex Anglia profugi, in hominum perniciem, & ſuam ipſorum infamiam, nimis ingenioſi exſtiterunt. Peſtifera enim opinio nonnullorum etiam ſacerdotum (pudet dicere) animos invaſerat, excommunicatos Reges tollere nihil aliud eſſe quam lolium ex agro Dominico exſtirpare.

Rumores in Scotorum Regem ſparſi. Sub id tempus quidam è qua neſcio officina male feriati, quibus quieta movere inſtar mercedis erat, ut amicitiam inter Reginam & Scotorum Regem occultis & nefariis artibus diſſuerent, rumores diſſeminarunt, illum in Pontificiorum factionem propendere, atque animo eſſe à Regina alieniſſimo. Ad fidem faciendam Reginæ exhibitum erat exemplar litterarum, quæ ad Pontif. Roman. à Regio Secretario fide ſubleſta ſcriptæ & ſub-

reptitia

reptitia Regis ſubſcriptione ſignatæ. Verum illa, minime credula, hoc & id genus alia, ut commenta pravorum ad animos Proteſtantium ab eo abalienandos & Pontificiorum conciliandos, omnino rejecit. Imo, quum Valentinus quidam Thomas, ſceleribus contaminatiſſimus, jam latrocinii damnandus, poſtularet, ut de re maximi momenti audiretur, & ſeorſim auditus, Regem Scotorum malæ mentis in Reginam inſimularet; tantum abfuit ut illa hoc inſuſurrantibus auſcultaret, ut iſtum, tanquam improbum calumniatorem, vel ab aliis malitioſe ſuppoſtum ut ipſi & Scotor. Regi moleſtiam faceſſeret, vel hoc comminiſcentem ut vitæ ſuæ conſuleret, deteſtaretur; rem taciturnitate celari juberet; nec hominem ſupplicio afficiendum cenſeret, ne qua macula Regis exiſtimationi aſpergeretur: quandoquidem calumniæ in Principes quamvis falſiſſimæ pronis auribus excipiantur. Illum, dum hi rumores calerent, ſubmonuit, ut hæc ſerio perpenderet: *An alter ab ipſa eſſet qui plus illi aut prodeſſe aut obeſſe poſſet? An alter fuerit in illum beneficentior? An alter minus ab illo exſpectaret, utique quæ nihil aliud exſpectavit, quam ut Dei gloriam promoveret, & ipſe ſibi non deeſſet?* Nec defuit quidem. Ad hujuſmodi enim rumorum commenta diſſlanda emiſſi ſunt longe lateque per Angliam & Hiberniam, qui ejus in Religione conſtantiam, prudentiam, juſtitiam, clementiam, & ceteras regias virtutes prædicando, multitudinis animos ad benevolentiam allectarent. Diſperſi etiam libri, tum ad jus ſucceſſionis in regno Angliæ adſerendum, (quod Jo. Colvillus Scotus impie ingratus nuper cavillando oppugnarat, qui tamen palinodiam mox cecinit & evulgavit,) tum ad edocendum, ejus admiſſionem magis uſui utrique regno futuram, quam alterius cujuſcunque intruſionem, ex his rationibus: Quod jure optimo nitatur; Rex ſit; regnum Angliæ

1598.

A Valentino Thoma.

Reginæ ad eum monita.

Libri pro eo conſcripti.

1598. gliæ acceſſione Scotiæ toties expetita adaugeat; bellum Hibernicum & Hiſpan. conſopiat; commerciorum libertatem aperiat: liberos, imperii firmamenta, vires ad ſe & ſuos tuendos, habeat, & orbis Chriſtiani Principibus ſit longe chariſſimus. Propoſiti etiam triſtes exitus non ſolum uſurpantium, ſed etiam uſurpantes provehentium; & inter alios, Rich. Nevelli Comitis Warwicenſis, qui Edwardum IV. & Ducis Buckinghamiæ, qui Richardum III. in ſolio collocarunt. Ad eliciendam ſucceſſionis declarationem, hujuſmodi ſententiæ ſparſim intertextæ: *Reges non poſſunt privare conſanguineos ſpe regni. Regna deferuntur jure ſanguinis. Quæ naturæ beneficio competunt liberis, exheredatione paterna tolli non poſſunt, nec etiam à Regni Ordinibus in remotiorem transferri. Quum Dominus non toleraverit Iſraëlitas, imo dederit in direptionem, quod ſpreta domo David ſibi Regem Jeroboam filium Naboth conſtituiſſent. Regnorum tranſlationes à propinquioribus non ſolum legibus humanis, verum etiam divinis repugnant. Ut intrantes egredientium moram, quamtumvis prolixam, patienter ferre debent, ita egredientes aut poſſeſſores ſucceſſoribus certa intrandi argumenta præſtare tenentur, ne hi vana ſpe, illi quotidianis poſtulationibus fatigati, querantur.* Sed his longe præcelluit liber ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ à Rege ad filium conſcriptus, in quo optimus Princeps omnibus numeris abſolutus elegantiſſime depingitur. Incredibile eſt, quot hominum animos & ſtudia inde ſibi conciliarit, & quantam ſui exſpectationem cum admiratione apud omnes concitarit. Quid Elizabetha de his ſenſerit, non comperi: hoc ſcio, ſi rem tantillam referre liceat, quod illa, quæ dulcedine otii litterarii ſeria lenire ſolita, aſſidue aliquid aut legit, aut ſcripſit, ut jamdudum Salluſtium de Bello Jugurthino, ita his diebus maximam partem Horatii de Arte Poëtica,

Baſilicon Doron.

Regina bonis ſtudiis vacat.

& Plutarchi libellum de Curioſitate, in linguam Angli- 1598.
cam convertit, & ſua manu deſcripſit: etſi rebellio in Hibernia jam periculoſius exarderet, ut mox dicemus, ſi, qui è noſtratibus memoria digniores hoc anno occubuerunt, prius dixero. Nec illi præter Burghleium modo dictum plures quam tres, & ex eruditiſſimorum quidem numero non minores quam fama feruntur.

Primus erat Thomas Stapletonus, Sacræ Theologiæ D. è Suſſexia oriundus, in Novo Collegio Oxoniæ educatus, Theologiæ & Controverſiarum in Academia Duacenſi Profeſſor ordinarius. In Belgium enim ex ſtudio Romanæ Religionis primis Elizabethæ annis conceſſerat, & publice legendo, pluriſque libros ſcribendo, admodum inclaruit. Alter, Richardus Coſinus Cantabrigienſis LL. Doctor, Decanus de *Arcubus*, qui Eccleſiaſticam jurisdictionem propugnando, graviſſimæ doctrinæ & prudentiæ eximiæ laudem conſecutus. Tertius, Ed. Spenſerus, patria Londinenſis, Cantabrigienſis etiam Academiæ alumnus, Muſis adeo arridentibus natus, ut omnes Anglicos ſuperioris ævi Poëtas, ne Chaucero quidem concive excepto, ſuperaret. Sed peculiari Poëtis fato ſemper cum paupertate conflictatus, etſi Greio Hiberniæ proregi fuerit ab epiſtolis. Vix enim ibi ſeceſſum & ſcribendi otium nactus, quum à rebellibus è laribus ejectus & bonis ſpoliatus, in Angliam inops reverſus, ſtatim exſpiravit, [1] Weſtmonaſterii prope Chaucerum impenſis Comitis Eſſexiæ inhumatus, Poëtis funus ducentibus, flebilibuſque carminibus & calamis in tumulum conjectis.

Mors Th. Stapletoni.

Richardi Coſini.

Edm. Spenſeri.

Toto hoc anno rebellio Hibernica admodum exarſit. Tir-Oenius enim, etſi veniam, quam ſimulate imploraverat ab Ormundio Locum-tenente, ſub magno Sigillo Hiberniæ impetraverat, ex improviſo munimentum

1. Et Weſtm. *Ed. Lond.*

ad

1598. ad *Black-water* obſidione incinxit. Ad eam ſolvendam *Locum-tenens exercitus Generalis* (nullus enim adhuc Prorex ſubſtitutus) ſeleƈtiſſimas ſubmiſit turmas, ſcilicet XIII. vexillationes ſub Henrico Bagnallo Mareſcallo, acerbiſſimo Tir-Oenii adverſario. Die XIIII. Auguſti à caſtris prope Armacham triplici acie moverunt: primam duxerunt Mareſcallus & Percius; mediam Cosbius & Thomas Maria Wingfeldius; poſtremam Cuinus & Billingus. Equitum turmis præfuerunt Caliſthenes Brookus, Carolus Montacutus, & Flemingus. Vix mille paſſus confecerant, nimio plus inter ſe diſparati per colles leviter ſurgentes, inter uliginoſam hinc planitiem, inde ſilvas, quum in primam aciem Tir-Oenius, acrioribus odii in Mareſcallum ſtimulis excitatus, omnibus viribus involaret: ſtatimque eo inter confertiſſimos hoſtes occiſo, primam illam aciem à ceteris longius ſubſequentibus & ex objeƈtu collis ne conſpeƈtam, dum ordines laxaret, multitudine facile oppreſſit: eodemque momento pulvis tormentarius fortuito in media acie igne concepto, multos ſuſtulit, & plures mutilavit; Cosbiuſque, qui miſſus, ut primæ aciei reliquias recolligeret, magna clade affeƈtus. Montacutus tamen non ſine magno periculo reduxit; Wingfeldius cum poſtrema acie, pulvere tormentario deficiente, Armacham rediit. Ita Tir-Oenius perjucundum de adverſario triumphum, & de Anglis viƈtoriam inſignem, reportavit. Nec ſane, ex quo in Hibernia pedem firmarunt, major clades accepta, XIII. ſtrenuis ordinum duƈtoribus deſideratis; & mille quingentis è gregariis, qui fœda fuga diſſipati, totis campis palantes cæſi viƈtique. Superſtites non ſuam ignaviam, ſed ducum imperitiam, quod jam in morem ceſſit, probroſe culparunt. Nec ſine culpa videbantur, qui adeo diſparati præter militarem diſciplinam inceſſerunt contra barbaros, qui ſemper in unum conferti impetu magis quam conſilio pugnant.

Munimentum ad Black-water obſidetur.

Angli profligantur.

Paullo

Paullo poſt munimenti ad Black-water ſubſecuta eſt deditio, quum præſidiarii, fide & armis ad extremam famem retentis, ſpem omnem ſubſidii evanuiſſe viderent. 1598. Munimentum deditur.

Hæc victoria rebellibus glorioſa, & inprimis uſui. hinc enim arma & commeatum nacti, & Tir-Oenius per Hiberniam magna fama, tanquam libertatis auctor, ubique celebratus, ferocia & ſuperbia ſupra modum intumuit. Illico univerſa fere Momonia deficit; nec tam ex hoc felici rebellium ſucceſſu, quam ex odio incolarum in Anglos * inquilinos & colonos qui in agros fiſco poſt Deſmonii rebellionem addictos deducti; atque ex ſpe protectionum ſi ſucceſſu carerent. (Inveteraverat enim in Hibernia exitioſa conſuetudo, ut rebelles & malefici, pecunia, quam ex prædationibus fecerant, data, impune evaderent & protegerentur.) Ad hanc defectionem alendam miſit Tir-Oenius in Momoniam *Ouny-Mac-Rory-Og-O-Moore*; & *Tirellum*, ex Anglica licet origine, Anglico nomini infeſtiſſimum; cum CIƆ. prædonibus: contra quos ad *Kilmalock* uſque Thomas Norriſius Præſes Provinciæ cum ſatis valida manu feſtinavit. Quum autem Hibernicos, quos ſub ſignis habuit, defectionem cogitare perſpexiſſet, novique ex Anglia coloni non plures quam ducentos eoſque inermes inſtruere potuiſſent; diſperſis copiis in Corcagium ſe recepit. Quo comperto, rebelles, confluente magna perditiſſimorum colluvie, agros depopulantur, prædas agunt, undiquaque Anglorum arces, ædes & prædia diripiunt & incendunt, eoſque paſſim crudeliſſime trucidant; quod non facile poterant, ſi, qui agros illos conduxerant, colonos juſto numero & ex contractu inſtructos miſiſſent. Rebelles, hinc erectiores, Jac. Fitz-Thomam è Deſmoniæ Comitum familia, hominem obſceniſſimum, Deſmoniæ Comitem declarant; ita tamen ut eſſet beneficiarius O-Neali, i. Comitis Tir-Oeniæ: qui

Momonia deficit.

* Undertakers.

Protectiones Reipub. exitioſæ.

Momonia vaſtatur.

1598. litteris ad Hiſpanum victorias pleno ore celebravit; ſimulque obſecravit, ne crederet, ſi forte audiret, ſe pacem ab Anglis expetere; quinimo contra omnes pacis conditiones, licet æquiſſimas, aures obfirmaſſe, & fidem Hiſpano datam conſtantiſſime obſervaturum. Litteris nihilominus, nunciiſque, interea de ſubmiſſione cum Locum-tenente ſimulate interceſſit, & iniquiſſima poſtulavit.

Tir-Oenius ſuas victorias prædicat.

Richard. Binghamus in Hiberniam remiſſus.

Ad hujus inſolentiam comprimendam inprimis habilis *viſus eſt* Richardus Binghamus, contra rebelles in Hibernia fortis & felix ſi quis alius. Ille *igitur*, qui jam pridem Conachtiæ Præfectura, provincialibus de ſeveritate quiritantibus, amotus, in Angliam vocatus, & in Cuſtodiam datus, nunc remittitur cum honore & auctoritate Mareſcalli Hiberniæ & Lageniæ Generalis. Verum ſtatim atque appulit, Dublinia diem obiit. *Vir* genere claro & antiquo in agro Dorſettenſi, ſed veteranæ militiæ gloria clarior. Ad S. Quintini enim Conqueſtum in Armorica, ad Leitham in Hebridibus, Scotia, Creta Inſula, ad Chrium contra Turcas, in Gallia & Belgio, militavit, &, quæ dixi, in Hibernia geſſit.

Obiit.

M. D. XCIX.

Deploratus Hiberniæ ſtatus.

JAM quodammodo deploratus erat Hiberniæ ſtatus. in rebellionem enim gens fere univerſa proruperat; alii ex præſidiariorum injuriis & militari inſolentia; alii ex metu adverſarum factionum, quæ temporum iniquitate viribus invaluerant; alii ex felici rebellium ſucceſſu; alii quod indefenſi immanium prædonum latrociniis relinquerentur; alii ſacrificorum perſuaſionibus ſeducti; aliique abducti rumore falſo à rebellionis architecto paſſim diſſipato, Reginam conſtituiſſe gentem Hibernicam debellare & funditus exſtirpare.

De Prorege conſultatur.

Ad hanc rebellionem exſtinguendam quis idoneus reperiatur,

perlatur, in Anglia ſerio conſulitur. Regina & plerique 1599.
Conſiliarii in Carolum Bluntum Baronem Montjoium, oculos conjiciunt. Sed Eſſexius tecte innuit, illum nullis fuiſſe caſtrorum experimentis, niſi quod ordines in Belgio & Armorica duxerit; ab opibus non eſſe inſtructum, nullis fere clientelis ſuffultum, & litterarum ſtudiis nimio plus immerſum. In Hiberniam aliquem è primaria nobilitate mittendum, qui potentia, honore, & opibus validus, viris militaribus gratus, & exercitum jam antea ſummo cum imperio ductaverat. ut videretur ſe ipſum digito deſignare. Adeo ut Regina jam ſtatuerit illum Hiberniæ regno & exercitui præficere; quod tamen ille quodammodo ſpecie recuſantis abnuit, [1] & alteri cuicunque tam difficilem Provinciam rogavit. Verum enimvero, ſi quis alter nominaretur, in promptu habuit quod objiceret. Atque ita ſe geſſit, ut adverſariis videretur nihil magis exoptare, quam exercitum ſub imperio habere, & viros militares ſibi aſtringere, idque tanto ambitu, ut nonnulli metuerent ne quid monſtri aleret, maxime quum in Reginam beneficentiſſimam magis magiſque contumaciam adhiberet, & aſſeclæ magna creparent, ſcilicet genus illi eſſe è regia Scotorum familia per filiam natu maximam *Alani de Gallovidia*, (quæ tamen è regia ſtirpe non erat,) & ex regio Anglorum ſanguine per Ceciliam Bourchieram abaviam, cui genus tum à Thoma Woodſtochio filio natu minimo Regis Edwardi III. tum à Rich. Comite Cantabrigiæ. Hinc potiori eſſe jure ad Angliæ ſceptrum quam alium quempiam Competitorum, quorum jus (præterquam *Infantæ Hiſpanicæ*) Dolemani liber illi inſcriptus convellerat.

Eſſexius tecte ambit.

Nec hi contenti generis ſplendorem extollere, ob religionem etiam, fortitudinem & prudentiam, laudibus

1. *Deeſt & in Edd. priorib.*

 ubique

1599. ubique cumularunt. Hæc ſingula alii in Aula, qui illum abſentem potius quam præſentem maluerunt, inſidioſe exaggerarunt, currentemque incitarunt, ſpe æternæ gloriæ apud poſteros, amoris & honoris apud multitudinem, propoſita; obteſtati pro ſummo & perpetuo in Remp. ſtudio ut hanc Provinciam ſuſciperet, omnem operam & benevolentiam prolixe polliciti. Hi, ſubdolum inimicorum genus, amicitiæ ſimulatione palam ſupra modum laudando, & longe maximam exſpectationem concitando, occultas inimicitias acrius exercuerunt, non ignari, ferocem juventutem ſibi exitio futuram, & non aliam faciliorem eſſe rationem [1] hominem popularem peſſundandi, quam in negotium, cui impar videbatur, protrudendo. Quid opus eſt multis? Ille, licet vividi & perſpicacis ingenii, hæc vel non ſenſit, vel ſentire noluit, dum primum ſuis, deinde ſibi, rebus maximis par, imo ſupra videretur. Hinc quaſi publico omnium gaudio Hiberniæ Prorex conſtituitur, ampliſſima cum poteſtate belli proſequendi aut componendi, &, quod importunitate evicerat, remittendi & condonandi in ipſam Majeſtatem crimina vel ipſi Tir-Oenio. Quæ tamen remittendi poteſtas in omnibus hactenus Proregum Diplomatibus his verbis fuerat reſtricta: (*proditionibus, perſonam noſtram, heredes, ſucceſſores, tangentibus, exceptis.*) Et provide hanc condonandi hujus generis crimina poteſtatem obtinuit, quum *omnimodas rebelliones Principis perſonam tangere*, Juriſconſulti pronuncient. Exercitus illi decretus, quantum poſtularet nec Hibernia prius viderat, ſcilicet XVI M. pedites, & equites M.CCC. qui poſtea etiam ad XX M. ſuppletus. Nec quicquam in optatis habuit, quod officioſa, ne dicam inſidioſa, adverſariorum opera non impetravit. Utque incautum plagis occultis irretirent, ſpeculatores, qui facta

Prorex conſtituitur.

Exercitus illi decernitur.

1. *Deeſt* hominem *in Edd. priorib.*

obſer-

obſervarent, voces exſpirerent, & ſingula ſemper in deterius adaugerent, appoſuerunt. In mandatis datum, (uſitata omitto; & illud: ne Equeſtrem dignitatem conferret niſi bene merentibus & dignis,) ut, ceteris quibuſcunque rebellibus poſthabitis, in Tir-Oenium Archirebellem omnes vires converteret, eumque præſidiis ad *Lacum-Foile* & *Balaſhanonam* quamprimum premeret. Quod faciendum ille ſemper inculcaverat, & neglectum fuiſſe, bellumque crebris cum hoſte colloquiis protelatum ſuperioribus Proregibus & Norriſio, crimìnoſe objectaverat. Programma in Hiberniam præmittitur, quo declaratur, Hibernicos rebelles Reginæ clementia & patientia tam diu fuiſſe abuſos ut jam ad eos coërcendos potentia neceſſario ſit exercenda. Tantum autem abeſſe ab Hibernia debellanda, ut ne cogitaret quidem; nec ſane eſſe cur cogitaret, cuum pars longe maxima procerum & plebis in [1] officio & fide firmi permaneant. Rebellibus, qui ad officium redibunt, miſericordiam; ceteris excidium proponit. Eoque conſilio Eſſexium, ut clementiæ & juſtitiæ miniſtrum, elegiſſe, cujus fortitudo, prudentia, fides, & felicitas, erant perſpectiſſima.

1599. Mandata illi data. Programma præmiſſum.

Ille mox ſequitur ſub finem menſis Martii, Londino profectus inſigni nobilitatis flore comitante, plebe fauſtis acclamationibus proſequente, Jove autem ſereno tonante, & magno imbre mox ruente. Inter navigandum adverſa tempeſtate huc illuc jactatus in Hibernia appulit: gladioque pro more accepto, ſtatim, contra ac in mandatis habuit, Comitem Southampt. equitibus præfecit; & ſuaſu quorundam è Regio ibidem conſilio, qui in ſua nimis intenti, adverſus minutos quoſdam in Momonia rebelles, archirebelle neglecto, & Regina inconſulta, cum omnibus copiis ſigna extulit. *Cahirum*, Edm. Butleri Baronis de *Cahir* caſtrum, *Swiro* flumine

In Hiberniam proficiſcitur. In Momoniam exercitum ducit. Caſtrum Cahir capit.

1. *Deſunt* officio & *in Edd. priorib.*

circum-

1599. circumfuſum, rebellibus receptaculum, cepit; terrorem, magno pecorum numero abacto, late ſparſit; & rebelles circumquaque in ſilvas & ſaltus diſpulit. Interim tamen clades non minima accepta quorundam ignavia ſub Henric. Haringtono, in quos acriore diſciplina animadvertit. Nec ante menſem Julium jam divergentem rediit, militibus laſſatis afflictis, numeriſque ſupra fidem acciſis; & ipſe graviſſime ira ſuccenſus, quod Regina interim opimam Pupillorum Præfecturam, quam ſpe credula ſibi promiſerat, Roberto Cecilio contuliſſet. Quum Regina damnoſam hanc expeditionem ægre & acerbe ferret, & illum in Ultoniam contra Tir-Oenium urgeret, datis litteris culpam in Hiberniæ Conſiliarios, quibus, ob multiplicem in rebus Hibernicis uſum, non poterat non acquieſcere, tranſtulit, ſancte pollicitus, ſe quamprimum in Ultoniam infeſta ſigna illaturum. His litteris vix traditis, aliis ſignificavit, ſibi neceſſario in Offaliam Dubliniæ vicinam contra *O-Conoros* & *O-Moilos* ibi tumultuantes deflectendum. quos facile & feliciter contudit.

* Rediit haud inculpatus.

Militum ſupplementum requirit per Cuffum.

Reverſus exercitum ita extenuatum invenit, ut novum militum ſupplementum per litteras, chirographis Conſiliariorum Hiberniæ ſubſcriptas, ad expeditionem, quam in Ultoniam jam ſuſcepturus, peteret. Nunc certus in Tir-Oenium bellum convertendi, Coigniero Cliffordo Conachtiæ Præfecto imperat cum expeditis cohortibus verſus *Belick* proficiſci, ut rebellium copiæ diſtinerentur, dum ipſe alia ex parte aggrederetur. Cliffordus ſtatim cum M.D. profectus, milites longo itinere delaſſatos, & à pulvere bombardario minus inſtructos, *Curlew* montes ſuperare jubet; quos quum maximam partem ſuperaſſent, rebelles, duce *O-Rorco*, filio illius quem antea ſuſpenſum diximus, ex improviſo irruunt. Angli prin-

* *Deſunt tres notæ marginales proxime ſequentes, in Ed. Lond.*

principio facile repellunt, ſuſceptum iter pergunt; iſti 1599.
ſubſequuntur, atque quum jam bombardarium pulverem Angli vincuntur.
deeſſe [1] ſentirent, denuo adoriuntur, & de via languentes
atque reſiſtendo impares in fugam disjiciunt, Cliffordo
una cum Alexandro Ratcliffo de *Ordſall* ex equeſtri ordine & multis veteranis occiſis.

Interim in Anglia ſupplementum, quod Prorex petiit, conſcribitur, & mittitur; verum pauculis interjectis diebus, aliis litteris edocuit, ſe nihil aliud hoc anno amplius præſtare poſſe, quam cum M.CCC. peditibus & CCC. equitibus Ultoniæ limites adire. Quo quum perveniſſet, Tir-Oenius ſe cum ſuis in collibus [2] è longinquo uno & altero die oſtendit, demumque per Haganum, colloquium cum Prorege orat. Ille abnuit: ſin Tir-Oenius hoc vellet, die craſtino ante principia in acie colloqui poſſe, reſpondet. Quo die levi facta velitatione, eques è Tir-Oenii turmis alta voce exclamat, Comitem pugnare nolle, ſed cum Prorege colloqui velle, at nullo modo inter acies.

Ultoniæ limites adit.

Tir-Oenius colloquium petit.

Die inſequente Proregi agminatim pergenti Haganus obvius nunciat, Tir-Oenium miſericordiam Reginæ & pacem expoſcere, &, ut tantiſper exaudiatur, obſecrare; quod ſi concederet, illum cum omni obſervantia ad vicini fluminis vadum (*Balla Clinch* vocant) exſpectaturum, haud procul à Loutho primario Comitatus oppido. Eo Prorex quoſdam præmiſit qui locum explorarent: illi Tir-Oenium ad vadum offendunt: qui docet, quamvis flumen intumuiſſet, facile utrinque exaudiri poſſe. Hinc Prorex, turma equitum in proximo colle diſpoſita, ſolus deſcendit; Tir-Oenius equo ventre tenus in aquas immiſſo Proregem in ripa magna obſervantia ſalutat, & multis ultro citroque verbis, ſine arbitris habitis, fere hora eſt conſumpta. Poſt unam & alteram horam Co-

Colloquuntur.

1. Senſerint *Ed. Lond.* 2. A longinquo *Ed. Lond.*

nus

1599. nus filius Tir-Oenii nothus Proregem ſubſecutus, patris nomine obſecrat, ut alterum haberetur colloquium, ad quod primarii aliquot viri utrinque admitterentur. Aſſenſit Prorex, modo non ſint plures quam ſex. Die præſtituto Tir-Oenius, cum Cormaco fratre, Mac-Gennyſo, Mac-Guiro, Evero Mac-Cowley, Henrico Ovingtono, & O-Quino, ad vadum ſe oſtendit. Ad eos Prorex cum Comite Southamptoniæ, Georgio Bourchiero, Warhamo S. Legero, Henrico Danverſio, Edwardo Wingfeldo, & Guilielmo Conſtablo, Equitibus Auratis, deſcendit. Quos ſingulos magna comitate ſalutat Comes, & verbis non multis collatis, placuit, ut quidam Delegati die inſequente de pace agerent. Inter quos convenit, ut induciæ ab ipſo die in ſingulas ſex ſeptimanas, uſque ad Calend. Maii haberentur, ita tamen, ut utrinque liberum ſit, poſt præmonitionem quatuordecim ante dies factam, bellum renovare. Quod ſi quis Comiti confœderatus aſſenſum non præbuerit, illum Proregi proſequendum relinqueret.

Tir-Oenius iterum colloqui petit.

Induciæ fiunt.

Dum hæc aguntur, litteræ, quas modo dixi, ab Henr. Cuffo ad Reginam ſunt perlatæ; ex quibus [1] perlectis, illa quum intelligeret, Proregem tanto cum exercitu, tanto tempore, tanta pecunia expenſa, nihil effeciſſe, nec eo anno effecturum eſſe; commotior, ejus conſilia, ut præcipitia, infelicia, & contemptu plena, perſtrinxit; nec dubitavit, neſcio cui ſuſpicioni indulgens, nonnullis dicere, eum aliud quidpiam animo cogitare quam patriæ & Principi operam in Hibernia navare. Nec revocare voluit, licet nonnulli ſuaſerint, [2] rata, imprudentiæ eſſe extremæ, quem irritaverat & irritatum armaverat, nunc armatum denuo irritare. Verum ad eum Hiberniæque Conſiliarios reſcripſit: Se non poſſe ſatis demirari, cur Prorex dies prolatando, & alias atque alias moræ cauſſas

Regina Proregi indignatur.

Ad eum ſcribit.

1. *Deſunt* perlectis, illa *in Edd. priorib.* 2. Rati *Ed. Lond.*

nectendo,

nectendo, pulcherrimas rei bene gerendæ contra rebelles 1599.
opportunitates [1] corruperit, qui nihil aliud, dum in Anglia eſſet, quam unum Tir-Oenium perſequendum cenſuit, idemque litteris ſubinde prolixe promiſit. Expoſtulavit, cur damnoſas illas in Momoniam & Offaliam contra ſuam ipſius ſanam ſententiam ſuſceperat, de quibus ipſam ne verbo quidem certiorem fecerat, priuſquam eſſent ſuſceptæ, quas alioquin prohibuiſſet. Si jam exercitus afflictus & acciſus, cur hoſtem non fuerit perſecutus, dum integer, valens, & completus? Si vernum tempus non idoneum erat ad bellum in Ultonia gerendum, cur æſtivum, cur Autumnale neglectum? An nullum anni tempus illi bello opportunum? Se jam prævidere Regnum Angliæ ſupra modum ſumptibus exhauriendum, & infamiæ quandam notam apud exteros ex adverſo belli ſucceſſu ſubeundam; imo & qui hujus temporis hiſtoriam ſunt ſcripturi, poſteris prodituros, ipſam ad Hiberniæ Regnum conſervandum nihil non feciſſe, eum ad idem amittendum nihil omiſiſſe, niſi aliam belli rationem jam tandem iniret. Aſperius itaque & illum, & regni Conſiliarios admonuit, ut conſideratius bono reipublicæ conſulant, nec male-ſanis conſiliis jam inde agantur tranſverſi; ſimul perſcribant in quem ſtatum rem Hibernicam perduxerint, ſolliciteque proſpiciant ne quid detrimenti deinceps capiatur.

His litteris Prorex irritatus, & æger animi ex aliis quibus Regina acriter objurgarat, quod, contra ac imperarat, Southamptonium equitum præfectura non abdicaſſet. (Illi enim Regina indignabatur, quod, ipſa inconſulta, contra quam nobiliores ſolent, Elizabetham Vernoniam ex Eſſexii amita natam clam duxiſſet.) Sed maxime exulceratus, quod Regina Roberto Cecilio Præfecturam regiorum pupillorum contulerat, ut dixi, in *Ille irritatur.*

1. *Corruperat Ed. Lond.*

1599. Siniſtra conſilia agitat.

cæcas nubes & procellas ſe conjicere cœpit: ſiniſtra conſilia clandeſtinò agitavit, de redeundo in Angliam cum ſelectis cohortibus, & adverſarios in ſuam poteſtatem armata manu redigendo; perſuaſus, plures ad ejus partes ex amore & rerum novarum ſtudio acceſſuros. Sed Southamptonius, & Chriſtophor. Bluntus, qui matrem ejus duxerat, ab hoc incepto, ut nefario, cruento, odioſo, & periculoſo, deterruerunt.

[1] Atque hoc Reginæ occulto aliquo indicio innotuiſſe, probabile eſt. Etenim eodem tempore increbuerunt rumores, & per totum regnum pervagati ſunt, quales ſpargi ſolent quum Principe volente volitant, adeſſe claſſem Hiſpanicam potentem & optime inſtructam, ad oras occidentales regni conſpectam eſſe, neque quam partem regni peterent certum eſſe. Itaque delectus acriter ubique habiti, provinciæ maritimæ armari, & in procinctu eſſe juſſæ. Nuncii aſſidue ad aulam miſſi; quin etiam exercitus regius ſub Duce Comite Nottinghamiæ Admirallo Angliæ conſcriptus. Evulgata etiam fabella quæ vel prudentiores capere & fallere poſſet, Regem Hiſpanum expeditionis in Luſitaniam cui idem Eſſexius adfuerat non oblitum, quum certior factus eſſet tantum exercitum ad motus Hibernicos compeſcendos apparari ſub duce tam eminenti & florenti, in ſuſpicionem ve-

---

Exercitus in Anglia conſcribitur.

1. *Hæc Sectio aliter ſe habet in Edd. prioribus, viz.* An hoc Reginæ occulto aliquo indicio innotuerit, [innotuit *Ed. Lond.*] haud ſcio. Eodem quidem tempore ex incertis rumoribus & cur de creditis de Hiſpanica claſſe apparata, ſex millia peditum exercitatiſſimorum Londini conſcribuntur; quorum tria millia circa Reginam excubarent, ceteri in omnes occaſiones adeſſent; atque ex circumvicinis regionibus numeroſior exercitus exquiſito delectu accerſitur. Quibus ſummi imperatoris titulo præficitur Carolus Howardus Comes Nottinghamiæ Angliæ Admirallus, cum ſumma auctoritate tam contra hoſtes exteros quam rebelles domeſticos. Sed exercitus iſte poſt pauculos dies ſolvitur.

niſſe,

niſſe, hæc prætextu rerum Hibernicarum ad Hiſpaniæ partem aliquam invadendam deſignata eſſe, atque idcirco in defenſionem regnorum ſuorum claſſem immenſam, & etiam copias terreſtres paraſſe. Poſtquam autem comperiſſet, exercitum re vera in Hiſpaniam tranſmiſſum eſſe, atque illis rebus implicitum; ſubmonitum à conſilio ſuo, ut quum tantam claſſem & copias magnis impenſis & rerum motu jam collegiſſet, & paratas haberet, ne eas inutiliter dimitteret, ſed in Angliam impreſſionem faceret, eo magis quod flos militiæ Anglicanæ cum Eſſexio tranſportatus eſſet, & Regina nihil tale eo tempore exſpectaret. 1599.

[1] Hæc omnia eo fiebant, ut Eſſexius certior factus regnum in armis eſſe ab aliquo conatu exercitum Hibernicum in Angliam tranſportandi injecto metu deſiſteret. Attamen hæc Reginæ conſilia etiam vulgo in ſuſpicionem venerant & in pejorem partem accipiebantur, ut etiam dicteriis non abſtinerent, quum dicerent A°. 88°. ab Hiſpania appuliſſe claſſem illam invincibilem, & muſſarunt ſi hujuſmodi ludi Florales à conſilio Angliæ ineunte Maio celebrati fuiſſent magis congruum exiſtimari potuiſſe; verum ut plebs à meſſe ſua avocaretur (erat enim adultus Autumnus) minus ſerias ineptias eſſe.

Intra menſem Eſſexius omnium opinione citius in Angliam advolat cum ſelectis quibuſdam amicis: Southamptonio, qui equitum præfectura abdicatus; Barone Dunkellino; Chriſtophoro à S. Laurentio, Baronis Houthi filio; Henrico Danverſio, qui à gravi vulnere nondum convaluerat; Henrico Docwraio; & aliis ordinum ductoribus, atque domeſticis quibuſdam nobilibus, quorum plerique ſtatim atque appulerant, diverſi abierunt. Ille ſex tantum concomitantibus ad *Noneſuch*, ubi regina egit, pergit, ut rerum Hibernicarum ſtatum edoceret. Eſſexius inexſpectatus in Angliam redit.

1. *Deeſt hæc Sectio in Edd. priorib.*

 ceret.

1599. ceret. In via Baro Greius Wiltonius, qui ex æmulis a-crioribus erat, antevertit, nec ſalutavit quidem. Quum Comes, ne quid ille in Aula officeret, ſubvereretur; & Thomas Gerardus, aſſecutus, ne officeret, blande, ſed fruſtra, rogaſſet: S. Laurentius operam ad eum in via & Secretarium in Aula occidendum detulit. Sed Comes, omnem impietatem ex animo peroſus, hoc noluit; atque ita maturavit, ut Reginæ bene mane, ne opinanti quidem, in penetrali ſacratiolo in genua provolutus ſe ſiſteret. Illa brevi colloquio ſatis benigne (ſed non qua ſolet fronte) excepit, juſſitque in cubiculum abiret, & ibidem ſe contineret. Apud eam enim, quæ jam antea erat offenſior, novam offenſam ſubiit, quod contra ac illa juſſerat, Hiberniam nulla impetrata venia reliquerat, & ejuſmodi inducias, quæ ſingulis quatuordecim diebus violabiles, pactus erat; quum penes illum eſſet, pro auctoritate rem cum rebelle tranſegiſſe, & proditioni gratiam feciſſe. Interrogatus à Conſiliariis, cur ejuſmodi pactus erat cum rebelle inducias, reſpondit, Tir-Oenium viribus præſidentem omnes omnino pacis conditiones elate recuſaſſe, niſi ſingulis in Hibernia rebellibus ſcelera remitterentur, Hibernici in poſſeſſiones, quas Angli occupant, reſtituerentur, & Romana Religio per univerſum regnum libere coleretur. Utque Regina hæc rata haberet, perſuadere cœpit. Quum autem hæc ut indigniſſima ab omnibus improbarentur, reditusque ejus in Angliam inexſpectatus, & cum hujuſmodi comitibus, ſuſpicione non careret, quam adverſarii in Aula variis commentis auxerunt; Regina cenſuit, eum in cuſtodiam committendum, non tamen in aliquo carcere, ne omnem ſpem priſtini favoris præcidere videretur, ſed in ædibus Cuſtodis Magni Sigilli, ne liber, pravis turbidorum conſiliis longius ab officio abduceretur. Ille ſuum & ſuorum reditum tam ſuſpectum haberi, indigniſſime tulit.

Reginæ ſe ſiſtit.

Cuſtodiæ committitur.

tulit. Vidi enim ejus autographum, in quo pulcherrima 1599. methodo digeſſit quæ ſibi objicienda autumavit. Scilicet: Primum, quod documentis neglectis expeditionem in Ultoniam procraſtinaſſet, opportunitates amittendo, Reginæ copiis & opibus alibi attritis. Dein, [1] quod colloquium cum archirebelle quaſi pari gradu habuiſſet Papiſtica religione rebellibus permiſſa atque aliis quæ fidelibus ſubditis non permittenda in Reginæ dedecus & detrimentum, necnon quod inducias rebellibus fructuoſas pactus eſſet. Poſtremo, quod rebus non conſtitutis Hiberniam ſpreta Reginæ prohibitione reliquiſſet, atque cum tot viris militaribus rediiſſet. His ſubjunxit hoc reſponſum: *Ego, priuſquam Hiberniam reliqueram, rem militarem per Provincias ea forma [2] quæ nunc adminiſtratur, conſtitui, & jam inde totos novem menſes nihil damni acceptum. Non eſt, cur concomitantes ſuſpecti habeantur: illi admodum pauculi, & juſtas redeundi cauſſas habuerunt, nec plures quam ſex me ad Aulam comitati ſunt. Ecquid mali ego cum tantulo comitatu afferre poteram? Perinde facile mihi fuiſſet male feciſſe ac cogitaſſe, quum regnum Hiberniæ & exercitum ſub imperio haberem. Si ulciſcendi cupiditate flagraſſem, aliorum auxilio haud mihi opus fuiſſet. Alterius enim vitæ eſt Dominus, quiſquis eſt contemptor ſuæ. Verum ſcio quis dixit*: Mihi vindicta; & ego retribuam. *Tantum-ne calumniæ in me licebit, ut hic meus reditus ſuſpectus habeatur, qui corpus pro Principe laboribus confeci, fortunas profudi, & ſupplex ad Principis pedes procubui? Æquitas & charitas non niſi juſtis de cauſſis hæc contra illos admittant quos Religionis cultus & generis nobilitas à ſuſpicione vindicent. An in me hujuſmodi*

Suſpiciones de reditu amolitur.

Conqueritur.

---

1. *Deſunt* quod colloquium *&c.* dedecus & detrimentum, necnon *in Edd. priorib.* 2. Quæ *Edd. priores, in quibus etiam* conqueritur *in margine deſideratur.*

1599 *modi cadat ſuſpicio? qui patrem & fratrem, dum patriæ inſervirent, amiſi? qui tredecim annos, ex triginta tribus quos vidi, [1] Reginæ famulatus ſum, & ſeptem ab interioribus fui conſiliis? qui odium longe maximum apud omnes, quotquot Reginæ ſaluti & veræ Religioni invident, ſubivi? & pro meo in eam obſequio, & in hoſtes opera, ita vindictæ ſum expoſitus, ut nullus locus niſi hoc regnum, nullum tempus niſi dum illa ſuperſit, ſecuritatem mihi præſtare potuerint?* Nec ipſe ſolus hæc quiritabatur, ſed plurimi paſſim; è quibus nonnulli conjurarunt, vi & armis è cuſtodia educere; quod tamen, ut ſplendorem viri boni tueretur, fieri omnino prohibuit.

E cuſtodia eripi non vult.

Verum ad Hibernica paulliſper redeamus. Induciæ illæ vix ſemel atque iterum exierant, quum Tir-Oenius copiis collectis hoſtili animo iterum ſe ad bellum parat. Ad eum mittitur à Regni Conſiliariis Guilielmus Warrenus, ex Equeſtri Ordine, ſciſcitatum cur inducias violaret. Cui ille tumidior reſpondit, ſe inducias neutiquam violaſſe, quum jam quatuordecim ante dies ſe bellum renovaturum præmonuiſſet. Renovandi belli cauſſam eſſe juſtam: nimirum, ſe intellexiſſe, Eſſexium Proregem, in quo ille omnia vitæ & ſalutis præſidia collocarat, in Anglia cuſtodia detineri, nec ſibi jam inde quicquam futurum cum Regni Hiberniæ Conſiliariis, qui dolo malo ſecum jam prius egerant. Inducias ſi maxime vellet, minime renovare poſſe; O-Donellum enim in Connachtiam, & alios ex fœderatis in alias partes, miſiſſe. Interea paſſim apud rebelles rumores non ſine capite (Tir-Oenio forte auctore) vagabantur, Angliam brevi novis motibus exagitandam. Pravi per Hiberniam & numeris & animis indies augeſcebant; [2] qui Hibernicæ erant originis, jam antiquam ſpirabant libertatem

Tir-Oenius inducias violat.

Elate ſe gerit.

1. *Non* Regi *ut Ed. Lond. & Elz. Sen.* 2. Qui, Hibernicæ originis, jam (*omiſſo* erant) *in Edd. priorib.*

&

1599.

& nobilitatem: probi ex Anglica ſtirpe animo erant fractiore, quum tantas Principis expenſas in nihilum recidiſſe viderent; qui etiam invicem conquerebantur, ſe à Reip. muniis tanquam peregrinos jam pridem excluſos. Tir-Oenius autem, alacer ubique, ſe & Religionis & patriæ libertatem aſſerturum, perſtrepit, tumultuantes ubique in fidem recipit, auxilia ſubminiſtrat, diffidentes confirmat, & ad Anglorum in Hibernia imperium labefactandum ſtrenue incumbit, ſpe lactatus, quam Hiſpanus apparatu bellico cum nonnulla pecunia ſemel atque iterum ſubmiſſo oſtentabat, & Pont. Rom. promiſſis & Indulgentiis alebat, Phœnicis pluma præmiſſa, forſitan quia Urbanus III. Joanni Regis Henrici II. filio Hiberniæ Domino deſignato coronulam ex pavonis plumis contextam olim miſerat.

Phœnicis pluma à Papa donatus.

Interim in Anglia homines male feriati Eſſexium ubique per circulos, & Miniſtri quidam etiam è ſuggeſtu, immodicis laudibus extulerunt, iidemque vel alii probroſis libellis Conſiliarios lacerarunt, & per eorum latera ipſam Majeſtatem, quaſi Remp. negligerent, Hiberniam poſthaberent, [1] & virum innocuum optime meritum in cuſtodia immerito detinerent. Unde quum Conſiliarii poſtridie quam juridicus S. Michaëlis conventus finiretur, pro more in *Camera Stellata* convenirent; Cuſtos Sigilli, poſtquam nobiles monuiſſet, ut ex urbe domum ſe reciperent, hoſpitalitatem inter vicinos colerent, &, qui ex illis Eirenarchæ, non ſolum in publicæ pacis violatores animadverterent, ſed ne pax turbaretur, ſedulo proſpicerent; graviterque calumniatorum projectam maledicentiam redarguiſſet: exponit, quam aſſidua fuerit Reginæ cura ad Hiberniam pacandam, quam præpoſtere Eſſexius rebelles fuerit proſecutus, & quam iniquis legibus & Principe indignis cum Tir-Oenio

Eſſexii errata declarantur à Sigilli Cuſtode.

1. *Deſunt* & virum &c. detinerent *in Edd. priorib.*

pactus

1599. pactus fuerit, qui hinc tumide elatus jactaverat, ſe propediem in Angliam adventurum, & poſſeſſiones ibidem ſibi comparaturum.

A Theſaurario.

Baro Buckhurſtus, qui Theſaurarius in Burghleii locum ſuffectus, in infamium libellorum ſcriptores invectus; explicat, quantus & quam inſtructus exercitus, quanta copia rei frumentariæ & bellici apparatus in Hiberniam [1] fuerit tranſmiſſa: pecuniam in trium menſium ſtipendia in ſingulos menſes fuiſſe ſubmiſſam, & Reginam in hoc bellum tercenta millia librarum intra ſex menſes expendiſſe. Nec Eſſexium poſſe hæc inficiari.

Ab Admirallo.

Comes Nottinghamiæ, Admirallus, docet, Reginam homines prudentiſſimos, in rebus Hibernicis verſatiſſimos, & animorum Provinciæ gnaros, in conſilium de Hibernica rebellione convocaſſe; pleroſque omnes, Ultoniam inprimis in ordinem redigendam cenſuiſſe. Eſſexium juxta cum illis ſenſiſſe, qui ſæpius iteraverat, non virgulta rebellionis amputanda, ſed radicem exſcindendam. Contra tamen feciſſe, ingemiſcit; affirmatque, v. naves Regias cum aliis ad uſum belli in Ultonia miſſas fuiſſe, & nullo uſui totos ſex menſes in portu ſubſtitiſſe.

A Secretario.

Cecilius Secretarius primum ſingularem Reginæ curam in Regnis Angliæ & Hiberniæ protegendis declarat, ſubmovendo Gallos è Scotia, Evangelicam doctrinam in Gallia & Belgio propugnando, Belgium ab Hiſpanorum, Galliam è Confœderatorum faucibus eripiendo, & Hiberniam à Pontificis & Hiſpani copiis defendendo; adeoque feliciter, ut ante annos VII. ne rebellis in Hibernia conſpectus; & majores proventus Regina inde acceperit, quam pater Henricus, vel frater Edwardus, aut Maria ſoror. Deinde multis memorat, quam validus exercitus Eſſexio fuerit commiſſus, [2] quantæque clades ſub

1. Fuerint *Edd. priores*. 2. Quantaque cl. ab Har. & Cl. accepta *Edd. priores*.

Haringtono

Haringtono & Cliffordo acceptæ. Tum, ut illis reſponderet, qui [1] obmurmurarunt, quamvis ampla auctoritas Eſſexio delegata fuerit, illam tamen privatis ex Anglia litteris fuiſſe coërcitam, & aliâ contra animi ſententiam fuiſſe injuncta; expeditionemque in Momonia Tir-Oenio neglecto ex conſiliariorum Hiberniæ ſententia fuiſſe ſuſceptam: affirmat, nec auctoritatem fuiſſe imminutam, nec alia, quam ipſe primum ſibi deſtinarat, fuiſſe injuncta; ipſumque Eſſexium teſtem citat, & ejuſdem litteras, quibus expeditionem in Momoniam excuſavit, producit. Expeditionem illam an ex ſententia Conſiliariorum Hiberniæ, vel ſua ſuſceperit, Deo omniſcio relinquit; quandoquidem Conſiliarii, ſe nunquam ſuaſiſſe, ſed improbaſſe, ſub chirographis teſtarentur. Quod reditum improviſum ex Hibernia nonnulli excuſarunt, agnoſcit, Reginam illi licentiam redeundi efflagitanti, quum opus eſſet, conceſſiſſe. Veruntamen poſtea, quum ille, Hiberniæ conditionem deploratiſſimam eſſe, ſuis litteris perſcripſiſſet, diſerte imperaſſe pro fide quam Principi debuit, ne rediret, donec plene ſignificaret, quid in Ultonia præſtiterat, & cui imperium relinquendum cenſeret. Illum vero hæc neglexiſſe, & tamen contra, ac imperatum erat, rediiſſe. Poſtremo conditiones recitat, quas Tir-Oenius, rebus ad vota fluentibus, tumide exegerat, [2] & modo dixi. Succeſſus adverſos deplangit, qui [3] genti Anglicæ militari laude florenti in dedecus apud exteros cedant, Reginæ gloriæ ubique celeberrimæ aliquid caliginis offundant, & rebellibus ita animum [4] inflarant, ut poſtridie, quam Eſſexius ad Aulam Anglicam redierat, Tir-Oenius [5] non potuerit continere, quin in hujuſmodi verba prorumperet, Non du-

1599.

1. Obmurmurarant *Ed. Lond.* 2. *F.* ut. 3. *Non* gentis, *ut Edd. Lond. & Elz. Sen.* 4. Inflarent *Elz. Sen.* 5. Non ſe potuerit *Edd. priores.*

1599. bitare, quin majorem converſionem rerum in Anglia propediem videret quam ex omnibus ſeculis jam ante acciderat, ibidem ſe palam oſtenderet, & partem ſibi aliquam ſortiretur. Qua animi divinatione hujuſmodi ille ſperare, &, quid factum de Eſſexio, intra paucas horas ſcire potuerit, ſe ne ariolari poſſe, profitetur. Hæc Cecilius. Quæ alii tum dixerunt, quum eadem fere fuerint, non opus eſt ut ſigillatim memorentur. Eſſexium nunc in cuſtodia apud magni Sigilli Cuſtodem relinquamus.

Ille totus Deo vacat.

qui Deo & Divinis meditationibus totus defixus, omnes mundi vanitates prætervectus videbatur; litteras tanta pietate, tanto rerum humanarum contemptu conditas, ad amicos dedit.

Pax cum Hiſpano proponitur.

Interea temporis Andreas Auſtriacus, Cardinalis Ferdinandi Archiducis fratris Maximiliani Imperatoris ex Welſera filius, qui, Alberto Auſtriaco ad nuptias in Hiſpaniam profecto, Belgio præerat, ſedulo per Carolum Lanfrancum & Hieronymum Coemanum de pace inter Reginam & Philippum III. Hiſpaniarum Regem componenda agit. Nec illa ſe à pace alienam oſtendit, modo idonea auctoritas pacem tractandi ab Hiſpano deferatur, & Ordinibus Confœderatarum Provinciarum conſulatur. Eos vero deſerere, aut aliquid facere, quod ſibi dedecori, aut illis fraudi, pro piaculo habere reſpondit. Ex pacis tamen mentione variæ [1] ſuſpiciones Ordines & Reginam diffidentia invadit: quandoquidem eodem tempore certis rumoribus percrebuerat, claſſem in Hiſpania apparari; verum Hollandica claſſis, quæ [2] tunc Canariam Inſulam cum Caſtro cepit, & Sancti Thomæ Inſulam vaſtavit, divertiſſe creditur.

Hiſpanicæ triremes in Flandriam perveniunt.

Nec tamen rumores illi omnino vani. Triremes enim aliquot in Hiſpania apparabantur ex conſilio Fred. Spinulæ Genuenſis, qui ſupra privatum abunde dives, quum

1. Suſpicionis *Edd. priores.* 2. Nunc *Edd. priores.*

in

in Belgio militaſſet, Hiſpano perſuaſerat Triremes in Flandriam mittere. Quæ ſub ejus auſpiciis miſſæ, littus Gallicum legendo, & Eteſiis faventibus, qui noſtro cœlo ab occaſu brumali diebus Canicularibus plerumque ſpirant, in Scluſam Flandriæ portum pervenerunt, ne conſpectæ quidem Anglicis & Hollandicis navibus quæ eas præſtolabantur. Per Britannicum enim fretum altius in Septentriones provectæ, ſive æſtu, ſive locorum inſcitia, ſive forte fortuna, certe Anglos & Hollandos præſtolantes fefellerunt. Hæ principio admirationem movebant Hollandis & Anglis, qui Oceanum Britannicum crebris procellis iracundum hujuſmodi planorum navigiorum impatientem eſſe experti erant anno M.D.XLV. quum à Franciſco Primo è mari Mediterraneo contra Angliam fruſtrà deductæ. Verum poſtea terrorem facere cœperunt. Ea enim ratione à peritis naupegis erant aptatæ qua illæ quæ ad *Azoras* uſque non ſine miraculo anno M.D.XCIII. penetrarunt, Oceanique noſtri & majorum navium minas facile contempſerunt, & tranquillo mari in quamcunque partem remis actæ magna damna intulerunt, dum naves contra magnis expenſis diſpoſitæ, quandocunque vento deſtitutæ, inutiles & ictibus expoſitæ jacerent. 1599.

Eodem fere tempore Carolus, Regnorum Sueciæ, Gothiæ & Vandaliæ Princeps Dei gratia hereditarius (hoc enim titulo uſus eſt) ad Reginam miſit Hillum Anglum, qui calumnias, quaſi novis rebus Succiæ regnum contra nepotem Sigiſmundum Poloniæ Regem affectando ſtuderet, apud Reginam dilueret; rogavitque, ut fidem calumniantibus derogaret, & ipſi *ad conſervandam & propugnandam ſinceram & verbo Dei fundatam Religionem conſilio & auxilio adeſſet.* Illa publice audivit, extemplo reſpondit, & optavit, ut fidem Nepoti datam ſincere ſervaret, ne in juſtitiam, naturam, &

Carolus Suecus ſe apud Reginam excuſat.

1599. [1] & propinquitatis jura peccaret, & officium magis comiter quam fideliter colere videretur.

Richardus Hookerus obiit.

Hoc anno animam cœlo reddidit Richardus Hookerus ex Devonia nobilium ingeniorum feraci oriundus, Oxoniæ in Corporis Chriſti Collegio educatus, Theologus modeſtia, temperantia, manſuetudine & ceteris virtutibus imitandus; & ſupra multiplicem eruditionis laudem celebris, quam libri de Eccleſiaſtica Politeia, patria lingua editi, digniſſimi qui Latine loquantur, abunde teſtentur.

M. DC.

Tituli Juris ambigui confirmati.

ANNO auſpicante, Regina, regni curis jugiter occupata, ut inter tantas in bellum Hibernicum expenſas rei pecuniariæ proſpiceret, quoſdam delegavit, qui Regia prædia juris controverſi poſſeſſoribus, accepta pecunia, confirmarent. (Poſſeſſoribus enim *Concelatores* turbidum genus hominum impendioſas moleſtias faceſſerunt.) Antiquas etiam leges, Edw. [2] III. Richardi II. Henrici IV. aliaſque de auro & argento facto aut infecto extra regnum non exportando, obſervari edicit; & ad Hibernica magis quam cetera intentiorem curam contulit. Tir-Oenius enim poſt Eſſexii reditum ſecundis ſucceſſibus tumidus, quaſi totius Hiberniæ Monarcha, volitat, atque ut flammam, quam abſens in Momonia conflaverat, præſens magis magiſque diffunderet, ſub religioſæ peregrinationis obtentu, inviſendi particulam Crucis Dominicæ, quæ aſſervari in Tippararienſi S. Crucis Monaſterio creditur, media hieme eo profectus, plurimos ad rebellionem præcipites cohortationibus & magnificis promiſſis protrudit: Jacobum *Fitz-Thomam* agnatum Jacobi Comitis Deſmoniæ, quem rebelles Comitem declararant, ad honorem Comitis Deſmoniæ, &

Edictum ne aurum aut argentum exportetur.

Honores confert.

1. *Deeſt & in Ed. Lond.* 2. IV. *Edd. priores.*

Floren-

Florentium *Mac-Carty* ad titulum *Mac-Carty-More* evehit: obſides à ſuſpectis extorquet; prædoneſque in fidelium ſubditorum agros immittit, duce *Mac-Guiro*, inter rebelles audaciſſimo. qui forte fortuna incidit in Warhamum à S. Leodigario ſive *S. Leger*, Equitem auratum, qui illum adacta haſta transfixit, ab illo ſimul transfixus.

1600.

Mac Guirus occiditur, & S. Leger.

Quum hæc flamma in potentius incendium jam exarſiſſet, quam ut per Ormundium Generalem exercitus deſignatum, & Georgium Carium Exercitus Quæſtorem, qui Juſtitiariorum titulo Hiberniæ præfuerunt, reſtingueretur; Regina, ſuo delectu ſemper felix, Carolum Bluntum Baronem Montjoium, quem ingenio ad imperandum & parendum inprimis habili judicarat, Proregem in Hiberniam præter omnem opinionem ſumma jam hieme miſit. In Hibernia appulit ille menſe Februario ſine ſtrepitu cum pauculis. Rem Hibernicam admodum languentem imo deploratiſſimam invenit. Tir-Oenius etenim ab extrema Ultonia in Momoniam, ut dixi, triumphantis inſtar, Inſulæ longitudinem nemine obſiſtente permenſus erat. Optimus quiſque ex adverſis ſine ſpe remedii vel allevamenti intabuit: peſſimi, rebus ad voluntatem continua ſerie affluentibus, altius ſpirarunt, & proculdubio nobiliores quique, ad reſumendam libertatem, quam oppreſſam quiritabantur, occulte conſpirarunt. Animos addit Clemens Octavus Pontifex Romanus Indulgentia ex Eccleſiæ theſauro, ut loquuntur. Qua (ut in pauca contraham) primum Præſules & Proceres Hiberniæ laudat, quod Jacobo Geraldino, Joanni ejus conſobrino, & noviſſime dilecto filio Hugoni Principi *O-Neal* Comiti Tir-Oenio, Capitaneo Generali exercitus Catholici in Hibernia, cunctis auxiliis & viribus opem præſtiterint. Deinde hiſce verbis pergit: *Nos, ut vos, ac Dux, & milites, alacrius in expeditionem*

Montjoius in Hiberniam venit.

Pontifex Romanus rebelles Bulla animat.

hanc

1600. *hanc contra hæreticos operam in poſterum præſtare ſtudeatis, ſpiritualibus gratiis & favoribus vos proſequi volentes, Prædeceſſorum noſtrorum exemplo adducti, ac de Omnipotentis Dei miſericordia ac B B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi: Vobis omnibus & ſingulis, qui Hugonem Tir-Oenium Ducem ejuſque exercitum Catholicæ fidei aſſertores & propugnatores ſequimini, ac illis vos adjunxeritis, aut conſilio, favore, commeatibus, armis, aliiſque bellicis rebus, ſeu quacunque ratione, eis in hac expeditione operam dederitis, ipſiſque Hugoni Duci, ejuſque exercitus militibus univerſis & ſingulis, ſi vere pœnitentes & confeſſi, ac etiam, ſi fieri poterit, ſacra communione refecti fueritis, plenariam omnium peccatorum veniam & remiſſionem; ac eandem, quæ proficiſcentibus ad bellum contra Turcas, & ad recuperationem Terræ Sanctæ, per Romanos Pontifices concedi ſolita eſt, miſericorditer in Domino concedimus. Non obſtantibus, &c. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, Pontificatus noſtri anno* IX. *M. Veſtrius Barbianus.*

Rebelles, ut Proregem jam recentem exterrerent, in ipſis Dubliniæ ſuburbiis claſſicum cecinerunt. Verum ille iſtis neglectis ipſum archirebellem è Momonia redeuntem aggredi exarſit. Convocata itaque tumultuaria manu, (delectæ enim cohortes aberant in Momonia cum Ormondio,) in *Fereall*, ut viam præcluderet, & prœlio exciperet, feſtinavit; ſed iſte de hoc Proregis conſilio certior factus, (nonnullos enim habuit è Conſilio regio ſemper ſibi nimio plus devotos,) contentiſſima per avia celeritate prævertit. Prorex Dubliniam reverſus totus erat in delectu veteranorum habendo, qui ad *Logh-Foil*, & *Bala-Shanonam* prope oſtium *Erni* lacus, navigio mitterentur, ut Tir-Oenius à tergo, à fronte, à lateribus premeretur; necnon de ſubſidio ad præſidiarios in

Prorex in Tir-Oenium movet.

Prævertitur.

in *Leaſia* & *Ophalia* ſubmittendo; quod tot rebellibus circumfuſis plenum erat periculi & difficultatis. 1600.

Præſidia in Ultoniam mittit.

Menſe Maio ineunte, ſigna Ultoniam verſus promovit, eo conſilio ut rebelles in ea parte diverteret, dum Henricus Docwraius ad *Logh-Foil* & Matthæus Morganus ad *Bala-Shanonam* præſidia firmarent. Appulerunt illi menſe Maio ad [1] *Culmor* juxta oſtium *Logh-Foil* cum quater mille peditibus & ducentis equitibus. ubi poſito munimento, & altero apud *Ellogh*; ad *Derri* urbeculam in peninſula quadraginta jugerum, hinc magna ex parte flumine circumflua, inde ſolo ſemper uliginoſo impervia, devenerunt; in qua ſemiruti erant parietes Monaſterii, Epiſcopalis Palatii, duarum Eccleſiarum, & veteris Caſtelli. Armamentarium & caſulas ex aſſeribus quercinis ibi conſtruxerunt, & locum communierunt ſtructilibus lapidibus è vicinia, atque ædium dirutarum reliquiis, conchis in calcem igne redactis: dum Tir-Oenius à Prorege quotidie levibus prœliis diſtineretur, indies adeo adverſis, ut jam Martis alea mutata ad ſua luſtra repelleretur. Præſidiis his diſpoſitis, Prorex Junio medio Dubliniam reverſus, aliquot vexillationes & commeatum ex Anglia ad præſidium in *Armacha* ex hac parte locandum petiit, ut rebelles in anguſtiora ſpatia redigeret. Interim in *Leaſiam* omnium Lageniæ rebellium perfugium profectus, *Ony-Mac-Rory-Og* primarium è familia *O-More*, juvenem ſanguinarium & projectiſſimæ audaciæ, qui tantas [2] nuper turbas in Momonia dederat, cum aliis conſceleratis occidit, agriſque vaſtatis, rebelles in ſilvas & ſaltus ita diſpulit ut in illis partibus vix conſpicerentur. Quamprimum ex Anglia nova auxilia adveniſſent, licet magna eſſet inopia rei annonariæ pecuniæque, & cœlum jam poſt Æquinoctium in illa plaga brumeſceret, in Ultoniam movit, & ad anguſtias

Derria communitur.

Tir-Oenium repellit.

O-Moros profligat.

In Ultoniam iterum movit.

1. Culmo *Edd. priores.* 2. Turbas nuper *Edd. priores.*

Mogheriæ

1600. *Mogheriæ* ultra Dondalkiam progreſſus eſt. Tranſitus ille totius Hiberniæ natura impeditiſſimus habetur, quem rebelles ſepimentis, palis defixis, cratibus junctis, ſaxis interjectis, & ceſpitibus, inter montes, ſilvas & paludoſas voragines, utrinque magna arte, ſed majori induſtria, tranſverſe communierant, [1] & numeroſo milite complerant. Acceſſit etiam magna cœli inclementia, & fluvii pluvia per aliquot dies continua aucti alveis egreſſi. Ubi [2] ſubſiderint aquæ, Angli ſepimenta illa animoſe perruperunt, & hoſtibus depulſis ſuperatiſque difficultatibus Prorex ad octavum ab Armacha lapidem (ad Armacham enim rebelles omnia depaſti erant) munimentum poſuit; quod in memoriam J. Norriſii, ſub quo prima militiæ rudimenta fecerat, *Mont-Norris* appellari juſſit, virumque ſtrenuum E. Blanium præfecit, qui rebelles poſtea hac in parte graviter exercuit, & ſimul coërcuit. In reditu, ut aſſiduas velitationes prætermittam, rebelles in anguſtiis prope Carlingfordiam, ubi viam obſeperant, memorabili clade contrivit. Ceciderunt tamen ex Anglis, præter alios, Latwarus Sacræ Theologiæ Doctor, Proregi à ſacris, & Cranmerus ab epiſtolis, viri eruditiſſimi, & ipſi eo nomine longe chariſſimi.

The paſſe of Mogherye.

Difficultates ſuperat.

Mont-Norris munimentum.

Prorege reverſo, & Matthæi Morgani ad Balliſhanonam expeditione in aliud tempus neceſſario prolata, Tir-Oenius & ceteri rebelles cum omnibus copiis ſigna in Henricum Docwraium direxerunt, velitationibus, inſidiis, perjuriis, corruptelis & fraudibus pluſquam Punicis aggreſſi [3] pluribus vulneribus ſauciarunt. Ille tamen ſe fortiter & feliciter periculis explicavit, *O-Cahani* regiunculam duce Arthuro *O-Neal* filio *Turloghi* vaſtavit, *Dunalongum* Tir-Oenio vidente cepit, Joannem *Bowles* ibidem in præſidio locavit; & paullo poſt, O-Donello

Docwraius rebelles exagitat.

1. *Deſunt* & num. &c. inclementia *in Edd. priorib.* 2. Subſiderant *Elz. Sen.* 3. Plures *Edd. priores.*

fremente;

frequente, Lifferum Caſtrum occupavit, ope *Neali Garve* e familia O-Donellorum in partes pellecti, ſpe propoſita Dynaſtiæ Tir-Conelliæ quam jure ſanguinis vendicavit. Quo tempore nave Hiſpanica cum armis & pecuniola ad *Calebeg* appulſa, rebelles, eo ſpe prædæ partiendæ convolantes, partes illas præſidiariis Anglis perſultandas reliquerunt. Prorex ex altera parte, ne quid temporis periret, media hieme *Glinnes*, id eſt, Convalles, in Lagenia ingreſſus, Donellum *Spaniah*, Phelimum *Mac-Pheogh*, & tumultuoſam O-Toolorum gentem in ordinem obſidibus acceptis redegit. In *Fereall* penetravit, & Tirellum inter rebelles rei militaris peritiſſimum è firmamento ſuo (cujuſmodi *Faſtneſſi* illi vocant) paludoſo & vepribus condenſo expulit. In Ultoniam jam per ambages ubique victor pervenerat; ubi primum vaſtavit regiunculam *Ferney*, duobus Evari *Mac-Cowley* filiis occiſis; & deinde Richardo Moriſono emiſſo *Fues* provinciolam. Præſidium in *Breny* curante Olivero Lambardo collocavit; & ad Droghedam deflexus, Turloghum *Mac-Henry* Dynaſtam in *Fues*, Evarum *Mac-Cowley*, *O-Hanlon*, qui ſe hereditarium regium Vexilliferum in Ultonia gloriabatur, & plures ex *Mac-Mahonis* & O-Raliis, ſupplices cum obſidibus ad genua provolutos in fidem recepit.

1600.

Rebelles in Lagenia coërcet Prorex.

In Ultoniam redit.

Rebelles quidam ſe ſubmittunt.

Hæc primo anno geſſit Montjoius Prorex. Nec minus felices progreſſus in Momonia Auſtrali Hiberniæ parte fecit Georgius Carew, Præſes Provinciæ nuper conſtitutus, quæ rebellione ſub titulari Deſmoniæ Comite per omnes partes graſſante periculoſe quaſi ægrotavit. Ille enim primum ita rem egit cum mercenariorum (*Bownies* vocant) è Conachtia ductoribus, quos rebelles evocarant, ut Dermitium O-Conarum aſtu, Redmundum à Burgo ſpe facta aviti patrimonii recuperandi, & Tirellum injecto terrore ne ex inſidiis opprimeretur,

Georgii Carew res geſtæ in Momonia.

1600. meretur, è Provincia emoverit. Deinde diffidentiam, quam ementitis litteris inter eos concitaverat, adeo ſcite aluit, ut ſibi timentes ſe diſtraxerint. Poſtea cum Twomundiæ Comite, qui individuus adhæſit, & fortiſſime operam navavit, in eos movit, titularem Comitem intercepit, quem tamen rebelles poſtea recuperarunt; *Logherum*, *Cromum*, *Glanum*, *Carrigfoilum*, *Corgragum*, *Rathmorum*, *Cahirum*, caſtra, expugnavit, aut deditione cepit. Carolus Willmottus, quem Kerriæ præfecerat, *Lixnawum caſtrum*, *Mainium*, & *Liſtwillum*; Franciſcus Barclaius *Glanemirum* in poteſtatem redegit. Greamus ordinum ductor titularem illum Comitem ita agitavit, ut provincia expulerit, atque plures rebelles undique territi ſupplices ad Reginæ fidem confugerint; & inter eos Florentius *Mac-Carty*, ſimulandi & diſſimulandi artifex egregius; ſed plerique [1] ſimulanter. Compertum enim eſt, plurimos ex iis per Sacerdotes Romam miſſos hujus delicti in Eccleſiam Romanam veniam deprecatos eſſe, ſcilicet quod in rebellione non perſtiterint; & diſpenſationem rogaſſe, ne *rebus ſic ſtantibus* in rebellionem apertam proruerent. Ut verbo dicam: Præſes, qui Provinciam menſe Aprili ingreſſus turbatiſſimam, [2] effecit, ut menſe Decembri eſſet pacatiſſima, & ne unum quidem propugnaculum contra Reginam defenderetur.

Nova de pace cum Hiſpano propoſitio.

Dum hæc in Hibernia geruntur, conſultatur in Anglia de pace cum Hiſpano ineunda, & ex iiſdem quidem argumentorum momentis quæ An. M.D.XCVIII. dixi. Hanc non ita pridem Albertus Archidux cum Infanta uxore ex Hiſpania reverſus & enſe conſecrato à Pont. Rom. donatus propoſuerat. Et quamvis Regina præciſe negaſſet fœdus defenſionis cum Hiſpano ferire, oppida in cautionem data tradere, commercia cum Hollandis & Zelandis interdicere, quæ inprimis efflagitavit, aut

1. Simulate *Edd. priores.* 2. Efficit *Ed. Lond.*

honoris

honoris prærogativa Hiſpano cedere : Ille tamen & Gallus, nuntiis ſubinde internunciis, de pace intercedere non deſtiterunt, & Hiſpano quidem auctore ; qui in pacis ſtudium, tum ex ſedato ingenio, tum ex Conſiliariorum judicio, totus incubuit. Novit enim, patrem, pace cum Gallo confecta, nihil magis in votis habuiſſe, quam etiam cum Angla conficere, ut imperia filio cum pacis conſolidatæ gloria relinqueret. Sibique perſuaſum erat, hanc pacem in rem Religionis Romanæ, ſuum honorem, & etiam utilitatem, ceſſuram. Spes certe Romæ concepta erat, (ut ex diſſertatiuncula ibi his diebus ſcripta vidimus,) fore, ut hinc mitius cum Romanæ Religionis cultoribus in Anglia deinceps ageretur, qui domum reverſi, ſuam Religionem minori cum periculo conſervare & latius diſſeminare poſſent. Hoc non minus ei glorioſum futurum, quam majoribus, Novum Orbem detexiſſe : Minores etiam Principes eum nullo bello diſtentum magis obſervaturos, ita ut deinceps quaſi honorarius Arbiter Orbem temperaret. Utilitas hinc etiam redundaret multiplex ; Ordines enim Hollandiæ & Zelandiæ ad æquas conditiones facilius perducerentur ; pecuniæ, quæ ad copias in Belgio alendas & ad claſſes Indicas quotannis reducendas effunditur, parceretur ; illæ ſecuræ cum opibus redeuntes Hiſpaniam immenſum ditarent ; Angli rem navalem ſenſim negligerent, quum Hiſpanorum ſpoliis non amplius opes augerent, & tandem, dum alta pace fruerentur, à bellicis terra marique ſtudiis deſuefacti, ex improviſo opprimerentur.

1600.

Qua ſpe, ex Conſultatione Romæ habita.

Etſi hæc Reginam non latuere ; illa tamen, quæ, re mature deliberata, pacem & Angliæ & exiſtimationi ſuæ maxime conducere cenſuit, Gallo importune urgenti reliquit ut colloquio tempus locumque diceret, qui menſem Maium & Boloniam maritimam Galliæ urbem dixit,

Tractatus ad * Boloniam.

* Bononiam *Ed. Lond.*

1600. quæ olim Bononia & Geſſoriacum Navale dicta. Quum, ut præviſum fuerat, quæſtionem de potiore loco in ſedendo & incedendo oborituram, nonnulli ſelecti ſunt qui hac de re inquirerent. Hi obſervarunt, in Libro Cæremoniarum Curiæ Romanæ, (quæ, ut habent Canones, *velut Domina, Mater, & Magiſtra*, dat normam aliis,) inter Reges primum locum deberi Regi Galliæ, ſecundum Regi Angliæ, tertium Regi Caſtellæ; Anglos illum locum pacifice tenuiſſe in Generalibus Conciliis, Piſano, Conſtantienſi, Senenſi, & etiam Baſilienſi, (etſi in hoc Caſtellæ Legatus minus modeſte ſe opponeret.) Præterea Caſtellæ regnum, cujus titulum Hiſpanus ceteris præponit titulis, præ Angliæ regno eſſe nuperum. Comites enim [1] olim habuiſſe, nec Reges ante annum Salutis M.XVII. illoſque non unctos. Regem Angliæ inter Reges quos dixerunt *SuperIlluſtres*, tertium habitum fuiſſe, & Hiſpanum quartum. Julium item III. P. R. pro Henrico VII. Angliæ contra Ferdinandum Caſtellæ pronunciaſſe. Reginam Angliæ & naſcendi & regnandi tempore Hiſpano eſſe priorem (hoc enim argumento in Concilio Baſilienſi contra Henricum Sextum Angliæ uſi erant Hiſpani.) Denique Juriſprudentes uno ore pronunciaſſe, *Præcedentia, cujus origo hominum memoriam exceſſerit,* [2] *jure conſtituti loco habenda eſt.*

De Præcedentia Angliæ & Hiſp. obſervationes.

Ex Volaterrano.

Obſervarunt etiam, quum in prima Concilii Tridentini ſeſſione ſub Paulo III. unus idemque eſſet Legatus Caroli V. Imperatoris, qui etiam Rex Hiſpaniæ, & ille locum primum ante Galli Legatum ex jure Imperatoris occuparet; Hiſpanos hunc locum non ſolum ex jure Imperatoris, ſed etiam Regis Hiſpaniæ jam inde vendicaſſe, quia nemo contradixit. Quo tempore Angli prudentiam in Galli Legato deſiderarunt, quod non contradixerit, ac contra Imperatoris Legatum conteſtationem

1. *Deeſt* olim *in Edd. priorib.* 2. Juris *Edd. Belg.*

publicam

publicam fecerit, ſi præ ſe tuliſſet, pro Hiſpano etiam 1600.
locum ante Gallum cœpiſſe. Adnotarunt etiam, Hiſpanos, ex Hiſpanici imperii longe lateque diffuſi amplitudine, potentia ſupra ceteros univerſi Orbis Reges, magnis in Eccleſiam Romanam meritis, & loco extra ordinem in Concilio Tridentino ſub Pio IV. ante Gallum occupato, ſuperiorem locum ſibi vendicaſſe. Sed hæc omittamus.

Ad diem condictum Boloniæ convenerunt pro Regina Henricus Nevillus Ordinarius in Gallia Legatus, Joannes Herbertus modo factus alter è Secretariis, Robertus Bealus ab Epiſtolis Concilii Septentrionalis, & Thomas Edmundius Reginæ ab Epiſtolis Gallicis. Pro Hiſpano, Balthaſar Dominus de Zuniga, & Fonſeca à ſanctiori conſilio & in Belgio Legatus, atque Ferdinandus Carillus Licentiatus ex ordine S. Jacobi & Regius in Caſtella conſiliarius. Pro Archiduce, Joannes Richardotus Dominus de Barly, primarius in Concilio Præſes, & Lodovicus [1] Verrekeinus, Audientiarius primariuſque Secretarius. Angli in documentis habuerunt, ut ante omnia regni Angliæ, Reginæque honorem, ſalutem, & publicam utilitatem curarent. Quod ad honorem, ut locum honoratiorem Hiſpano nullatenus cederent, quinimo directe, modeſte tamen, ex argumentis, quæ dixi, vendicarent. Si Hiſpani non cederent, ne Angli glorioſa utilibus præponere viderentur, aliqua media & æquabilis ratio proponeretur. Cujuſmodi hæc ſit: Alterna præcedendi viciſſitudo, primordiumque ſortibus permitteretur. Quod ad ſalutem & publicam utilitatem, providerent, ut nihil fraudi Anglorum aut Provinciarum Unitarum in commerciis fieret. Ut Angli in Indiis libere negotiarentur, quandoquidem in Tractatu M.D.XLI. in omnibus Caroli V. Dominiis hoc conceſſum: ſaltem in iis locis

Delegati de pace.

Anglorum documenta.

1. Verrekeimus *Edd. priores.*

quibus

1600. quæ olim Bononia & Geſſoriacum Navale dicta. Quum prævisum fuerat, quæſtionem de potiore loco in ſedendo & incedendo oborituram, nonnulli ſelecti ſunt qui hac de re inquirerent. Hi obſervarunt, in Libro *Cæremoniarum Curiæ Romanæ*, (quæ, ut habent Canones, *velut Domina, Mater, & Magiſtra*, dat normam aliis,) inter Reges primum locum deberi Regi Galliæ, ſecundum Regi Angliæ, tertium Regi Caſtellæ; Anglos illum locum pacifice tenuiſſe in Generalibus Conciliis, Piſano, Conſtantienſi, Senenſi, & etiam Baſilienſi, (etſi in hoc Caſtellæ Legatus minus modeſte ſe opponeret.) Præterea Caſtellæ regnum, cujus titulum Hiſpanus ceteris præponit titulis, præ Angliæ regno eſſe nuperum. Comites enim [1] olim habuiſſe, nec Reges ante annum Salutis M.XVII. illoſque non unctos. Regem Angliæ inter Reges quos dixerunt *Superilluſtres*, tertium habitum fuiſſe, & Hiſpanum quartum. Julium item III. P. R. pro Henrico VII. Angliæ contra Ferdinandum Caſtellæ pronunciaſſe. Reginam Angliæ & naſcendi & regnandi tempore Hiſpano eſſe priorem (hoc enim argumento in Concilio Baſilienſi contra Henricum Sextum Angliæ uſi erant Hiſpani.) Denique Juriſprudentes uno ore pronunciaſſe, *Præcedentia, cujus origo hominum memoriam exceſſerit*, [2] *jure conſtituti loco habenda eſt.*

De Præcedentia Angliæ & Hiſp. obſervationes.

Ex Volaterrano.

Obſervarunt etiam, quum in prima Concilii Tridentini ſeſſione ſub Paulo III. unus idemque eſſet Legatus Caroli V. Imperatoris, qui etiam Rex Hiſpaniæ, & ille locum primum ante Galli Legatum ex jure Imperatoris occuparet; Hiſpanos hunc locum non ſolum ex jure Imperatoris, ſed etiam Regis Hiſpaniæ jam inde vendicaſſe, quia nemo contradixit. Quo tempore Angli prudentiam in Galli Legato deſiderarunt, quod non contradixerit, ac contra Imperatoris Legatum conteſtationem

1. *Deeſt* olim *in Edd. priorib.* 2. Juris *Edd. Belg.*

publicam

publicam fecerit, ſi præ ſe tuliſſet, pro Hiſpano etiam locum ante Gallum cepiſſe. Adnotarunt etiam, Hiſpanos, ex Hiſpanici imperii longe lateque diffuſi amplitudine, potentia ſupra ceteros univerſi Orbis Reges, magnis in Eccleſiam Romanam meritis, & loco extra ordinem in Concilio Tridentino ſub Pio IV. ante Gallum occupato, ſuperiorem locum ſibi vendicaſſe. Sed hæc omittamus. 1600.

Ad diem condictum Boloniæ convenerunt pro Regina Henricus Nevillus Ordinarius in Gallia Legatus, Joannes Herbertus modo factus alter è Secretariis, Robertus Bealus ab Epiſtolis Concilii Septentrionalis, & Thomas Edmundius Reginæ ab Epiſtolis Gallicis. Pro Hiſpano, Balthaſar Dominus de Zuniga, & Fonſeca à ſanctiori conſilio & in Belgio Legatus, atque Ferdinandus Carillus Licentiatus ex ordine S. Jacobi & Regius in Caſtella conſiliarius. Pro Archiduce, Joannes Richardotus Dominus de Barly, primarius in Concilio Præſes, & Lodovicus [1] Verrekeinus, Audientiarius primariuſque Secretarius. Angli in documentis habuerunt, ut ante omnia regni Angliæ, Reginæque honorem, ſalutem, & publicam utilitatem curarent. Quod ad honorem, ut locum honoratiorem Hiſpano nullatenus cederent, quinimo directe, modeſte tamen, ex argumentis, quæ dixi, vendicarent. Si Hiſpani non cederent, ne Angli glorioſa utilibus præponere viderentur, aliqua media & æquabilis ratio proponeretur. Cujuſmodi hæc ſit: Alterna præcedendi viciſſitudo, primordiumque ſortibus permitteretur. Quod ad ſalutem & publicam utilitatem, providerent, ut nihil fraudi Anglorum aut Provinciarum Unitarum in commerciis fieret. Ut Angli in Indiis libere negotiarentur, quandoquidem in Tractatu M.D.XLI. in omnibus Caroli V. Dominiis hoc conceſſum: ſaltem in iis locis

Delegati de pace.

Anglorum documenta.

1. Verrekeimus *Edd. priores.*

quibus

1600. Nec eſſe cur Hiſpanus illam æqualem non agnoſceret, quæ perinde abſoluta eſt ac ille Monarcha, & æqualia ſi non ampliora Majeſtatis jura in ſuis Regnis habet. Mittitur poſtea in Angliam Edmundius, & remittitur cum hujuſmodi ad quæſita inſtructionibus: Si aliqua æqualitatis ratio in honoris prærogativa proponatur quæ Reginæ non ſit fraudi, admitteretur. nec ſtricte primis documentis inſiſtendum. Pax perpetua iniretur intra contrahentes & ſucceſſores; Nulla induciarum haberetur mentio. Commercia ad ſtatum quo fuerant Anno M.D.LXVII. revocarentur. Stipulatio fieret ne naves detinerentur ſine aſſenſu Principis, ad cujus ſubditos ſpectant. Nullo modo conſentirent, bellicas Hiſpanorum naves in Reginæ portus admittendas. Si commercia in Indiis ſemel negarentur, rem ſilentio præterirent, perinde ac Galli in Tractatu Cameracenſi & Vervinenſi fecerant. Ita quilibet ſuo periculo fortunam tentarent; reſtrictionem enim admittendo, Anglorum in illas partes navigationi jam inde præjudicaretur. De rebellibus item & profugis, uti Galli in Tractatu Bleſenſi & Vervinenſi, reticerent. Promitterent, præſidiarios Anglos in oppidis Cautionariis oppida tantum defenſuros, nec contra Hiſpanos militaturos: & edocerent, Reginam certo ſtatuiſſe, ut ſubditi in Archiducis Provinciis negotiarentur, Angli tamen Ordinibus militantes non revocarentur. Denique ut pro loco & tempore ſe rebus aptarent, quæ potiora conſilia dant hominibus, quam homines rebus; diligenter obſervando quo hic Tractatus tendat, An ut Reginæ animum ſuſpenſum tenerent, dum illi Angliam vel Hiberniam invaderent, aut, ut Unitas Provincias in ſuas partes pellicerent atque ab Anglis diſſociarent.

Nova ad Anglos documenta.

Interea Archidux, magna belli mole in Flandria diſtentiſſimus, querebatur, auxiliares & ſubſidia ad Ordines à Regina ſubmitti, & naves in Indias adornari. Delegati

gati hæc ſibi incomperta eſſe reſponderunt. Sin vera: 1600.
non eſſe innovationem, ſed continuationem eorum quæ ante colloquium cœpta fuerunt, & toleranda donec pax conficiatur: Hiſpanum recriminantes, quod rebellibus in Hibernia bellicum apparatum & pecuniam palam ſuppeditaſſet, ab illis obſides accepiſſet, & auxiliares promiſiſſet: atque hoc conſtare ex ſuis ipſius litteris quæ à rebellibus ad gratiam apud Reginam aucupandam tranſmiſſæ, & jam producendæ. Præterea illam plane eſſe innovationem, quum pater Hiſpani non niſi tecte ſuppetias tulerit. Dum de hiſce diſceptatur, & ſuſpiciones utrinque increbreſcunt, pacem proponi, aliud inſidioſe cogitari, Hiſpani denunciarunt, Regem Catholicum neutiquam prioritatem conceſſurum, aut æqualitatem admiſſurum, atque ſuis peremptorie imperaſſe ut Tractatus diſſolveretur. Hoc & Archiducis & Reginæ Delegatos admodum ſollicitos habuit. Et ne Tractatus diſſolveretur, Angli propoſuerunt, ut, prioritatis quæſtione omiſſa, per ſcripta & mutua cum Archiducis Delegatis colloquia, ſicuti hactenus, vel per internuncios utrinque tranſmittendos, tractarent. Illi propoſuerunt, ut, ſi conventus in Hollandia haberetur, & Ordines [1] una ad tractandum convenerint, ſe tractaturos: ſin Ordines tractare recuſarint, ſe cum Anglis ſeorſim tractaturos in aliquo Hollandiæ loco qui non ſit in Reginæ poteſtate. Sin convenire placuerit in aliquo Hiſpanicæ ditionis loco, ea civilitatis ratione qua quiſque in ſuo tecto hoſpitem dignatur, Anglos accepturos. Propoſitum etiam fuit ut Tractatus in ſexaginta dies prorogaretur, ut intermiſſus potius quam diſſolutus videretur, & interea ſuam quiſque operam navaret ad pacem perſuadendam, ſi Principibus utrinque ita viſum fuerit. Verum hæc

Tractatus diſſolvitur.

1. Una in Hollandia convenerint: ſe tractaturos in aliquo Hollandiæ loco &c. *in Edd. priorib.*

1600. fruſtra. Illico enim & Hiſpani & Archiducis Delegati, exſpectato feſtinantius domum revolarunt; & Regina ſuos protinus revocavit, prius proteſtata, ſe ex ſincero animo nihil omiſiſſe quod in Christiana & abſoluta Principe requiri poſſit, ad pacem veram, firmam & perpetuam, ut Chriſtiano ſanguini parceretur, conſolidandam: quandoquidem, ut ſummatim dicam, etſi plures erant malæ fidei ſuſpiciones, ſuppetiis nuper ad rebelles in Hiberniam miſſis, ad hunc tamen Tractatum ſuos eorum rogatu miſerit; quumque nihil videret cur prioritatem Hiſpano concederet, (quod ante Tractatum per Edmundium intimarat,) tantum æqualitatem poſtulaverit; &, ſi hæc non admitteretur, tractare per ſcripta & internuncios non recuſaverit. Ita Tractatus Bolonienſis poſt tres menſes exſpiravit.

Prœlium ad Newport. Ordines interea, rebus ſupra vota fluentibus, tantum à pacis ſtudio aberant, ut hoc eodem tempore de maritima Flandriæ ora in poteſtatem redigenda cogitarent, ad navigationis ſecuritatem præſtandam, Spinolæ enim triremes mare infeſtarunt, & Oſtendam liberandam, quam unicam in Flandria habuerunt caſtellis circumpoſitis in anguſtias redactam. Hæc facilia videbantur, hoſtium rebus jam afflictis, veteranorum aliis deficientibus, aliis tumultuantibus. Conſcriptis itaque ſub Mauritii Naſſovii auſpiciis XIIII M. peditum, & III M. equitum, quibus primarii ex Ordinibus ſe adjunxerunt, ſtatuerunt exſcenſionem ad Oſtendam facere. Sed vento adverſante, ad Philippinam in Flandria, per carinas pandas æſtu adlabente in terram adactas, æſtu relabente exercitum expoſuerunt; terroremque adeo late ſparſerunt, ut præſidiarii per viam, etiam qui in munitiſſimo illo Sancti Alberti prope Oſtendam, ſe ubique dediderint: & die octavo æſtuario tranſvadato nullo negotio ad Neoportum pervenerint. Poſtridie caſtra metari cogitantibus

bus ecce præter exſpectationem, Archiducem cum VII M. 1600.
ped. & M. equit. advolare, nunciatur. Ille enim itinere nocte dieque continuato inſequens, pleraque ex propugnaculis recepit, DCCC. Scotos ad viam oppoſitos obruivit, & laſſatum militem fere uſque Neoportum rapuit. Hîc viſum Hiſpanis conſiſtere, S. Alberti popugnaculum recuperare, & aggere ducto Naſſovios commeatu prohibere: Sed Archidux ex felici ſucceſſu animoſior hoc conſilium ut bellicoſis indignum repudiavit. Ex altera parte Mauritius non ſegnior ad bellum ſe [1] accinxit, ſummumque imperium *Franc. Vero* (ut *Verus* in ſuis commentariis prodidit) commiſit, Lodovicum Naſſovium cum equeſtribus turmis comitari juſſit, placuitque omnibus, æſtuarium, recedente æſtu, quamprimum retranſvadare. *Verus* ſuos veſtes exuere prohibuit, dictitans, aut veſtibus non opus futurum, aut melioribus brevi potituros; locum ad pugnam percommodum elegit, ubi anguſtior inter mare & tumulos arenarios jacet planities, & [2] tumuli qua mare ſpectant, quam qua terram, celſiores ſurgunt. In tumulorum editiſſimo Anglos, qui non plures quam M.D. & II M.D. Friſones *Muſquetarios* diſpoſuit. Mauritius jam propoſuit, an in hoſtem moverent, aut ibi exſpectarent. ut moverent, plerique cenſuerunt; ita terrerent, & victoriam reportarent: exſpectando animum ſuis minuerent, hoſtibus augerent, qui & opportunitatem haberent muniendi ad intercludendum & reditum & rem annonariam. *Verus* contra, hoſtilem exercitum tumultuario conſcriptum non ita à commeatu eſſe inſtructum, ut in regione bello attrita diu hærere poſſet. Difficultatem rei annonariæ minime

1. Accinxit, ac peditatum, qui in primo agmine, Franc. Vero (ut V. in ſ. c. prodidit) commiſit, Lodovicum Naſſovium equeſtribus turmis præfecit, placuitque omnibus, *Edd. priores.* 2. Tumuli tam qua *Edd. priores.*

1600. timendam. in navibus ſatis eſſe, & mare apertum, ad omnia neceſſaria ſubvehenda. Hoſtes ex longo itinere tumulos acclives aſcendendo, & per declives deſcendendo æſtivi ſolis ardore defatigatos à recentibus exceptos facile poſſe debellari. Hoc conſilium Mauritius amplexus, eo loci conſtitit, quaſdam cohortes ad eruptionem præſidiariorum ex Neoportu prohibendam conſtituit, navigia longius ſubduci imperavit, ut ſuis nulla niſi ex deſperatione ſpes ſupereſſet, acieſque inſtruxit, ſex tormentis majoribus ante primam diſpoſitis. Archidux jam prope Neoportum, dum unam & alteram horam deliberat an ibi ſubſiſtendum, ad laſſatos milites refocillandum, & ſubſequentes turmas exſpectandum, & loci & temporis opportunitatem amiſit. Signa tamen ſpe plenus alacriter promovit: quumque videret, æſtu adlabente ſpatium anguſtius & minus commodum equitibus relictum; [1] ut ad tumulos arenarios neceſſario deflectendum, captivum ad terrorem incutiendum conſulto emiſit, qui Scotos ad internecionem contrucidatos & prœlium [2] mox conſerendum exclamavit. ſed ei os ſtatim occluſum. Jam in appropinquantem *Verus* equites emitti monuit; at qui præfuit, forſan *Veri* gloriæ invidus, hoc noluit. Majoribus igitur ex *Veri* juſſu tormentis diſploſis, illi diſſipati ad tumulos ſe contulerunt, pedites præſtolati, qui per littus pergentes majoribus tormentis in Naſſovios ſubinde intonuerunt. Illi etiam, æſtu magis magiſque increſcente, & è navibus impetiti, ordinibus ob loci anguſtias denſatis & conturbatis, tumulos anheli conſcenderunt. *Verus* in ſummitate anterioris tumuli locum capeſſit, ut hoſtium motus ex alto obſervaret; in quem quingenti Hiſpani ſine ſignis & ordine aſcendentes à Friſonibus Muſquetariis glandium imbre rejecti. Confuſiſſima deinde pugna exoritur, pro-

1. Et *pro* ut *in Edd. Belg.* 2. Non *pro* mox *in Edd. Belg.*

inæqua-

inæqualitate loci, hic in tumulos ſurgentis, illic in con- 1600.
valles ſubſidentis, in quibus ita labilis eſt arena, ut nuſquam firmo pede conſiſtatur. Pugna tamen per agmina utrinque ſubmiſſa fortiſſime ſuſtinetur, dum aſcenditur & deſcenditur, & modo hi modo illi pro loci opportunitate vincunt aut vincuntur. *Verus*, ducis & ſimul militis munere ſtrenue fungens, vulneratur, primum in tibia, & paullo poſt in femore; diſſimulavit tamen, ne ſuis animum minueret; & qui cum illo, ita oppreſſi, ut ad tormenta juxta littus deſcenderent. Ipſi invito ſequenti equus ſuffoſſus cecidit, & incubuit donec Robertus Drurius & Higamus ſublevarent, & in Drurii equum imponerent; peroppotune quidem, quum hoſtis inſtaret. Ad tormenta Horatium fratrem invenit cum ccc. peditibus; imperavit tormenta in hoſtes jam in anguſto littore confertiſſimos explodi, ſuam equitum alam, & illam Baeli, impreſſionem facere, & Horatium cum peditibus præſto adeſſe: qui hoſtes ad tumulos conjecerunt; unde tempeſtate glandium repulſi. Simulque ac Mauritium mediam aciem promovere [1] viderunt, primum equites, deinde pedites, effuſe fugerunt, & inter fugiendum magna clade profligati. Ceciderunt [2] IIII M. plus minus. Capti, Admirallus Aragoniæ, [3] Vigliare, Sapena, & quam plures nobilioris notæ. Vulnerati, ipſe Archidux, qui fortiſſimi Imperatoris nihil omiſit, Dux Aumalius, Alphonſus, [4] Davalas Campi Magiſter, Rodericus Laſſo, & alii. Sed hæc dixerint Belgicæ hiſtoriæ Scriptores. Mihi ſufficiat hæc ſummatim è *Veri* Commentario annotaſſe, qui, quanta fuerit Anglorum hoc prœlio virtus, hinc æſtimandum relinquit, quod ex mille quingentis Anglis, qui adfuerunt, octingenti cæſi & vulnerati, octo ordinum ductores deſiderati,

1. Viderent *Ed. Lond.* 2. IX M. *Edd. priores.* 3. Vigilare *Edd. priores.* 4. Davales *Edd. priores.*

&

1600. & reliqui omnes præter duos ſauciati. *Cladem acceptam Hiſpani hoſtium numero,* [1] *qui altera parte major, ſ fatigationi ex longo itinere, Soli adverſo, vento arenam in ora volventi, loci iniquitati, ſuorum equitum ignaviæ, atque Anglorum virtuti retulerunt.* E quibus Franciſcus, & Horatius *Veri* fratres, Edwardus Cecilius, Caliſthenes Brokus, Thomas Knollius, Daniel Verus, Joannes Ogleus, Yaxleius, Fairfaxus, Valvaſorus, Holcroftus, Deniſius, Tirellus, [2] Hamondus, Suttonus, Foſterus, Garnettus, Morganus, Scottus, eximias fortitudinis laudes promeruerunt.

Tractatus de Repriſaliis inter Anglos & Gallos. Inter Anglos & Gallos toto hoc anno, ut etiam ſuperiore, querimoniæ auditæ de Repriſaliis, quæ piratica inſolentia utrinque nimis increbuerunt. Convenit autem, curante Thumerio Boiſiſſio Legato Gallico, viro graviſſimo, Ut *Subditi utriuſque Principis in mutuam protectionem ſuſciperentur, ad licitam mercaturam exercendam ſecundum Tractatus priores. Ut ſufficiens cautio capiatur pro navibus mercatorum & aliorum, cum bellico apparatu & repriſaliis, emittendis, in duplice navis apparatus & victualium valore, & de aliis ſine repriſaliis in ſimplice. Si nullam vel minus idoneam Admiralliæ officiarii acceperint cautionem, de injuriis illatis eorum culpa interveniente, ipſi reſpondere teneantur. Ut impenſis mercatorum proſpiciatur; cauſſæ intra ſex menſes expediantur, ſi commode fieri poſſit. Sententiæ in actionibus civiliter intentatis latæ in ſingulos delinquentes in poſterum in ſolidum fiant; fidejuſſores pœnam ſtipulatam præſtabunt tantummodo quoad injuriam paſſo ſatisfiat. Si juſtitia poſt tres menſes à requiſitione Principis vel oratoris Reſidentis denegata fuerit, repriſalia hinc inde concedi poſſunt. Ut nulla Armorum aut bellicarum munitionum genera in Hiſpani dominia transportentur.*

1. Qua *pro* qui *in Edd. priorib.* 2. Hamnndus *Edd. priores.*

tentur. Si quid à Regiis miniſtris captum vel detentum fuerit pretio non ſoluto, ab utraque majeſtate cura adhibeatur ut opportuno tempore debita ſolutio præſtetur. Ut naves immediato Principis mandato emiſſæ, vel à Regiæ claſſis præfectis in uſus publicos adſcitæ, pro Regiis navibus habeantur; ſi quid ab iiſdem commiſſum fuerit, ut juſtitia adminiſtretur, ipſi Principes [1] *proſpicient. Repriſaliæ non modo ſuſpendendæ, ſed penitus utrinque revocandæ. Edicta publica fiant, ne bonorum captorum diviſio, tranſportatio, ſeu alienatio,* [2] *permittatur; neve quis eadem emat, receptet, ſeu celet, niſi juſtæ & legitimæ prædæ judicis Admiralitatis decreto definiantur. Ne Piratæ in civitates, portus, aut villas recipiantur, ſeu ſtationem facere permittantur, ſed detineantur, & judicio ſiſtantur; idque ſub pœnis jure debitis, cum reparatione damnorum & intereſſe. Hæc tamen non aliter accipiantur, quam ſub hac proteſtatione, ut ſi quid fœderibus antiquis repugnans fuerit, nihil inde derogatum intelligatur; ſed ut pro horum temporum injuria piraticis deprædationibus melius provideri poſſit, hoc ipſum per viam proviſionis ſolummodo accipiatur, donec amplior tractatus pro utriuſque Principis commoditate de ſingulis haberi poſſit.* Lites præterea intendebantur, De novis teloniis Anglorum mercibus contra Bleſenſem tractat. impoſitis, De pannis Anglicis vitioſe & dolo malo confectis, non ſine gentis noſtræ infamia. Pecuniam etiam Gallo mutuo jam antea datam Regina molliter exegit: & pars ejus aliqua renumerata, nulla non gratiſſimi animi ampliſſimis verbis facta ſignificatione. 1600.

Nec in Gallia ſolum, ſed etiam in Dania de commerciis & Anglorum in littore Norwagico & juxta Iſlandiam piſcationibus, hoc initio recruduit contentio. Danus ſuperiore anno, his piſcationibus & Anglorum pira- Lites etiam cum Danis de commerciis.

1. Proſpiciant *Edd. priores.* 2. Permittantur *Edd. priores.*

tica

1600. tica offenſior, armata claſſe Hullenſes Anglos prope Norwegiam piſcantes ex inopinato oppreſſit, naves atque bona ad magnum valorem confiſcavit, & nautas tormentorum cruciatibus ſubjecit, cauſſatus hanc pœnam ſimul cum interdicto piſcationis in Anglia ante biennium fuiſſe denunciatam, eo quod licentiam non petiiſſent. Hæc ſine prævia cauſſæ cognitione. Regina ut hoſtilia, nulla vel perſonæ ſuæ, vel ſubditorum vel antiquorum fœderum habita ratione, indigne tulit. Pro Hullenſebus per litteras, per Steph. Leiſierum & Tho. [1] Ferrerium, ſedulo interpellavit: agnovit, Whitfeldium & Bernicum verbis prætendiſſe, piſcationem Iſlandicam & Norwegicam contra fœdera ab Anglis exerceri, at probationem præſtitiſſe nullam. Docuit, multa privilegia ab antiquis Norwegiæ Regibus ante conjunctionem Daniæ & Norwegiæ Anglis ad piſcandum conceſſa fuiſſe, eademque à Joanne & Chriſtierno Daniæ Regibus confirmata. Quod ex Tractatu cum Joanne aſſeritur, *licentiam pro piſcatione de ſeptennio in ſeptennium petendam*: reſpondit, plurimos annos fuiſſe omiſſam; omiſſionis culpam non ab Anglis, ſed à Danis fuiſſe. Uſque ad expulſionem enim Chriſtierni Regis Anno M.D.XXI. ſeptennalem illam licentiam petitàm fuiſſe: ab eo tempore nec Fredericum Regis abavum, nec Chriſtianum avum, neque Fredericum patrem exegiſſe: qui anno M.D.LXXXV. ſcriptis litteris promiſit, ſi Angli ab injuriis abſtinuerint, gaviſuros libertate qua hactenus gaviſi ſunt; abſque ulla petitione licentiæ. Iniquius igitur cum Anglis nunc agi, quandoquidem nuper non recuſarunt licentiam de ſeptennio in ſeptennium, ut olim, deinceps petere; & celeberrimi Juriſconſulti judicarunt, mare ex jure gentium liberum eſſe & commune, nec ab ullo Principe interdici poſſe. Quid multis? Regina

1. Ferrarium *in Edd. priorib. Et ſic infra.*

poſtu-

poſtulavit, rem univerſam vel ad Delegatos utrinque, 1600.
vel ad Electorem Brandenburgenſem Regis ſocerum, Ducem Mekelburgenſem, Henricum Julium Ducem Brunſwicenſem Regis ſororium, tanquam arbitros, referri. Abnuit ille. Quum autem nec Stephanus Leiſierus nec Ferrerius in Daniam, nec Nich. Cragius vir litteratiſſimus, in Angliam miſſi, rem componere potuiſſent; convenit tandem ut Delegati utrinque Embdam mitterentur. Eo Regina Richardum Bancroftum Epiſcopum Londinenſem, Chriſtophorum Perkinſum, & J. Swalum LL.D. mandavit,qui cum Dani Delegatis tractarent. Verum, quum hi ad ſtatum diem ſive ex vento adverſante ſive alio neſcio quo errore non adveniſſent; Dani, prætexentes, tempus delegatæ auctoritatis exiſſe, domum properarunt: vel, ut aliqui putarunt, quod res annonaria [1] deficeret. Dani enim certam annonam, non diurnam pecuniam, ut ceteri Principes, Legatis ſuis præſtant. Nec audire voluerunt, ut auctoritatem à Rege ampliandam expeterent. Hinc Angli quiritabantur, quaſi Dani nihil aliud ſibi proponerent quam ut res eodem quo tunc ſtatu permanerent, ſcilicet ut ab Anglis nova vectigalia indies in Freto Oreſundo exigerent, eorum naves & merces ex novis decretis confiſcarent, piſcatione in aperto Oceano Septentrionali & navigatione per illud mare in Moſcoviam prohiberent.

Regina nihilominus his diebus, ad navigationis incrementum, Regni honorem, & commercii amplificationem, Collegium ſive Conſociationem Mercatorum Indiæ Orientalis cum amplis privilegiis inſtituit, qui cum tribus navibus eo miſerunt Jacobum Lancaſterum, illum quem diximus anno M.D.XCIIII. Fernambuckam in Braſilia fortiter expugnaſſe. Et auſpicato in rem ſuam ſingulis jam inde annis claſſem eo miſerunt, & in Anglici

Indiæ Orientalis Societas inſtituta.

1. Defecerat *Edd. priores.*

1600. nominis honorem Emporia in [1] Zurat, Magni Mogoli imperio, in Moſſolupatan, Bantan, Patane, Siam, Sagad, Macaſſar, etiam in Japana locarunt, & felicibus victoriis hoſtilem inſolentiam atque Turcicam perfidiam contuderunt. An in Reipub. bonum, tanta vi argenti ex Anglia exportata, & tanta multitudine nautarum quotannis abſumpta, prudentes dixerint, & poſteri viderint.

Dum ſubditorum opulentiæ Regina ſic conſulere ſtuduit, Clemens VIII. Pontifex Romanus, gnarus, illam jam ætate eſſe devexiore, ut Romanæ religioni in Anglia conſuleret, duo *Brevia*, quæ vocant, in Angliam miſit, alterum ad Clerum Pontificium, alterum ad populum; quibus monuit, ut *neminem, quantumcunque ſanguinis propinquitate niteretur, in Regem poſt Reginæ mortem admitterent, niſi ejuſmodi eſſet qui fidem Catholicam Romanam non modo toleraret, ſed omni ope & ſtudio promoveret, & more majorum jurejurando ſe id præſtiturum ſuſciperet.* Verum hæc *Brevia* ut occulte miſſa, ita occultata & admodum paucis communicata. Horrendum tamen illud fulminalis proditionis monſtrum hinc conceptum. Ut hæc ad Jacobum hereditario Angliæ regno excludendum Roma emiſſa, ita & ferrum eodem tempore in Scotia ad eundem è medio tollendum à Rethuenis fratribus apparatum; qui, ob ſupplicium de patre Gouriæ Comite, Rege nondum adulto, ex legibus ſumptum, in ultionem inflammati, Regem optime meritum in ipſorum ædes inſidioſe illectum ſceleratiſſime ad cædem deſtinarunt; & patraſſent, niſi Deus Regum cuſtos, Regis ipſius colluctantis fortitudine, J. Ramſæi, Thomæque Areskini opera, nefarium conſilium in auctorum capita vertiſſet. Illi enim inter ſcelus patrandum contrucidati, ſceleris comites, capite luerunt; & Ordinum Regni conventu bona publicata, domus ſolo

Brevia Rom. P. in Scotorum Regem ſubmiſſa.

Inſidiæ filiorum Comitis Gouriæ in eum.

1. *Vel* Surat, *non, ut in Edd. priorib.* Lurat.

æquata,

æquata, membra disjecta, per urbes contis defixa; & 1600.
quotquot cognomine *Rethueni*, gentilitium nomen deponere ad memoriam damnandam juſſi. Mihi tamen damnatis ſummatim retuliſſe, non ſit fraudi, quum alii pleniſſime ſcriptis prodiderint.

Graves per Angliam ſub hoc tempus invaluerunt querelæ de rei annonariæ difficultate, quæ ſane ingraveſcebat ex pluvioſa cœli conſtitutione ſub finem ſuperioris anni, verno frigore hoc anno, & privata quorundam avaritia, qui, licentia impetrata, copioſius in exteras regiones quæſtuoſiſſime exportabant. Vulgus, qui non minus opinione quam certa ratione movetur, Buckhurſtum Theſaurarium, quaſi licentiam conceſſerat, convitiis & famoſis libellis perſtrinxit. Hæc quum is non negligeret, ſed ad Reginam confugeret, quæ innocentiam ejus edicto teſtata, culpa in propolas frumentarios tranſlata, convitiatores apprehendi & puniri juſſit. Illi tamen (ea eſt querula vulgi malignitas) gravius conquerebantur, eumque, quaſi agnoſceret, tacitis convitiis aſperius verberarunt. Querelæ de annonæ difficultate.

Sextum jam menſem in cuſtodia apud Sigilli Cuſtodem Eſſexius detentus, ex innata bonitate, hac gravi afflictione, & ſalutari amicorum, inprimis Henr. Howardi, conſilio, ſerio reſipiſcere cœpit; prava ſuggerentes, nominatim Gillium Mericum, & Cuffum, quos pro turbulentis habuit, longe amandare ſtatuit. Eamque pietatem, patientiam, modeſtiam & humilitatem induit, ut amici optime ſperarent, omnes laudibus efferrent, adverſarii inviderent; Regina vero, demiſſiſſimis ejus litteris lenita, in privatas ipſius ædes abire permitteret, ubi liberiori cuſtodia ſub Richardo Barcleio frueretur. Subinde proteſtata, ſe nihil in illum facturum ad *ſubverſionem*, ſed tantum ad *emendationem*. Eſſexius reſipiſcit. Ad ſuas ædes mittitur.

Veruntamen quum vulgus hominum ejus innocentiam

 ubique

1600. ubique per circulos celebraret, viſum eſt Reginæ, ad omnem nimiæ ſeveritatis, injuſtitiæ, & præjudicii ſuſpicionem à ſe & Conſiliariis depellendam, ut in ædibus Cuſtodis Sigilli (non in *Camera Stellata*, ne gravius mulctaretur) cauſſa de plano audiretur coram Regiis Conſiliariis, quatuor Comitibus, duobus Baronibus, quatuor Judicibus, & quaſi cenſoria quædam animadverſio ſine ulla tamen perfidiæ nota adhiberetur. Hæc capita erant criminationis: Quod contra ac in mandatis acceperat, Southamptonium equitibus præfecerit; Equeſtrem dignitatem pluribus contulerit; copias in Momoniam, Tir-Oenio Archirebelle neglecto, traxerit; cum eodem colloquium nec ex Reginæ majeſtate nec Proregis dignitate habuerit; &, quod ſuſpectius, quia clandeſtinum. Hæc ſingula Juriſconſulti Regii altius exaggerarunt, prolatis ex ejus litteris ante biennium ſcriptis (quarum exemplaria à ſuis nuper diſperſa) hujuſmodi abruptis ſententiolis: *Nulla tempeſtas furentior quam impotentis Principis indignatio. Reginæ cor induratum eſt. Annon poſſint Principes errare? Annon poſſint ſuos injuriis afficere? Quid debeo ut ſubditus, quid ut Comes Mareſcallus Angliæ, haud ignoro.* Ex his arguerunt, quaſi ille Reginam pro impotente & rationis experte habuerit, Pharaoni indurato comparaverit, illa veritatem & juſtitiam non amplius curaverit, & quaſi ille præter fidelitatem, non obedientiam, non gratitudinem debuerit, [1] & Principem ſubdito in mutuis officiis adæquaverit. Quædam etiam minutiora ex libro de Richardi II. abdicatione illi inſcripto objecerunt.

Coram Delegatis ſiſtitur.

Ille, altero genu ad menſam advolutus, gratias egit divino numini, ob omnia beneficia, & mitiſſimæ Principi, quæ cauſſam publice in Camera Stellata audiri noluerit, illum autem calicem tranſire (ſic enim locutus eſt)

Ille reſpondet.

1. *Deſunt* & Pr. &c. adæquaverit *in Edd. priorib.*

eſt, atque intra privatos parietes cenſeri juſſerit. Profeſſus itaque, cum illa conteſtari nolle, nec juvenilis ætatis, minus conſideratæ, & ſuæ imbecillitatis, errata vel in toto vel in tanto excuſare; proteſtatus eſt, ſe fidem integerrime coluiſſe, nec vel cogitaſſe non obtemperare, & ſemper obtemperaturum. Denique, in omnibus recte ſenſiſſe, etiam ſi ſecus acciderit; & mundo jam valedicturum. Simulque lacrimas ubertim profudit; adſtantes item præ gaudio ex ſpe optima ſimul collacrimarunt. Non potuit tamen continere quin excuſare inciperet, ſe Southamptonium Equitibus præfeciſſe ex credulo errore, Reginam rationes, quas reddidit, admiſſuram: iiſdem autem rejectis, protinus exauctoraſſe. Equeſtrem dignitatem pluribus detuliſſe, ut volones nobiliores apud ſe retineret. Bellum in Momonia ſuſcepiſſe ex inconſulta Conſiliariorum Hiberniæ ſententia: eorum præcipuum Ormondium cæcitate, & Warhamum S. Leodegarium cruenta morte jam luiſſe. Progredientem repreſſit Cuſtos Sigilli, monuitque, ut, quo cœperat pede, pergeret, ad Reginæ miſericordiam confugeret, quæ illum non perfidiæ ſed contemptus & inobedientiæ argui voluit, nec verbis obedientiam præ ſe ferret quam factis minime præſtiterat. Delicta enim extenuando Reginæ clementiam extenuare videretur. Abſonum eſſe, apertam inobedientiam obediendi voluntate obumbrare. Quid ſinguli dixerint, vanum eſt repetere, quum eadem fere fuerint quæ in Camera Stellata prius dicta vel poſtea dicenda. Pronunciat tandem Sigilli Cuſtos, illum à Conſiliarii munere abdicandum, à Comitis Mareſcalli, & Præfecti Machinarum functionibus ſuſpendendum, & in cuſtodia, quoad Reginæ viſum fuerit, detinendum. Hæc ſuis ſuffragiis ceteri comprobarunt, ſpemque plures conceperunt, illum in gratiam propediem recipiendum, quandoquidem Regina expreſſe juſſerit ne ab Equorum

1600.

Interrumpitur.

præ-

1600. præfectura ſuſpenderetur (quaſi ejus opera denuo uti vellet) & cenſura hæc nullo modo in acta referretur.

Spes de liberatione concepta. Hanc ſpem nonnulli, qui Reginæ, Comitis, & adverſariorum ingenium atque eventorum conſequentiam obſervarant, hujuſmodi argumentis probabiliter auxerunt: 'Reginam, ad clementiam & placabilitatem natam, pro prudentia noſſe, miſericordiam throni eſſe ſtabilimentum; Poſſe & velle miſereri & ſimul ſapere. Nolle tantum virum irritando in deſperationem adigere. Nolle, quod Reipub. poſſet uſui eſſe, ullo modo perire. Ad juſtitiæ normam omnes actiones hactenus direxiſſe; [1] ſubinde dixiſſe, ſe Comitis *emendationem*, non *ſubverſionem* cogitare. Hoc Principis verbum oraculi inſtar habendum. (utque à Deo nihil ſit quod contradictionem implicet, ita nec a Principibus.) Ad hæc, illam non minus quam Mithridatem malitioſos in virtutem à fortuna deſtitutam ſævientes averſari. Quos ſemel gratia dignata eſt, conſtanti favore ſemper proſecutam fuiſſe. Multos gravius delinquentes ejus gratia non omnino excidiſſe; Suſſexium ſcilicet de proditionibus Hibernicis; Norfolcium à Crofto & Sadlero de mandatis in obſidione Lethæ non obſervatis; Baconum Sigilli Cuſtodem de libro ab Haleſio de Regni ſucceſſione conſcripto; Henricum Arundelium, Henricum Southamptonii patrem, Lumleium, de occultis cum Scotorum Regina conſiliis; Croftum de privato cum Parmenſi Principe Colloquio; Walſinghamum de interceptione Regis Scotorum per Gowrium clam ipſa, clam ceteris Conſiliariis; & Leiceſtrium de rebus Belgicis, inſimulatos fuiſſe. Nihilominus hos ſingulos priſtinam gratiam plene recuperaſſe. Northumbrium autem & Weſtmorlandium, qui in Patriæ & principis perniciem cum exteris conjurarunt, & rebellionis ſigna extulerunt, extremo ſupplicio

Ex moribus Reginæ.

1. *Deſunt* ſubinde dixiſſe, *in Edd. priorib.*

juſte

juſtè fuiſſe affectos. Norfolcium item, qui contra fidem datam iterum in idem peccaſſet, nuptias cum Scota ambiendo; quæ illa cum exteris agitavit, reticendo; Scotoſque hoſtes Angliæ denunciatos ſublevando. Scotorum etiam Reginam, etſi ex inunctionis prærogativa tuta videbatur, quum obliquas & violentas ſe liberandi rationes iniiſſet; eo uſque ut Regni & Reginæ ſalus ageretur, nec aliud ſalutarius remedium à Regni Ordinibus excogitari poſſet. At nihil hujus generis Comiti objectum, qui tantum per errorem lapſus, ab omni perfidia, tum omnium Conſiliariorum, tum Reginæ ipſius ſententia, abſolutus. Quæ ut eum à deſperatione ad ſpem revocaret, nullos ex adverſariis in hac ejus depreſſione extulit, etſi celſiores dignitates importune affectaverint. 1600.

Comitem, ob generis nobilitatem (Regiam enim familiam, etſi ſatis longo intervallo, attigit) & ſpem virtutis, juvenem è multis à Regina delectum, deinde ſumme dilectum fuiſſe; ejus indignationem etiam uſque ad alapam pertuliſſe; de patria domi foriſque præclare meruiſſe; non alium ex Anglica gente eſſe Imperatoriis artibus ad bellum adminiſtrandum & hoſtiles impetus propulſandos inſtructiorem, nec populo chariorem, ideoque ad tumultus, ſi qui oriuntur, componendos, & Remp. reſtaurandam, maxime idoneum: planeque digniſſimum qui benigno Principis aſpectu & ſalutari influentia pleniſſime irradiaretur. Severitatem in unum bene meritum ſpectare ad omnes. Nihil majorem animum hoſtibus addere, quam ſi iniquius cum illis agatur, qui præ ceteris eminent, & innocui habentur. Illum non infeſtiores habere inimicos quam (quod de Germanico olim dictum) ſua ornamenta; &, qui adverſantur, nihil habere quod querantur quam de magnitudine. Quocum tamen redire in gratiam non deſperent, quum perinde

Ex Comitis nobilitate & indole.

ac

1600. ac Pompeius non ſit admodum aſper adverſantibus, & cedentibus placabilis.

Ex adverſariorum ingenio. Adverſarios vero non unum idemque ſentire, ſed in diverſa ſtudia trahi; quum nuper in Camera Stellata ſiſtendus, rigorem non adhibendum cenſuiſſe. Secretarium inſidioſas machinationes ægre admiſiſſe. Malevolos minus audere quam appetant. Præterea pro prudentia intelligere, res in Aula non uno eodemque axe diu rotari; periodos eſſe odii, amoris, ſuſpicionis, ſeveritatis, & clementiæ, etſi nobis ignotas. Neminem noſſe an cras amore vel odio dignus habeatur. Abſtruſa eſſe Principum conſilia: illos ad famam ſuam redimendam præcipuos ex adminiſtris multitudini ſolitos ſacrificare; repetitis exemplis Empſoni, Dudlæi, Wolſæi Cardinalis, Cromwelli, &c. Qualem erga alios obſervant Principem, talem etiam erga ſemetipſos, quum dabitur occaſio, futurum judicent. Hinc adverſariis cavendum, ne in hoc negotium ſe altius immergant, nec ulterius perſequantur, ne ſibi ipſis gravius noceant, dum, quod inhumanum eſt, gravato gravamina addunt; nec Principem in tantum virum irritent, & terrorem ſine cauſſa injiciant. Sin minus, etſi homines obſtupeſcant, Deum vindicem futurum, qui proculdubio, quia juſtus, injuſte afflictos proteget.

Hujuſmodi, inquam, argumentis multo æqui bonique ſpem [1] ſibi de redintegranda inter Reginam & Eſſexium gratia conceperunt. Qui etiam, quo modo vitam interim hoc ancipiti tempore ille inſtitueret, deliberare cœperunt; An conſultius, libera legatione impetrata in exteras regiones ſecedere, donec ſerenitas has nebulas diſpelleret; aut vitæ privatæ & contemplativæ ſe addicere, ut iiſdem gradibus mens videretur aſcendere quibus fortuna deſcendit; aut mixtam inire vitæ ratio-

Conſultatio quo modo vitam inſtitueret.

1. *Deeſt* ſibi *in Edd. priorib.*

nem,

nem, in utramque fortunam paratus. Ita virtutis igniculi, quos multi exſtinctos opinantur, tantum reconditi viderentur. 1600.

Ille interim ſingularem animi præ ſe tulit humilitatem, cum verbis tum litteris proteſtando, ſe mundi vanitatibus nuncium remiſiſſe, ambitionis ardorem lacrimis è corde emanantibus exſtinxiſſe, nec quicquam ſibi magis in votis eſſe quam ut [1] in Reginæ gratiam denuo reciperetur, nec alio conſilio quam ut illa (ipſius verbis utar) *in pace ſervum ſuum dimitteret*. Hæc Regina lætiſſime audivit, paulloque poſt Barcleium cuſtodem amovit; juſſitque, ut ſui juris eſſet; rus, ſi luberet, ſe conferret. Monuit autem ut ipſe ſe & ſuam prudentiam ſibi cuſtodem jam inde apponeret, Aulam vel ipſam minime accederet. Ejus humilitas.

Poſt hanc ſententiam, Cuffus (qui Comiti ſemper ſuaſerat, ut nullo modo ſe reum confiteretur, ſed cauſſam graviter defenderet; ne quam honoris jacturam faceret) jam eum ut anguſti animi, & ceteros qui contra ſuaſerant ut exigui judicii, adeo aſpere perſtrinxit, ut Comes indignatus juſſerit hominem ex famulorum albo expungi. Quod tamen Mericus Oeconomus, qui idem cum Cuffo tacite ſenſit, non fecit, veritus ne ille ſtomachoſus ſe adverſariis adjungeret. Cuffus Eſſexium perſtringit.

Comes jam ſui juris, in rus profecturus, hæc hiſce verbis Reginæ per H. Howardum ſignificat: *Se Regiam manum & virgam, quæ correxerat, non everterat, exoſculari. Nunquam autem* [2] *ſolidum gaudium poſſe percipere priuſquam ſalutares ocellos aſpiceret, qui Cynoſuræ ſibi fuerant, & quorum ductu feliciſſime navigarat, dum juſta latitudine curſum tenuiſſet: jam ſtatuiſſe delicti pœnitere, & dicere cum Nabucodnoſore*, ut ſit cum feris & beſtiis habitatio mea, ut fœnum ſicut bos comedam, Eſſexii ad Reginam nuncium.

1. *Deſunt* in Reg. *&c*, quam ut *in Edd. priorib.* 2. Solitum *Edd. pr.*

1600. ut rore cœli perfundar, *donec Reginæ viſum ſit ſenſum meum mihi reddere.* Illa his lætata, *Utinam*, inquit, *facta verbis conſonent, patientiam meam diu tentavit, & ejus humilitas mihi aliquandiu exploranda. Pater meus ejuſmodi perverſitatem haud toleraſſet. Sed à tergo non reſpiciam, ne cum Lothi uxore in ſalis ſtatuam convertar. Omne quod ſplendet, aurum non eſt, ſi hoc fieri fornace poſſet, Alchimicæ profeſſioni æquior eſſem.*

Ejus reſponſum.

Jam quum aditus Cuffo iterum pateret, eadem quæ prius Comiti in aures audentius occentat, eum cauſſam ſuam prodidiſſe confitendo; inde exiſtimationis damna, quæ majora quam æſtimari poſſint, & vel vita redimenda, ſubiiſſe. H. Howardum & ceteros fidem in parvis præſtruxiſſe ut in majoribus deciperent, atque adverſariis in prædam expoſuiſſe; ſpem omnem priſtinæ libertatis omnino eſſe præcluſam, niſi vel deſperatione quærat. Aliquid igitur ſe dignum cogitet, ad ſuam exiſtimationem & libertatem plene recuperandam, amicos à ſervitute, & Regnum ab impotenti quorundam dominatu liberando. Ille aures obturavit, certa ſpe redintegrandi apud Reginam gratiam, & quæſtuoſam redemptionem * *Vinorum dulcium*, (ita omnia præter Gallica & Rhenana vocant,) cujus tempus jam pene exactum, renovandi. Illa ſpem gratiæ & verbis & litteris fecit, ſed de redemptione[1] conciſè per intervalla reſpondit: *Quanti ſit, prius videndum; beneficia non opertis oculis conferenda. Alios* quæſtum intervertere patitur: *Equo ferocienti pabulum ſubtrahendum ut facilius in gyrum reducatur.* Aphoriſmumque illum Medicorum laudavit: *Corpora impura quo magis paſcas, læſeris.*

Eſſexius negligit.

* The farme of Sweet wines.

Reginæ petitionibus non adnuit.

Ex his reſponſis Eſſexius, intimis animi ſenſibus anxius, totus iracundia exarſit; & judicium affectibus tradens, auſcultavit Cuffo, & aliis ſeditionis ciniflonibus,

Ille hinc exacerbatur.

1. Conſciſſe *Edd. priores.*

jam

jam tandem conſtare, deliberatum eſſe Reginæ, Conſiliariis & adverſariis, eum ad egentiſſimam inopiam detrudere, ut de cophino viveret, & micas ſub menſa colligeret: Utque inops, à Regina neglectus, ab omnibus negligeretur, à ſuis deſtitueretur, & ab adverſariis triumphatus ludibrio haberetur. Hinc Southamptonius è Belgio revocatur. Theologi quidam Oxonienſes, neſcio quibus de rebus, conſuluntur. Comes Londinum revertitur. Chriſtophorus Bluntus, animo diſcruciatus quod ſuo conſilio Comitem in hæc pericula conjeciſſet, (Ille enim perſuaſerat, ut dixi, cum paucis in Angliam redire,) quum jam Henricum Howardum, qui in gratiam cum adverſariis reponere ſategit, operam luſiſſe audiſſet, eum ſubmonuit, (quod ipſe poſtea confeſſus erat,) ut aditum ſibi ad Reginam aperiret. Subinnuitque, nobiles adfuturos qui & aditum & reditum ſecurum præſtarent. Verum Comes reſpondit, ſe conſcientiæ ſcrupulo attineri, & Concionatores hac de re conſulendos. Poſtea tamen Blunto per Cuffum ſignificavit, ſe velle rationem aliquam propediem inire, eandemque illi impertire. Fores jam omnibus patent; Mericus Oeconomus viros militares, audaculos, afflicta fide, ſuam ſortem indigne ferentes, & linguam procacius contra omnes vibrantes, menſa excipit; Conciones ſingulis diebus à Miniſtris Zelotis habentur, ad quas cives gregatim confluunt; Richia Comitis ſoror (1 quæ mariti thorum violaſſe ſuſpecta in maxima apud Reginam offenſa) quotidie eum inviſit. Si quis hæc minus probaret, Comitis honori & libertati invidere cenſebatur. 1600. Pravis conſiliis auſcultat.

Extremo hujus anni menſe in cœleſtem patriam placide emigravit Rogerus Baro Northus Aulæ Regiæ Theſaurarius, Edw. Baronis Northi filius. Vir vivido ingenio, animo conſilioque par, de quo annis M.D.LXVII, Mors Baronis Northi.

1. Quæ violato mariti thoro in maxima apud &c. *Edd. priores.*

1600. & M.D.LXXIV. dixi. Succeſſit in hereditate Dudleius Northus ex filio & Dorothea filia & herede Valentini Dali Juris conſultiſſimi nepos; & in Theſaurarii munere Guil. Knolles, cui poſtea in Cenſoris Aulæ Regiæ locum ſuffectus Edw. Wottonus, multis magniſque Reipubl. negotiis ſpectatus.

M. DC.I.

Legationes ex Morocco & Ruſſia. REGINA anno inchoante vacat legationibus honore pleniſſimis. Ab auſtro enim Hamettus Rex Mauritaniæ Tingitanæ, à Septentrione Boris Pheodorici Imperator Ruſſiæ, omni ſtudio amicitiam ejus ambierunt. Laute etiam accipit Wolfangum Guilielmum filium Philippi Lodovici Comitis Palatini Ducis Bipontini & Neoburgici, Virginium Urſinum Braciani in Hetruria Ducem, & Rohanos fratres à Scotorum Rege cognato reverſos, (genus enim a filia Jacobi Primi Regis Scotorum repetunt,) qui honoris ergô eam inviſerunt. Eſſexius interea domi ſe continet, Deo, amicis, & concionibus totus vacat. Exciderunt tamen ſubinde verba potentiam adverſariorum apud Reginam ſtomachoſe dedignanti; in quibus plus animi quam conſilii ineſſe, etiam amantiſſimi judicarunt. Quumque illi ex amore nervoſiſſime litteris præmonerent, ut jam antea Sigilli Magni Cuſtos, *ne ſibi, ſuis, & patriæ deeſſet; quos diverſa ſtudia ſejunxerant, Reſpublica conjungeret, & conciliaret; privata vulnera Reipublicæ malis non obtegeret; tempori ſuccumberet; Reginæ beneficentiſſimæ gratiam ſupplex ambiret; nec adverſariis triumphandi cauſſam præberet*: averſiſſimus audiit, & reſpondit, ut antea Sigilli Cuſtodi: *Unde meſſem exſpectavi, tempeſtas mihi eſt oborta. Si mihi, meis, & patriæ, deſim, ex aliis eſt, non ex me. In privatam vitam Regina me detruſit; vili obſequio ſervire neſcio; nec male mihi conſcius*

Et Principum viſitationes.

Rohani.

Eſſexius ſanis conſiliis non auſcultat.

vide 1598.

ſcius ſum; injuſte in cuſtodiam fui datus. Principibus poteſtas non eſt infinita; errare cum ceteris poſſunt. Ab adverſariis totum telum corpore recepi: non major erit adverſariorum in me opprimendo violentia quam mea in perferendo conſtantia. Triumphent illi, triumphalem currum non ſubſequar.* Nec Reginæ hæc incomperta animum magis magiſque abalienarunt; inflammavit vero injuria formæ ſpretæ. Effutierat enim, ut alia taceam, illam jam vetulam non minus animo quam corpore eſſe diſtorto. Flammam hanc aluerunt, imo auxerunt, ſuis querimoniis, mulierculæ nonnullæ Aulicæ quibus in amatoriis illuſerat, adeo ut quæſtuoſam Vinorum redemptionem quodammodo plane negaverit. Unde novæ faces ægritudini additæ: quæ quidem plurimum accenſæ, tum ex inſultu quem ſtricto ferro Baro Greius Wiltonius in Southamptonium ei intimum in publico equitantem fecerat, (quod tamen ille carcere juſſu Reginæ luit;) tum ex obliquis adverſariorum ſuggeſtionibus, qui ærumnoſam ejus animam quotidie fodicare non deſtiterunt.

1601.

Magis magiſque exſtimulatur.

Hinc ille conſiliariis uſus ſiniſtris, arcana conſilia in Hibernia ſuſcepta de ſubmovendis ex Aula adverſariis clandeſtino recoquere cœpit. Aderant nova molienti ſtudia, nec deerant miniſtri, nihilque non fecit ut omnes omnium animos ſibi magis conciliaret, quos in ſe amore ex virtutis opinione propendere perſpexerat. Regis Scotorum gratiam, cui antea iniquior habebatur, [1] litteris officii & amoris plenis, atque ſuggeſtionibus contra adverſarios, ambit.

Arcana init conſilia.

Eorum potentiam nominatim depingit; Raleighum ſcilicet occidentalibus Angliæ partibus, &c. Jerſeiæ Inſulæ, præeſſe; Cobhamum Quinque portuum Præfectum Orientalibus; Baronem Burghleium plagæ Boreali; & Georgium Carew Momoniæ Auſtrali Hiberniæ parti.

Ex Cuffi confeſſione.

1. Litteris obſervantiæ pleniſſimis, & accuſationibus contra *Edd. pr.*

Hæc

1601. Hæc loca ad Hiſpanos excipiendos eſſe opportuniſſima. Hos viros Hiſpano ſtudere; & ad Cecilii Secretarii nutum eſſe ſingulos, qui, cum Buckhurſto Theſaurario, penes quem belli nervus, & Admirallo, penes quem claſſis Regia, ipſi devotis, rerum quodammodo jam potitur. Cum Scotorum itaque Rege agit, ut Legatos in Angliam mitteret qui declarationem juris in [1] regni ſucceſſione urgerent. His documenta [2] parat. illorum potentia, in Regem malitia, in *Infantam* benevolentia, ex variis argumentis proponuntur. Non dixero, eo conſilio, ut, ſi hujuſmodi declaratio non fieret, inde occaſionem amovendi adverſarios ſuos quaſi indubitato regni heredi adverſantes arriperet. Quumque religio maxima ſit animorum conciliatrix, Novatores eorumque Miniſtros, Reginæ minus probatos, & ſimul Pontificios, afflictam eorum fortunam miſerando, allicere ſtudet. Homines militares, & promptæ audaciæ, undique variis quæſitis coloribus acciri atque in vicinia ædium occulte diſponi curat. Interim in conſilium intimum paucos adhibet, (Cuffo monitore, qui multos aggregandos, paucis conſilium participandum ſubinnuerat;) Comitem ſcilicet Southamptonium, cujus fidem perſpectiſſimam habuit; Carolum Danverſium Southamptonio devotiſſimum, utique cui vitam debuit; Ferdinandum Gorgium Præfectum Præſidii Plimouthenſis; Joannem Daviſium Machinarum ſub ipſo Superviſorem, litteris Mathematicis apprime eruditum; & Joannem Littletonum à *Frankelia*, ad arma & conſilia prudentem, ſed à patre, quem honorare dedidicerat, [3] ob indignas injurias, maledictum.

1. *Deeſt* regni *in Edd. priorib.* 2. Parat, quibus immenſa adverſantium potentia, *Edd. priores.* 3. Ob indignas filio injurias, maledictum *Edd. priores.*

His,

His, in ædibus Drurianis ad ſuſpicionem amoliendam latenter convenientibus, Eſſexius primum proponit catalogum nobilium quos ſibi addictiſſimos eſſe perſuaſit, in quo numerabantur Comites, Barones, ex Equeſtri ordine, & clariſſimis familiis plus minus centum viginti: deinde jubet deliberare & ad ipſum referre, an conſultius eſſet Regiam occupare, aut Arcem Londinenſem, aut utramque ſemel ſimulque; & quid de Civitate Londino ageretur. Regiam occupare, conſultiſſimum ſingulis viſum eſt. Idque hac ratione. Chriſtophor. Bluntus cum ſelecto numero portam, Daviſius aulam, Danverſius Cameram majorem (ubi Satellites aliud agentes excubant) & Præſentalem occuparet, ſimulque ipſe Eſſexius ex Equili prope Regiam (Mues vocamus) cum quibuſdam lectiſſimis, via jam facta, Reginam ſupplex accederet, peteretque ut adverſarios amoveret, quos ſtatuerat (ut nonnulli poſtea confeſſi erant) judicio ſiſtere, Parlamentoque indicto Reipub. formam immutare. 1601. Quæ Conſiliariis propoſuit.

Dum Legati Scotici & tempus opportunum ad hæc exſpectatur, ſuſpiciones auctæ ſunt, & crebriori ſolito multitudinis ad Eſſexianas ædes concurſu, ſub prætextu ſacras conciones audiendi, & verbis nonnullis quæ concionatoribus exciderant, quaſi ſuperiores Regni magiſtratus jus coërcendi Reges habeant. Hinc, vel tenui alicujus indicii, VII. die Februarii Robertus Sackvillus Theſaurarii filius, Eſſexium ſpecie officioſæ ſalutationis inviſit, re vera ut exploraret quinam aderant. Mox Eſſexius, per J. Herbertum alterum è Secretariis, ad Theſaurarii ædes, ubi Regii Conſiliarii convenerant, acceſſitur, ut moneretur libertate conceſſa temperate uti; eodem tempore ſchedula in manus illi traditur qua admonetur ſaluti conſulere. Ille aliquid diluxiſſe ſuſpicatus, & ne denuo cuſtodiæ traderetur veritus per valetudinem excuſat quo minus Conſiliarios accederet, certus Suſpiciones in eum auctæ.

vel

1601. vel ſanguine libertatem redimeret. Jam conſilium totos quatuor menſes concoctum labat, & ad novum ex formidine feſtinatur. Ille animo æſtuans, intimis convocatis, quum innuiſſet, nonnullos eorum mox in carcerem abripiendos, propoſuit: An Regia pretinus occupanda; an civium Londinenſium ſtudia tentanda, & eorum ope Regia invadenda; an fuga ſaluti conſulendum. Ad Regiam occupandam à manu militari & machinis erant imparati, & excubias ibi multiplicatas nonnulli affirmarunt; Regiamque invadere, inexcuſabile in Reginam perfidiæ crimen videbatur. Dum de Londinenſium amore & incerto vulgi ingenio diſputatur, ecce quidam quaſi ab iis ſubmiſſus ex compoſito intervenit, auxilia à civibus, contra omnes adverſarios prolixiſſime promittens. Hinc Comes alacrior, diſſerere cœpit quam late ſua gratia per civitatem pateat; plurimoſque ſuæ famæ & fortunæ eſſe devotiſſimos, ex plebis jam ante acclamationibus & odioſis contra adverſarios obmurmurationibus ſibi perſuaſit. Credidit etiam ex aliorum ſermonibus, Thomam Smithum Civitatis Vicecomitem, qui mille exercitatis militibus præerat, ſibi in omnes occaſiones adfuturum. Statuit itaque, quum jam cunctatio non minus pernicioſa quam temeritas, die ſequenti, qui Dominicus erat, cum ducentis nobilibus in Urbem paullo ante finem Concionis Paulinæ ingredi, ibi Senatum populumque cauſſas adventus docere, & auxilia contra adverſarios rogare. Si cives difficiliores ſe præberent, in aliam Regni partem actutum abire; ſin faciles, cum eorum auxiliis viam ſibi ad Reginam aperire. Tota illa nocte emiſſi ex Eſſexianis ædibus diſcurſabant, qui amicis ſignificarunt, Baronem Cobhamum & Raleighum Eſſexii vitæ inſidiari. Hinc ad eum bene mane Die Dominico, qui VIII. Februarii erat, Comites Rutlandiæ & Southamptoniæ, Baro Sandius, Parkerus Baro Montaquilius,

Nova conſilia arrepta.

Multitudo convocata.

aquilius, & melioris notæ nobiles plus minus CCC. confluunt. Hos comiter amplexus excepit. Innuit aliis, inſidias in ſuam vitam ſtructas eſſe; ſtatuiſſe itaque Reginam adire, pericula intenta docere, quum adverſarii præpotentes Reginæ nomine in ipſum abuterentur: aliis ſignificat, Civitatem Londinum à ſe ſtare; eo itaque ſe recepturum, civiumque ope injurias ab adverſariis acceptas ulturum. Ædes toto hoc tempore clauſæ tenebantur, nec quiſquam admiſſus niſi notus, nec quiſquam exire permiſſus. Quum autem Ferdinando Gorgio permiſſum eſſet, Raleighum adire, qui eum accerſiverat, & in cymbula exſpectaverat, ſuaſit Bluntus ut Raleighum interciperet. Sunt qui perhibent, Gorgium Raleigho totius negotii indicium tunc feciſſe. Certum eſt, Raleighum ſubmonuiſſe Gorgium ut ſibi caveret ne abſentiam à Præfectura ſine venia carcere lueret, & illum viciſſim monuiſſe Raleighum ut ſibi proſpiceret, quandoquidem plures nobiles contra eum & alios Reginæ auctoritate abutentes conjurarint. 1601.

Hoc ipſo tempore Regina juſſit Prætorem Londinenſem curare ut cives parati eſſent in ſuis quiſque ædibus ad mandata exſequenda; Ad Comitem miſit cuſtodem Sigilli, Comitem Wigorniæ, Guilielmum Knolles Regiæ Cenſorem Comitis avunculum, & Pophamum ſummum Angliæ Juſtitiarium, qui cauſſam hujuſmodi concurſationis cognoſcerent. Illi per oſtiolum ægre admittuntur, famulis excluſis, niſi qui Sigillum prægeſtavit. In area confuſa erat hominum multitudo, & inter medios Eſſexius cum Rutlandio, Southamptonio, & pluribus aliis, qui ſtatim eos circumfundunt. Cuſtos Sigilli ad Eſſexium converſus, ſignificat, ſe & reliquos à Regina miſſos eſſe ut cauſſam tantæ concurſationis intelligerent; &, ſi qua injuria à quocunque illis illata, jus æquabile promittit. Eum clara voce excepit Eſſexius: *In vitam meam ſtructæ ſunt inſidiæ; ſubornati qui me lecto con-*

Conſiliarii Regii ad Eſſexium miſſi.

Eſſexii querelæ.

1601. *foderent; perſidioſe nobiſcum agitur; litteræ meo charactere & nomine ſunt adulteratæ. Convenimus ut noſmet ipſos tueamur, & vitam conſervemus, quandoquidem adverſariorum malitiam nec patientia mea, nec miſeria leniat, niſi etiam & ſanguinem exſorbeant.* Pophamus in eandem, qua Cuſtos Sigilli, allocutus eſt ſententiam; pollicitus, ſi explicate diceret quid contra illum ſuſceptum fuerit, ſe Reginæ vere nunciaturum, & eum juſte ac legitime audiendum. Southamptonius memorat, Baronem Greium ſtricto ferro in eum impetum feciſſe: At, illum carcere luiſſe, reſpondit Pophamus. Dum Cuſtos Sigilli iterum inſtat, ut offenſiones, ſi non palam, ſaltem privatim ipſis exprometeret; Multitudo interrumpens exclamat: *Eamus, patientia tua abutuntur; te produnt & perdunt; tempus avolat.* Ad quos Cuſtos Sigilli converſus, pro fide quam Principi debent, ut arma deponerent, imperat.

Multitudinis acclamatio.

Interim in ædes ſe recipit Eſſexius, ſubſequitur Cuſtos Sigilli cum ceteris, eo conſilio ut privatim ſermones confererent. Interim audiunt nonnullos in hæc verba frementes: *Occidantur; Sigillum illud Magnum projiciatur; In cuſtodiam concludantur.* Quum in penetralia ædium jam deveniſſent, Eſſexius juſſit ut peſſulis obductis includerentur; & inquit: *Patientiam tantiſper induite; jamjam mihi in urbem abeundum, ut cum Prætore & Vice-Comitibus rationes ineam; mox redibo.*

Illi concluſi ibi cuſtodiuntur à Joanne Daviſio, Franciſco Treſhamo, Oweno Salisburio [1] perditæ audaciæ veterano, & nonnullis ſclopetariis. Eſſexius equorum & ſuſcepti conſilii ex improviſo horum adventu immemor, ex ædibus (quas Gillio Merico defendendas committit) jam ſe proripit cum cohorte cc. plus minus hominum, quibus animus ætaſque ferox; nec illi qui-

1. Promptæ audaciæ *in Edd. priorib.*

dem

dem militariter inſtructi, plerique pallio circum brachia 1601.
contorto, cum enſibus. Comes Bedfordiæ, Baro Cromwellius, & alii nobiles, inter eundum ſe aggregant. Londinum ingreſſus ſubinde exclamat, *Pro Regina, Pro Regina; vitæ meæ inſidiæ ſtruuntur.* recta per præcipuum Urbis forum ad Smithi Vice-Comitis ædes juxta *Fenchurche* feſtinate pergit. Cives inermes ſpectatum concurrentes obſecrat ut ſe armarent, alioqui ſibi non uſui futuros. In urbe tamen, armis tunc exercitatiſſima, frequentiſſima, illique devotiſſima, ne unus vel ex infima plebe arma pro eo ſumpſit. Cives enim etſi pro plebis ingenio rerum novarum cupidi, ex opulentia tamen ſimul pavidi erant, atque præ incorrupta in Principem fide inconcuſſi. (& inopia, ſi qua res alia, Anglos in rebellionem præcipitat.) Ad Vice-Comitis ædes Urbis longitudinem fere permenſus venit, animo æſtuans, & ſudore adeo diffluens, ut interulam neceſſario mutaverit.

Eſſexius urbem ingreditur.

Vice-Comes, in quo ille prone credulus ſpem certam ex incerta aliorum fide poſuerat, per poſticum ſe ad Prætorem illico ſubduxit. Th. Baro Burghleius, & [1] Dethicus Garterius fetialis Armorum Rex, interim Urbem ingreſſi, Eſſexium & participes proditores denunciant, licet nonnulli ſe objicerent, & impetum facerent. Itidem Comes Cumberlandiæ, & Thomas Gerardus Eques Mareſcallus, per alias urbis partes. Quod ut Eſſexius comperit, [2] è Vice-Comitis ædibus proruit, vultu incerto & ſuſpenſo, inclamans: *Angliam Hiſpaniæ Infantæ dividendam eſſe*; & cives ad arma fruſtra provocans. Quum homo plane nemo arma ſumeret, videretque, ſuos ſe clam ſubducere, & audiret, Admirallum cum copiis adventare: ſpem abjicere cœpit. Domum itaque redire cogitat, ſpe gratiam apud Reginam con-

Proditor declaratur.

Redire cogitat.

1. Dethicas Garterius Arm. Rex, *Edd.pr.* 2. A Vice-com. *Edd.Belg.*

1601. ſequendi per Cuſtodem Sigilli & reliquos Conſiliarios, quos domi concluſerat. Verum quum Joann. Leveſonus, qui cohorti ad *Lhudi portam* præerat, Gorgio tranſeundi licentiam pro Comite roganti negaſſet; Gorgius ſibi providus Comiti ſuaſit ut ipſe emitteretur ad Conſiliarios liberandos, & cum illis apud Reginam de venia conſequenda ſupplicando intercederet, dum adhuc ſpes veniæ ſupereſſet, cruore nondum effuſo, Regina de ſucceſſu dubitante, & civium animis adhuc ambiguis. Comes annuit, ut ſolus Pophamus Juſtitiarius liberetur, qui, quum liberari nollet, niſi Cuſtos Sigilli una liberaretur, Gorgius liberavit ſingulos, & cum illis per flumen ad Regiam ſe contulit.

Conſiliarii liberantur.

Interea Eſſexius rediturus, catenam per plateam inductam prope occidentalem portam Templi Paulini & haſtatos ſclopetarioſque oppoſitos opera Epiſcopi Londinenſis ſub ductu Joannis Leviſoni offendit. Gladium jam primum ſtringit; Blunto imperat, ut in eos impetum faceret; quod ſtrenue ille præſtitit, irruens [1] in Waitum, (ductorem ſatis animoſum, ſed à ſuis quibus præfuit derelictum) eum interfecit, & ipſe graviter ſauciatus capitur. Cecidit ibidem Henr. Tracius adoleſcentulus Eſſexio charus, [2] & è civibus unus & alter. Ille hinc repulſus, galero glande trajecto, plurimis ſubterfugientibus, cum paucis qui deſerere noluerunt, ad *Reginæ* quam vocant *Ripam* cymbulas nactus, ad ædes ſuas rediit.

Conflictus.

Queenhith.

Conſiliarios eſſe dimiſſos graviſſime indignatur, chartulas quaſdam in ignem, ne quid, ut dixit, enunciarent, projicit, ad defenſionem ſe accingit, & extrema jam ſpe à Londinenſibus opem exſpectans ædes undique com-

Ædes ſuas communit.

1. In Waitum (qui in ipſum quondam in Hollandiam percuſſor à Leiceſtrio zelotypo ſubmiſſus,) eum interfecit, *Edd. priores.* 2. Et à civibus *Elz. Sen.*

munit.

munit. Admirallus mox obſidione incingit, qua terram ſpectant; diſponit Comites Cumberlandiæ & Lincolniæ, * Thom. Howardum, Greium, Burghleium, Comptonum, & alios, cum copiis equeſtribus & peditibus. Ipſe, cum Effinghamio filio, Cobhamo, J. Stanhopo; Rob. Sidneio, Fulcone [1] Grevillo qua flumen hortum occupat. Jam ædes oppugnaturus per Sidneium imperat ut deditionem facerent. Southamptonius rogat, cui ſe dederent? an adverſariis? hoc enim [2] eſſet, ſe in exitium præcipitare. an Reginæ? hoc eſſe, ſe reos confiteri. Veruntamen ſi Admirallus de noſtra ſecuritate, inquit, datis obſidibus caverit, coram Regina nos ſiſtemus. Sin minus, ſingulis deliberatiſſimum eſt, pugnando vitam profundere. Admirallus, per Sidneium renuncians, nec à rebellibus conditiones proponendas, nec iiſdem obſides tradendos: Eſſexio ſignificat, ut imbelli ſexui parceretur, ſe permiſſurum, ut Comitiſſa ejus uxor, Richa ſoror, & famulæ quæ muliebribus lamentis omnia complebant, emitterentur. Quod inſtar beneficii ille habuit; tantum rogavit, ut hora una & altera concederetur ad locum communiendum qua illæ exirent; quod etiam conceſſum.

1601.

* Obſidetur.

Deditio imperatur.

Hora nondum exacta, Eſſexius omnia in deſperatis & perditis habens, erumpere ſtatuit, & Baro *Sandius*, ceteris ætate provectior, maximopere urgebat: ingeminans, fortiſſima conſilia eſſe tutiſſima; honorificentius eſſe viris nobilibus, pugnando, quam carnificis manu mortem oppetere. Eſſexius autem, animo varius, de deditione mox cœpit cogitare; & ſignificavit, certis quibuſdam conditionibus ſe dediturum eſſe. Verum quum nullas conditiones Admirallus admitteret, dixit, ſe nolle conditiones ferre, ſed potius velle accipere: hæc tria tamen petere: *Primum, ut civiliter cum eis ageretur.*

Erumpere ſtatuunt.

De deditione conſultatur.

* Obſiditur *Ed. Lond.* 1. Grevillo, qua flumen Tameſis alluit, hortum *&c. Edd. priores.* 2. Eſſe *Edd. priores.*

Hoc

1601. Hoc Admirallus promiſit. *Deinde, ut juſte & legitime eorum cauſſa audiretur.* Reſpondit, non eſſe cur hoc dubitarent. *Poſtremo, ut Aſhtonus verbi divini Miniſter illi in carcere adeſſet in animæ ſolatium.* Reſpondit Admirallus, de his apud Reginam ſe interceſſurum. Pro- *Se dedunt.* tinus nobiliores in genua procumbentes, gladiis Admirallo traditis, ſe ad horam noctis decimam dediderunt. Nec plures perierunt quam Owenus Salisburius, unuſque & alter ſclopetorum ictibus in ædibus occiſi, & totidem ex oppugnatoribus.

Incarcerantur. Ipſe Eſſexius & Southamptonius primum ab Admirallo ad Archiepiſcopi Cantuarienſis ædes Lambethæ, & non recta ad Arcem Londini ducuntur, quia nox erat fœda, & Tamiſis ſub ponte non pervius, ſed inde paullo poſt ex Reginæ mandato ad Arcem cymba devehuntur, & in aliis cymbulis Rutlandius, Sandius, Cromwellius, Montaquilius, Carolus Danverſius, & Henricus Bromleius. Reliqui in publicos carceres conjiciuntur. Ita horis duodecim hic motus compreſſus erat; quem alii timorem, alii errorem; qui durius, pertinacem impatientiam, & vindictæ cupiditatem; qui graviſſime, inconſideratam temeritatem, dixerunt, & adhuc, niſi pauci, crimen capitale cenſuerunt.

Civium fides laudatur. Poſtridie Regina, fecialis voce immotam civium Londinenſium fidem laudat, eamque verbis amore pleniſſimis agnoſcit, ſimulque monendo jubet ut publicæ tranquillitati conſulerent, quum hujus ſeditionis contagio late ſerpſiſſe videretur, & ſedulo obſervarent, ſi qui res novas moliantur, imperitos animos impellendo, vel Reginæ adminiſtros ſuggillando.

Thomas Leæus capitur. Die Februarii duodecimo Tho. Leæus, Henrici Leæi Georgiani ordinis Equitis præclari agnatus, notiſſimæ audaciæ, militum in Hibernia ductor, Tir-Oenio intimus, & Eſſexio devotus, qui eadem nocte, qua Eſſexius

Conſi-

Conſiliarios adire recuſaverat, operam ſuam ad Eſſexium interſcipiendum aut perimendum obtulerat, Roberto Croſſo ductori claſſiario gloriosum eſſe, innuit, ſi ſex viri animoſi Reginam ſimul adirent, eamque vi adigerent, ut Eſſexium, Southamptonium & reliquos cuſtodia emitteret. Hæc mox Conſiliariis Croſſus detulit, Leæuſque quæſitus, primis tenebris juxta oſtium ſanctioris cubiculi Regii deprehenſus eſt, cogitabundus, pallens, ſudore diffluens, & ſæpius percunctans, an Regina jam cœnatura, an Conſiliarii adeſſent: inter hæc captus & examinatus, poſtero die in judicium raptus, ex teſtimonio Croſſi & ſua confeſſione damnatus, ad furcas Tiburnas trahitur: ubi confeſſus ſe hominem fuiſſe nocentiſſimum, in hac autem cauſſa innocentem; & nihil contra Reginam vel cogitaſſe proteſtatus, ſupplicio afficitur. Et pro temporum ratione ſalutaris hæc viſa eſt ſeveritas. 1601. Supplicio afficitur.

Die menſis xv. circumcelliones, vagabundi, [1] & otioſi, quibus dicere & audire nova familiare negotium, turbis & prædæ inhiantes, ſub pœna ſupplicii extremi urbe quamprimum excedere jubentur. Jam inita conſilia in Drurianis ædibus aliquis è conjuratoribus, ſpe vitæ vel lucelli delenitus, ediderat; Quis fuerit, mihi parum compertum. Quod quum ceteri ex circumſtantiis inter examinandum perſentiſcerent, cuncta patefacta opinantes, & ſtolidam eſſe fidem, celare quod alii jam prodiderant, aut produturi erant, nihil ex ſilentio ſperantes, ſingula aperuerunt. Hinc Eſſexius & Southamptonius, qui eos omnia occulta habuiſſe crediderunt, die xix. Februarii judicio in Prætorio Weſtmonaſterienſi ſiſtuntur, coram Barone Buckhurſto Angliæ Theſaurario, Edictum in vagabundos & rumigerantes. Conjuratorum conſilia detecta. Eſſexius & Southamptonius judicio ſiſtuntur.

1. Et id genus hominum, qui per tabernas delituerunt, & plures quotidie ad urbem confluxerunt, rumores avide aucupantes, turbis & prædæ *&c. Edd. priores.*

qui

1601. qui ad illud judicium Summus Angliæ Seneſcallus conſtitutus. Judices ſive *Pares* dati ſunt: Comites, Oxoniæ, Nottinghamiæ, Salopiæ, Derbiæ, Wigorniæ, Cumberlandiæ, Suſſexiæ, Hertfordiæ, & Lincolniæ; Vicecomes Howardus Bindonius; Barones, Hunſdonius [1] Camerarius, De-la-ware, Morleius, Cobhamus, Staffordus, Greius, Lumleius, Windeſorus, Richus, Darcius à *Chiche*, Chandoius, S. Joannes à Bletneſho, Burghleius, Comptonus, & Howardus à *Waldena* qui tunc Arcis Londini Conſtabularius. Aſſeſſores erant; Pophamus Summus Angliæ Juſtitiarius, Periamus Primarius Scaccarii Baro, Gaudius, Fennerus, Wamſleius, Clercus, & Kingſmillus.

Quum *Pares* nominatim eſſent citati, Eſſexius ſciſcitatus eſt, an non liceat ipſis, quod privatis in uſu eſt, contra aliquos è Paribus excipere? Judices reſponderunt, eam eſſe Parium Regni Angliæ fidem & exiſtimationem, ut nec in judiciis ad jusjurandum adigantur nec exceptioni ſubjiciantur. Læſæ Majeſtatis deinde conjunctim poſtulantur, quod Reginam ſolio & vita deturbare machinati ſint, inito conſilio regiam Majeſtatem in Regia opprimendi, quodque in rebellionem apertam proruperint, Conſiliarios Regni incarcerando, Londinenſes ad rebellionem commentis concitando, fideles ſubditos in Urbe adoriendo, & ædes contra Reginæ copias propugnando. Rogati, an horum criminum rei, negant; & Dei Pariumque judicio ſe ſubmittunt: aſſeveratque Eſſexius, ſe nihil admiſiſſe niſi ex lege naturæ & vi neceſſitatis. [2] Yelvertonus *ad Legem Serviens Regius* objecta enucleate & fuſe explicat, &, vel cogitaſſe contra Majeſtatem, inter Majeſtatis crimina eſſe, docet. Eſſexium cum Catilina comparat, quod, ut ille cujuſque generis homines, ita & hic Atheos, Papiſtas, & ſcele-

Accuſationis capita.

Illa explicantur à Juriſconſultis Regiis.

1. *Deeſt* Camerarius *in Edd. priorib.* 2. Elvertonus *Edd. priores.*

ribus

ribus inquinatiſſimos, ſibi adſciverit. Beneficia à Regina collata exprobrat, quæ præproperis honoribus juvenem immerentem accumulaverat; illis abuſum eſſe arguit, auram popularem & militarem aucupando, inſatiabili quadam ambitione, quæ nunquam ſe ſiſtit, ſed, ut crocodilus, dum vivit, augeſcit. Miratur vero, Comites ſe reos negare, quum eorum crimina omnibus omnium oculis fuerint teſtatiſſima. 1601.

Edwardus Cocus, Procurator Regius, ex Fitz-Herberto, auctore inter Angliæ Juriſconſultos percelebri, docet, internam ſceleris contra Principem cogitationem crimen eſſe Majeſtatis; at non ita judicandum donec in actum verbo aut facto proruperit. Inde demonſtrat, illos Principi perniciem moliri qui in rebellionem proruunt, armatam multitudinem contrahunt, juſſi diſſolvere recuſant, aut Urbem, Arcem, Regiam, & Principem, in ſuam poteſtatem redigere cogitant. Non eſſe cur Comes ex lege naturæ ſe excuſet, quum Majeſtas ob privatam vindictam non ſit violanda. Beneficia Reginæ ſigillatim enumerando percenſet; equis ſcilicet regiis machiniſque bellicis præfeciſſe, in ſanctius conſilium adſciviſſe, Angliæ Comitem Mareſcallum Hiberniæque Proregem conſtituiſſe, & XXX M. librarum monetæ Anglicæ exiguo temporis ſpatio munifice donaſſe. Conſiliariorum incarcerationem, minas in eos jactatas, & formidines oppoſitas, memorat; ſocietatem cum Blunto, Danverſio, & Daviſio, *Pontificiæ Religioni addictis*, objicit. In urbem potius quam ad Regiam profectos eſſe adnotat, quod *divinæ* Majeſtatis lumen in regia Majeſtate collucens perfidiæ oculos ita perſtrinxit ut propius accedere non auderent. Indicia, quæ proferenda, laudat, quod ſint ſpontanea, non tormentis extorta, & inter ſe [1] cohærentia; diſertamque orationem, intexta hiſtorica

1. Cohærentia; orationemque, intexta *&c. Edd. priores.*

1601. totius rei narratione de regina opprimenda & Parlamento convocando, concludit cum hoc aculeato Epiphonemate: *Exoptandum hunc Robertum poſtremum fore hujus nominis Eſſexiæ Comitem* [1] *qui Robertus ejus nominis primus Angliæ Rex eſſe affectaverat.*

Eſſexius reſpondet.

Eſſexius ad hæc alacri vocis & vultus ſecuritate erectus & fidens animi reſpondet; Oratoriam facultatem Advocatorum eſſe propriam, qui exaggerata oratione inſontes opprimere gloriæ ducunt. *Pares* [2] orat, rem veritate, non verborum atrocitate, expenderent. Sincerum in vera Religione animum proteſtatur. Daviſium Pontificium fuiſſe, nunquam crediſiſſe, qui ſacris aſſiduus aderat. Minas in Conſiliarios intentatas inter tantos tumultuantium ſtrepitus non audiviſſe; eos ut ſummos amicos & honore & amore proſequi. Ut cuſtodia concluderet, à tumultuante multitudine fuiſſe impulſum, & ad ſui defenſionem neceſſario adactum, poſtquam non incertis conjecturis, ſed nunciis certiſſimis & fide dignis accepiſſet, [3] ſe ab inimicis ex improviſo opprimendum eſſe. In Principem autem optime meritam & patriam fide immota & intemerata perſtitiſſe, & æternum perſtiturum. Nihil aliud in animo habuiſſe quam ad Reginæ pedes proſtratum querelas juſtiſſimas deponere & pericula patriæ impendentia explicare.

Injurias in Conſiliarios excuſat.

Summus Angliæ Juſtitiarius Pophamus rogatus, & juratus, quam indigne Conſiliarii habiti fuerint, enarrat. Eſſexius reſpondet, ſe in honoratiſſimos illos viros nihil mali cogitaſſe, at ſummo cum honore obſervaſſe; vidiſſe tamen, regium mandatum injuriam à Southamptonio non prohibuiſſe, quum Greius illum publice ferro invaderet, ideoque amicorum & clientum præſidia paraſſe ad ini-

1. Qui Robertum ejus nominis primum Angliæ Regem eſſe affectaverat *Ed. Lond.* 2. Orat, ut veritate, non verborum atrocitate, rem expenderent *Edd. priores.* 3. *Deeſt* ſe *in Edd. priorib.*

micorum

micorum violentiam vi repellendam. Fidem tamen in patriam & Principem non exuiſſe: nec hoc dicere ut vitæ conſuleret, cujus jam pertæduit, ſed in ſuorum participum gratiam, quorum animi incorrupti, & corpora valida patriæ forſan inſervire poſſint. Vim ſibi inferendam fuiſſe, vel hinc conſtare dixit, quod Raleighus innuiſſet Gorgio, ut ab illius conſortio tanquam è navigio periclitante ſe quamprimum ſubduceret. Conqueritur, ſacrificos ſubornatos fuiſſe qui accuſarent, & chirographum ejus ementitum fuiſſe. (Quod certe ab impoſtore factum ad emungendam pecuniam, ut poſtea dicemus.) 1601.

Sibi illatas exponit.

Gorgii deinde teſtimonium profertur, ſcilicet, Eſſexium ſtatuiſſe Regiam invadere, Parlamentum indicere, in Londinenſibus ſpem collocaſſe, &c. Ille è carcere vicino accerſitur, ad hæc coram teſtificandum. Eſſexius ut vidit; ratus, eum (quandoquidem ejus teſtimonium primum prolatum) ex ſpe aut metu rem univerſam aperuiſſe, & ſponte teſtem prodire, hominem ex [1] animi angore aculeate perſtrinxit, teſtimonii fidem ex pallore vultus incerti elevare conatus.

Gorgii teſtimonium elevat.

Conſultatio in ædibus Drurianis, de occupanda Arce, aut Regia, jam erat objecta. Southamptonius mitiori oratione, & inprimis modeſta, culpam ex amore in Eſſexium contractam ſubmiſſe deprecatus, fidemque in Principem integerrimam proteſtatus, reſpondet, ejuſmodi propoſita fuiſſe, non tamen certo deliberata, ſed ad Eſſexium relata. Nec, quod conſultatum fuit, ſed aliud, in actum erupiſſe, nempe ingreſſum in Urbem, nec alio quidem conſilio, quam ut ille ſecurum acceſſum ad Reginam haberet, & coram de injuriis conquereretur. Se toto die gladium non ſtrinxiſſe; Edictum, quo rebelles denunciati erant, non audiviſſe; effulminationes ex ædi-

Southamptonius ſuam cauſſam defendit.

1. *Deeſt* animi *in Edd. priorib.*

 bus

1601. bus Eſſexianis, quoad poterat, prohibuiſſe. Orat ut ex æquo & bono, non ex Juris rigore & apicibus, cauſſa dijudicetur. Hanc palliatam concluſionem dixit Procurator Regius, ſciſcitatus, an Regiæ portam, Aulam & penetralia, manu armata occupare, ut Regina in poteſtatem redigeretur, non ſint læſæ Majeſtatis crimina? Southamptonius leniter eum interrogat, quid teſte conſcientia exiſtimaret eos in Reginam facturos eſſe? Idem, inquit, quod Henricus Lancaſtrius in Richardum Secundum fecerat. Ille Regem ſupplex adiit, prætextu pravos Conſiliarios ſubmovendi: Regem autem in poteſtatem redactum & regno & vita ſpoliavit.

Aſſeſſores à Paribus rogati, an conſultatio in Drurianis ædibus crimen eſſet læſæ Majeſtatis, quum in effectum non fuerit perducta; affirmarunt una voce; rebellionemque in Urbe proſecutionem eſſe conſultationis illius; utique ſi armatam manum in Urbe contraxiſſent, Regiam mox invaſuros fuiſſe. Quæſitum deinde, an Eſſexio auctore conſultatio habita fuerit? Probatur è plurium teſtimoniis, conſultationis capita ipſius manu fuiſſe perſcripta, & ipſum chartulas nonnullas in ignem conjeciſſe, ne quid, ut ipſe locutus erat, enunciarent.

Juſtitiariis Aſſeſſoribus propoſita.

Hæc ut audivit, quæ latuiſſe putavit, Spes, inquit, vitæ & impunitatis hæc teſtimonia à nonnullis elicuit. & vita impune fruantur iſti; Mors mihi quam vita multo optatior. Violentia Cobhami, Cecilii, & Raleighi, ad neceſſariam mei defenſionem me impulit, quomodocunque ingreſſum in Urbem Juriſperiti interpretentur: mihi mea conſcientia ab omni perfidiæ labe ſincera ſummo eſt ſolatio. Cobhamus aſſurgens, nihil ſe malitioſe in Eſſexium feciſſe, aſſeverat; ambitionem autem ſemper improbaſſe. Cui Eſſexius: Verum enimvero ejuſmodi calumniatorem & delatorem vel dextræ meæ mutilatione à Regina ſubmoviſſem.

Eſſexius adverſarios accuſat.

Franciſcus

Franciſcus Baconus, à Regio in rebus forenſibus conſilio, polite & oratorie colorem rebellioni ex inimicorum inſidiis quæſitum abſtergere conatus, affirmat, Cobhamum, Cecilium, & Raleighum [1] tales eſſe & animo & fortunis, ut rem & ſpem hujuſmodi ſcelere patrando nunquam projicerent. Commenta illa de inſidiis ex varietate labaſcere docet; quandoquidem Eſſexius, ſibi varius, primum ſe confoſſum iri in Lecto, mox in cymbula, & poſtremo à Jeſuitis, [2] clamitaret: quin etiam ſubinde exclamaret, Regnum Angliæ Hiſpano venale fuiſſe propoſitum. Addit, familiare [3] eſſe defectionem & rebellionem tentantibus, non Principes directe, ſed oblique per adminiſtros ferire. [4] Eſſexii factum profundæ diſſimulationis arguit, quale fuit illud Piſiſtrati Athenienſis, qui corpus ſuum ipſe laniavit, & vulneribus conſciſſum populo quaſi ab adverſariis laniatum oſtendit, indeque præſidium militum nactus rempublicam oppreſſit. Pergentem Eſſexius interrumpit, & memorat, quomodo non ita pridem Baconus litteras ipſius nomine ad Reginam contra adverſarios illos nervoſe conſcripſerat. Quod certe amice fecerat, dum Eſſexium in gratiam apud Reginam reponere ſtuderet. Ad hæc Eſſexius addit, ſe intellexiſſe, Cecilium Secretarium dixiſſe cuidam è Conſiliariis, jus Infantæ Hiſpaniæ ad Regnum Angliæ perinde æque valere ac cujuſcunque alterius Competitorum. Vix dixerat, quum Cecilius, qui auditor adſtitit in pergula occultus, in medium prodiit, & in genua procumbens Seneſchallum obteſtatur ut bona cum venia dela-

1601.

Baconus accuſationes amolitur.

Eſſexius interrumpit.

Cecilius in ſcenam prodit.

1. Raleighum, adeo ſincere probos eſſe, & ab opibus inſtructos, ut rem *Edd. priores.* 2. Clamitaret: necnon è vanitate, quum exclamaret, *Edd. priores.* 3. Eſſe Proditoribus, non Principes *&c. Edd. priores.* 4. Eſſexium profundæ diſſimulationis arguit, quaſi pietatis larvam induerat: & Piſiſtrato Athenienſi aſſimilat, qui corpus *&c. Edd. priores.*

tioni

1601. tioni tam falſæ & fœdæ reſponderet. Quo conceſſo, in hujuſmodi verba Eſſexium affatur: *Ingenio tibi cedo, quo certe abundas: nobilitate cedo: ego enim non ſum inter nobiles majores, nobilis tamen. Militaris non ſum, & in hoc me anteis. At mea me innocentia protegit, & ego hoc in foro rectus, tu reus conſiſtis. Quare provoco, ſi auſis, ut conſiliarium illum cui ego illa dixerim propalam nomines.* Abnuit Eſſexius. Pro commentitio figmento igitur habendum infert Cecilius. Negat ille. [1] Et Southamptonium una audiviſſe ait. Hinc ad Southamptonium converſus Cecilius, *Per noſtram,* inquit, *inter nos à teneris annis neceſſitudinem, per Chriſtianam profeſſionem, per familiæ honorem, adjuro & obteſtor ut hominem nomines.* Southamptonius ad conſeſſum illum ampliſſimum refert, & ad ipſum Cecilium, an ſalvo honore poſſit, & rationi ſit conſentaneum, ut nominaret? Quum nominandum omnes cenſerent, Guilielmum *Knolles,* Aulæ Regiæ Cenſorem, Eſſexii avunculum, nominat. Ille Cecilio obteſtante accerſitus, advenit, agnovitque, ſe ex Cecilio ante biennium audiviſſe, Dolmanum quendam jus Infantæ Hiſpaniæ ad Regnum Angliæ edito libro aſſeruiſſe; nec aliud quicquam ſe dixiſſe. Eſſexius inquit, At in alium ſenſum verba illa mihi erant relata. Cecilius excepit: *Malitia tua, qua mihi odium apud omnes conflare ſtudes, non aliunde promanavit, quam ex meo erga pacem ſtudio in patriæ bonum, & inflammato tuo ad bellum ardore in militarium virorum commodum, qui ad nutum adſint. Hinc edita tua contra pacem Apologia, hinc odium in omnes pacis ſtudioſos tanquam Hiſpano devotos, penitus conceptum. Tantum abeſt ut in Hiſpanicam Infantam propendeam, ut vel cogitare animus exhorreſcat.* Dum *Knolles* exſpectaretur, Procurator Eſſexium hypocriticæ ſimulationis accuſat, quod

Eſſexium affatur.

Guil. Knolles producitur.

Cecilius in Eſſexium invehit.

1. Et ad Southamptonium converſus *tantummodo in Edd. priorib.*

publice

publice Evangelicam Religionem profeſſus, Blunto tamen 1601.
Pontificiæ Religionis tolerationem promiſerat. Inficiatur ille. Bluntum autem Pontificium eſſe, ſe noſſe non diffitetur, (ille enim puer ſub Allano, qui poſtea Cardinalis, in Belgio educatus;) ejuſque converſionem expetiiſſe, nec probaſſe quidem ut Chriſtiani in cauſſa Religionis [1] morte afficerentur.

Southamptonius hîc iterum ſe ex amore in Eſſexium & ex legum ignorantia excuſat, Reginæque fidem & clementiam modeſtiſſime implorat, quam divinæ clementiæ vivum exemplar ſemper agnoverat, & in quam nihil mali vel cogitando conceperat. Southamptonius iterum ſe excuſat.

Juſtitiarii Aſſeſſores ſententiam rogati de iteratis Comitum proteſtationibus, quod nihil mali in Reginam cogitarint, pronunciarunt: *Si quis attentaverit ita ſe firmare ut Rex reſiſtere non potuerit, rebellione tenetur.* Itidem: *In qualibet rebellione Lex interpretatur ineſſe machinationem in Regis vitam & abdicationem; utique rebellem non permiſſurum illum Regem ſupereſſe aut regnare, qui in hujuſmodi proditionem & rebellionem deinceps animadvertat & ulciſcatur.* Hæc confirmarunt è jure Cæſareo, quo, aliquid contra Principis ſecuritatem committere, læſæ Majeſtatis crimen cenſetur, ex vi rationis, quia fieri non poſſit, ut, qui ſemel jus Regi dixerit, unquam permittat ut Rex priſtinam recuperet auctoritatem, aut ſuperſit, ne quando recuperet; exemplis è noſtra hiſtoria repetitis de Edw. Secundo, ac Richardo Secundo, qui à ſubditis vi armata in poteſtatem redacti haud ita poſt fuerunt etiam abdicati & è medio ſublati. Aſſeſſorum de Proteſtationibus ſententia.

Deinde J. Leveſonus ex ordine equeſtri adſtans, tumultuariam pugnam, quam dixi, juxta cœmiterium Paulinum contra Eſſexium verboſe deſcribit. Confeſſiones

1. Cruciarentur *pro* morte aff. *in Edd. priorib.*

Comitis

1601. Comitis Rutlandiæ, Baronum Cromwelli & Sandii poſtea perleguntur.

Eſſexius jam mitius reſpondet, ſe nihil niſi vim vi repellere cogitaſſe, nec in Urbem tam inconſiderate ingredi voluiſſe, niſi vitæ periculum impendiſſe proſpexiſſet. Procurator deinde conjurationem recentem Leæi, & Hibernica quædam, urget; item regnum affectatum, Atheiſmum & Papiſmum denuo objectat, quæ ille inficiando negat; Et hujuſmodi, inquit, calumnias non dubito quin Chriſtiane moriendo facile abſtergam. Baconus poſtea ſententias Judicum, quibus Comites læſæ Majeſtatis tenebantur, recenſet, nec illos poſſe hoc crimen excuſare, docet, qui à Magni Sigilli Cuſtode juſſi, & à feciali moniti, arma non poſuerant. Eſſexius inquit: Fecialem præter ſtigmaticum illum vidi nullum, quem pro feciale non habui. Si aliud quicquam apud animum ſtatuiſſem quam meam contra privatos adverſarios defenſionem, cum tantula cohorte tamque inermi, (niſi enſibus enim, pugionibus & ſclopetis minoribus, non erant armati) haud prodieram. [1] Cui Baconus; At in hoc imitatus es recens exemplum Guiſii, qui Lutetiam nihilominus non ita pridem cum pauculis ingreſſus, cives ad arma ita concitavit ut Regem urbe exturbaret. Et fecialis ille, quamvis nequam, fecialis tamen.

Mox juſſu Seneſchalli Comites amoti. *Pares* conſurgentes & ſecedentes inter ſe contulerunt, & re mature deliberata ante horam ad ſedilia reverſi,, ſinguli ſuis ſuffragiis Eſſexium & Southamptonium reos pronunciarunt. Actuarius ex formula hoc illis ad repagulum revocatis ſignificat, & ſeorſim ſciſcitatur, an quid inter-

1. Cui Baconus; Vafre hoc à te factum, qui in civium armis ſpem totam defixiſti, ut te tuoſque armarent, & pro te arma caperent; imitatus in hoc Guiſium, qui Lutetiam non ita pridem *Edd. priores.*

ponerent

ponerent cur ſententia non pronunciaretur ?. Eſſexius 1601.
Pares obteſtatus, ut apud Reginam pro Southamptonio
qui bene mereri poſſet intercederent: *De vita*, inquit,
*ego minime ſum ſollicitus; nihil mihi magis in votis eſt,
quam ut fide integra in Deum & Principem vitam deponam,
quæcunque ſit juris in me interpretatio. Nolim
tamen,* [1] *quis Reginæ ſignificet, me clementiam ejus
aſpernari, quam tamen me eblandiendo imploraturum
eſſe haud credo. Vos oro, ut in conſcientiæ veſtræ foro
me, qui nihil mali in Principem meam cogitavi, abſolvatis,
etſi in foro judicii condemnaveritis.*

Southamptonius Reginæ miſericordiam demiſſiſſime efflagitat, *Paresque*, ut intercederent, & gratiam, imo & conſcientiam, interponerent, maximopere obſecrat; rurſus proteſtatus, ſe nefariam in Reginam cogitationem nunquam concepiſſe, adeo ſuavi oratione & ingenua modeſtia, ut omnium adſtantium animos ad miſericordiam commoveret.

Seneſchallus jam gravi habita oratione, qua monuit Eſſexium, ut Reginæ miſericordiam expoſceret, ſententiam funeſtam conceptis verbis de ſuſpendendo, corpore membratim diſſecando, &c. pronunciavit. Securi jam in illos converſa quæ antea averſa, Eſſexius inquit: *Hoc corpus meliorem operam Reginæ navare potuiſſet, ſi ita illi viſum: Gaudebo ſi quocunque modo ſit uſui.* Rogat ut ante mortem Euchariſtiæ myſterio participaret, & Aſhtonus verbi Miniſter in animæ medicinam ſibi adeſſet. A Wigorniæ Comite, & ſummo Angliæ Juſtitiario, quod in cuſtodia detinuerit; à Morleio & La-Waro, quod eorum filios totius rei ignaros in periculum præcipitaverit, culpam deprecatur. Ita Seneſchalliæ bacillo fracto itum eſt. Hæc, quibus interfui, fide incorrupta compendio memoravi, nec quicquam memoria dignum,

Sententia in eos pronunciatur.

1. Ut quis *Edd. priores.*

1601. niſi me mea fefellit obſervatio, volens prætermiſi.

Alii in judicium vocantur. Poſtridie in judicium adducuntur Robertus Vernonius, Guilielmus Conſtabulus, Edmundus Bainhamus ex ordine equeſtri, Joannes Littletonus, Henricus Cuffus Eſſexio ab epiſtolis, Whitlockus militum ductor, Joannes & Chriſtophorus Wrighti fratres, atque Orellus veteranus [1] incurvicervicus. Simul ac dextram ſinguli ex more ſuſtuliſſent, litteræ à Regina intervenerunt, quibus illa, à Fulcone Grevillo edocta, pleroſque in fraudem imprudentes fuiſſe allectos, juſſit, ut Littletonus, jam perdita valetudine, Bainhamus, qui laſcivia & magiſtratuum contemptu præceps abierat, & Orellus, judicio ſubjicerentur; ceteri in carceres remitterentur. Bainhamus & Orellus ignorantiam in excuſationem attulerunt, ſe Comites ex obſervantia ſecutos. Littletonus, teſtimonio Danverſii, qui eum in ſocietatem allexerat, oppreſſus, conſultationi interfuiſſe diffiteri non poterat. Quum inter accuſandum, ſcelus & ſeditionem cogitaſſe coargueretur ex numero equorum & armorum quæ in diverſorio tunc temporis habuit, reſpondit, facultates pares eſſe pluribus equis alendis, arma & equos ſibi ſemper cordi fuiſſe. Damnatus cum ceteris, nihil aliud dixit, quam, ſublatis ad cœlum oculis, *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.* Vitæ tamen omnium parcitum, quam Bainhamus pecunia Raleigho numerata redemit, Littletonus morbi violentia haud ita poſt naturæ reddidit. Orellus pœnas carcere aliquandiu luit.

Eſſexio interea animum, ſive ſua ipſius conſcientia, ſive terror à Miniſtro injectus, ita verberavit, ut perſuaſiſſimum fuerit, ſe ad inferos amandandum, ſi quid veri reticeret, & conſcios non proderet. Unde petiit aliquos è primariis Conſiliariis, & nominatim Cecilium, præſentes alloqui. Accedunt vero Sigilli Magni Cuſtos,

Eſſexius colloquium expetit.

1. *Deeſt* incurvicervicus *in Edd. prioribus.*

Theſau-

Theſaurarius, Admirallus, & Cecilius. Poſtquam à Sigilli Cuſtode deprecatus eſſet quod eum in cuſtodiam dederit, & à Cecilio quod eum in cauſſa *Infantæ* ſugillaverit; utrinque facta eſt in charitate Chriſtiana reconciliatio, [1] & ſe & alios nonnullos totius conſilii ignaros falſo accuſavit. Deinde innuit, Reginam ſoſpitem eſſe non poſſe ſi ille ſuperſit. Orat ut ſupplicium privatim intra Arcem luat. Aliquot conjurationis participes graviter incuſat ut peſtem & perniciem patriæ [2] anhelantes: Bluntum inprimis, & Cuffum quem præſentem affari percupiit. Ut vidit, in hæc verba erupit: *Cuffe, à divino numine & Regia Majeſtate veniam expoſcas, & fac mereare. Ego alteram vitam jam totus cogito, cum animo ſtatui ſincere coram Deo & hominibus agere: nec poſſum non hoc tibi plane proloqui. Tu ad hanc perfidiam me inprimis concitaſti.* 1601.

Cuffum coarguit.

Cuffus his verbis exanimatus, Eſſexii inconſtantiam, quod ſibi devotiſſimos prodiderat, paucis aſperius perſtrinxit, & obmutuit.

Henricum etiam Nevillum Equitem clariſſimum, ut conjurationis non ignarum, edidit, qui jam ordinarius in Galliam Legatus, reverſurus de Tractatu Bleſenſi ratihabendo & deprædationibus utrinque [3] coërcendis; ex itinere revocatus in Admiralli cuſtodiam committitur. Edidit etiam quoſdam in Scotia, Gallia, Belgio, & Montjoium Hiberniæ Proregem, quaſi à ſuo conſilio non alienos, & alios in Anglia; qui quum plures eſſent, & ille Hiberniam feliciter adminiſtraret, Regina pro prudentia diſſimulavit.

Conſilii conſcios aperit.

Nec ſatis habuit hos verbis edere, ſed etiam Miniſtro illo territante & lancinante conſcientiam, ſæva ſibi

1. *Deſunt* & ſe & alios *&c.* accuſavit *in Edd. priorib.* 2 Anhelantes: affari percupiit Bluntum inprimis, & Cuffum. Ut vidit, *Edd. priores.* 3 Coërcendis; unde ille ex it. *Edd. priores.*

 mi[illegible]ntem,

1601. minantem, etiam ſcripto ſub ſua manu illud edidit, quod ab adverſariis Regi Jacobo exhibitum ſuæ ſuorumque exiſtimationi multum detraxit.

Die vigeſimo quinto Februarii, [1] qui ſupplicio deſtinatus, ad eum miſſi erant bene mane Thomas Montfordus, & Guilielmus Barlowus, Sacroſanctæ Theologiæ Doctores, cum [2] Aſhtono Miniſtro, ad animam Chriſtiana conſolatione firmandam. Coram his numini divino ex intimo cordis gratias agit, quod cœpta ſua Reipublicæ pernicioſa non proceſſerint, quod jam penitus peccatum ſuum inſpexerit, non ſine ægritudine, quoniam cauſſam injuſtam tam pervicaciter in judicio defendiſſet. Reginæ gratias habet, quod permiſerit, ut ſupplicium de eo non publice ſumeretur, ne populi acclamatione animus jam compoſitus de ſtatu dimoveretur, teſtatus, ſe jam [3] didiciſſe quam vana ſit aura popularis, & agnovit, quam merito à Republica eſſet *evomendus* (ita loqui placuit) ob crimen ſceleris ſuſcepti, quod aſſimilavit Lepræ longe lateque diffuſæ, quæ plures infecerat.

Reginam interea animo fluctuantem hinc priſtina in hominem benevolentia ad aliquam clementiæ partem revocavit, quæ juſſit per Edwardum Carium, ne ſupplicio afficeretur; illinc abrupta contumacia, qui veniam orare dedignatus, &c, ſe non poſſe vivere ſine Reginæ pernicie, palam dixerat, ad ſeveritatem ita exacuit, ut mox per Darcium rurſum imperaret.

Ad ſupplicium ducitur. Producitur itaque ille inter Theologos ad tabulatum in Arcis Londinenſis area; juxta quod ſederunt Comites, Cumberlandiæ, & Hertfordiæ; Vicecomes Howardus Bindonius, Barones, Howardus Waldenius, Darcius à *Chile*, & Comptonus. Aderant etiam aliquot Senatores

1. Qui ſupplicio ſumendo deſtinatus, *Edd. priores*. 2. Aſhtono Eccleſiæ Miniſtro, *Edd. priores*. 3. Dedidiciſſe *Edd. B.*

Londinenſes & ex ordine Equeſtri, inter quos Raleighus 1601.
eo conſilio, ſi ipſi credamus, ut reſponderet, ſi quid ſibi à morituro objiceretur, alii tamen præſentiam in deterius interpretati, ut cruciatu oculos paſceret & odium ſanguine exſaturaret. Admonitus autem ne morienti inſtare videretur, quod ignobilium eſt ferarum, ſe longius ſubduxit, & ex armario ſpectavit.

Eſſexius, quamprimum in tabulatum aſcenderat, caput detegit, oculiſque in cœlum ſublatis, magna multaque fuiſſe juventutis ſuæ peccata, agnovit, pro quibus ab æterna Dei Majeſtate per Chriſtum Mediatorem veniam ardentiſſime precibus efflagitavit, maxime pro hoc poſtremo peccato, quod *Sanguinolentum*, *Clamans*, & *Contagioſum* dixit, quo tot ſeducti, in Deum, Principem, & Patriam peccaverunt. Reginam & Adminiſtros, ut ignoſcerent, obſecravit, longævam vitam, & proſpera quævis comprecatus; proteſtatus ſimul, ſe nunquam vim in Reginam vel cogitaſſe. Deo gratias egit, quod nunquam fuit Atheus aut Papiſta, ſed ſpem totam in Chriſti meritis defixerat. Deum oravit ut animum contra mortis terrorem firmaret. Adſtantes rogavit ut animos una ſecum precatiuncula conjungerent, quam anhelus ferventiſſimo internæ devotionis affectu ejaculatus eſt. Poſtea carnifici veniam petenti ignovit. Symbolum Apoſtolicum recitavit, collumque trunco admovens proſtratus, primis quinquageſimi primi Pſalmi verſiculis repetitis, dixit: *In humilitate & obedientia ad pœnam promeritam me proſterno; Tu, Deus, ſervuli proſtrati miſerere. In manus tuas, Domine, Spiritum commendo meum.* Caput tertio ictu erat amputatum; primus autem ſenſum & motum abſtulit. Supplicio afficitur.

Ita piiſſime & vere Chriſtiane (licet hanc pietatem ut miniſtello quam viro bellicoſo digniorem Bironius Gallus & alii prophani [1] ſubſannarent, quaſi formido in-

1. Subſannarant *Elz. Sen.*

ferni

1601. ferni non eſſe Chriſtiani fortitudo) vitam cum morte commutavit Robertus *D'evereux* Eſſexiæ Comes, anno ætatis triceſimo quarto: ut pater non omnino vanus fuerit, qui moriens triceſimum ſextum ætatis annum filio cavendum præmonuit; ut effatum illud animo divinitus injectum videatur. Sed hæc jam dicta anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Vir erat virtutibus, quæ quidem nobiliſſimo dignæ ſunt, inſtructus ſingulis. Genus illi antiquum & pernobile: cognomen familiæ ab Ebroicis (*Evereux* vulgo vocant) Normanniæ urbe. Opes & Baronis dignitas à conjugio olim cum [1] herede Baronis Ferrarii de Chartley, ſplendor ab altero conjugio cum Cecilia Guilielmi Bourchieri filia, cui avia erat ſoror Edwardi Quarti Regis Angliæ, proavia filia Thomæ Woodſtochii filii Regis Edwardi Tertii, nata ex altera Humfredi Bohuni Comitis [2] Herefordiæ & Eſſexiæ filia: unde Waltero proavo titulus Vicecomitis [3] Herefordiæ ab Edwardo Sexto collatus, & patri Comitis Eſſexiæ honor ab Elizabetha.

Ejus elogium.

Genus & ingenium.

Ille juvenis bonarum litterarum & veræ pietatis ſtudiis Cantabrigiæ innutritus, [4] à Leiceſtrio Reginæ commendatus, & in equorum præfectura ſuffectus, ægre gratiam ab ea iniit quæ ab ipſius matre alienior. Verum ubi primum obſequio gratiam conciliaverat, illa ære alieno, quod pater in ærario contraxerat, exoneravit; in Georgianum [5] ordinem, & poſtea in Sanctius conſilium, viceſimo tertio ætatis anno vix completo, adſcivit: exercitibus ſæpius præfecit, licet eum fortuna ſæpe deſtituerit; (non dixero cum Aſtrologis, ex Marte, qui undecima cœli ſtatione afflictiſſimus naſcenti affulſerat:) honoribus & beneficiis indies cumulavit, plurimique

1. *Deſunt* herede *&c.* conjugio cum *in Edd. priorib.* 2. Hertfordiæ *Edd. priores.* 3. *Et hîc item* Hertfordiæ *in Edd priorib.* 4. A[illegible]o Leiceſtrio *Edd. pr.* 5. Ordinem & Sanctius conſilium *Edd. priores.*

æſtimavit

æſtimavit quod & animum ſtudiis honeſtis & corpus 1601.
periculis exercere videret. Quum jam non ſpeciem ſed vim in Reginæ gratia haberet, properavit (ut prudentiores Aulici querebantur) & æquales & ſuperiores anteire, omnium laudi, qui ipſi non devoti, [1] detrahere, aliorum potentiam vel gratiam apud Reginam iniquiſſime ferre, popularem auram ſemper brevem & injuſtam, atque militarem nunquam non periculoſam, comitate & liberalitate aucupari. Cœpit etiam [2] & contumaciam adhibere in Reginam, à quadam animi magnitudine potius quam à ſuperbia, poſtquam illa ex benignitate novis beneficiis redintegrata gratia ſubinde locum aperuiſſet. Sed contumacia cum pervicacia in beneficiis quaſi extorquendis, faſtidioſus quidam obſequii neglectus, & ſubdolæ æmulorum artes, Reginæ animum ſenſim immutarunt, [3] demum prorſus abalienarunt, [4] & partos ſperatoſque honores quaſi momento everterunt.

Nec ille certe ad aulam factus videbatur, qui ad ſcelera ſegnis, ad offenſionem accipiendam mollis, ad deponendam difficilis, & ſui minime obtegens, ſed, ut Cuffus mihi conqueri ſolitus, φιλοφανεῖς & μισοφανεῖς, id eſt, amorem & odium in fronte ſemper geſſit, nec celare novit. Ut verbo expediam: Nemo gloriam ex virtute magis [5] concupivit, & cetera omnia minus curavit.

Uxorem duxit Franciſcam Franciſci Walſinghamii filiam, Philippi Sidneii viduam, (Regina inconſulta, ideoque offenſa, quaſi ea affinitate Eſſexianæ familiæ dignitatem depreſſiſſet,) è qua progenuit Robertum filium, Franciſcam & Dorotheam: at ex Southwellia amaſia Walterum. Uxor & liberi.

1. Obtrectare *pro* detrahere *in Edd. priorib.* 2. Et contumaciam in Reginam, *&c.* quam à ſuperbia, adhibere, poſtquam *Edd. priores.* 3. Et demum *Edd. priores.* 4. *Deſunt* & partos *&c.* everterunt *in Edd. prioribus.* 5. Expetivit *Edd. priores.*

Quinto

1601. Quinto die Martii, Chriſtophorus Bluntus, Carolus Danverſius, Joannes Daviſius, Gillius Mericus ex ordine Equeſtri, & Cuffus, in judicium vocantur, in Prætorio Weſtmonaſterienſi, coram ſummo Angliæ Admirallo, Hunſdonio Camerario, Cecilio Secretario, Joanne Forteſcuo Fiſci Regii Cancellario, primario Angliæ Juſtitiario, & aliis delegatis. Accuſantur de iiſdem, quibus Eſſexius, criminibus: ſcilicet quod perniciem Regiæ Majeſtati machinati erant, conſultando de Regia Majeſtate opprimenda: in urbe rebellando, &c.

Alii in judicium vocantur.

[1] Merico & Cuffo jam ſubmotis, tres priores ſciſcitati ſunt, an non poſſent alteram accuſationis partem fateri, alteram inficiari? Pernegarunt enim, ſe perniciem Principi machinatos eſſe. Judices, ut antea, pronunciarunt: Qui rebellat, ut Regi legem præſcribat, Regiamque poteſtatem coërceat, perniciem Regi machinatur: & cogitat eundem cum imperio tum vita ſpoliare.

Hæc probarunt prolatis exemplis ruſticorum [2] qui in agro Oxonienſi & Cantio patrum memoria Majeſtatis damnati eo quod convenerint, & arma ſumpſerint; hi de augendo diurni operis pretio, illi ad ſepimenta agrorum compaſcuorum dejicienda. In hanc ſententiam plura produxerunt; & docuerunt, fieri non poſſe, quin, qui Principem in poteſtatem redegerint, iidem etiam vim illaturi ſint; quia victores ſemper ſunt inſolentes, & multitudinis furor cohiberi non poteſt; quæ, ut ſuæ ſecuritati caveat, nullum unquam facinus detrectavit.

Chr. Bluntus.

Confeſſionibus ſuis Bluntus urgetur, & confeſſione ipſius Eſſexii, qui eum ut ſceleris inſtigatorem accuſa-

1. Tres priores *&c.* machinatos eſſe. Merico jam & Cuffo ſubmotis, Judices, ut antea, *Edd. priores*. 2. Qui læſæ Majeſtatis damnati fuerunt, patrum memoria, eo quod in agro Oxonienſi & Cantio convenerint, *Edd. priores.*

vefat

vetat, quam ut lectam audivit, & Eſſexii manu ſubſignatam vidit, præ admiratione quaſi obſtupuit; & majorem in modum petiit ut alio in loco cum Admirallo & Cecilio ea de re colloqueretur: palam autem ſuſpirans, oculis ſublatis, dixit, *Tu ſumme Deus noſti à cujuſmodi cœptis ego Eſſexium diſſuaſerim.* Legitur deinde Thomæ Leæi, quem dixi, confeſſio, qui agnovit, ſe Blunti licentia (qui Mareſcallus erat in bello Hibernico) miſiſſe ad Tir-Oenium, ab eoque per internuncium intellexiſſe, Tir-Oenium dixiſſe; Si Eſſexius ipſi auſcultaret, ſe effecturum ut ille totius Angliæ longe potentiſſimus evaderet. Item affirmatur, Leæum dixiſſe, ſibi compertum eſſe, Eſſexium, Tir-Oenium, & Bluntum, idem ſpirare. Nec negavit Bluntus, ſe Eſſexii juſſu Leæo licentiam mittendi & itandi ad Tir-Oenium feciſſe. Leguntur & alia ex Hibernia tranſmiſſa ad comprobandam conſociationem inter Eſſexium & Tir-Oenium. 1601.

Flemmingus Regius ſollicitator ad Danverſium jam converſus diſſerit ex juris apicibus: Si quis conſilium ſumendi arma contra Principem neſciat, conſilii tamen participibus ſe in actione conjungat, læſæ Majeſtatis teneri. Danverſium autem multo magis teneri, quem inter conſultationis & conjurationis participes fuiſſe, ex ipſius & ceterorum confeſſionibus evincitur. Danverſius.

Ille nihil contra, niſi quod periculum fortunarum & capitis in hac cauſſa præ amore erga Southamptonium neglexerit: (ille enim Danverſium ob homicidium fugientem receperat, occultaverat, & in Galliam tranſmiſerat, ubi caſtra cum fortitudinis laude ſecutus, donec Regina ægre exorata vitæ gratiam feciſſet.)

Daviſius ſua ipſius conſcientia & confeſſione convictus, quodammodo obmutuit, & ſugillatus obiter quod Pontificius eſſet, haudquaquam negavit, ſe ab inſtitutore in Academia Oxonienſi in Pontificia Religione fuiſſe Daviſius.

1601. iſſe informatum, & in eadem à Blunto, dum in Hibernia militaret, confirmatum. Quo verbo quum Bluntum commotum videret, mox placavit, aſſerens, ſe non Blunti perſuaſione, ſed exemplo Chriſtianæ ejus & integræ vitæ in ea Religione confirmatum fuiſſe.

H. Cuffus. Cuffus deinde cum Gillio Merico pro tribunali ſiſtitur. Premitur indiciis Danverſii, Eſſexii, & Henrici Nevilli. Danverſius ediderat, Cuffum omnium conſultationum gnarum fuiſſe, & Regiam invadendam ſemper ſuaſiſſe. Eſſexius coram Conſiliariis, eum fuiſſe inſtigatorem totius proditionis, aſſeverarat, ſuaque manu teſtatus erat. Et Henricus Nevillus ingenue confeſſus erat, (ſi mea me non fallit memoria, tum enim præſens confeſſionem recitatam audivi,) Cuffum ſibi è Gallia reduci ſuggeſſiſſe, illi imputatum iri quod Tractatus ad Bononiam ſucceſſu caruiſſet; poſtea ſæpius adiiſſe, & perſuaſiſſe ut Eſſexium inviſeret, quod ſemel fecit. Poſtea, quum jamjam in Galliam reverſurus eſſet, exoraſſe ut Drurianas ædes adiret, & quid conſultaretur audiret, proteſtando, nihil ibi proponendum quod non ſit Reipub. & Eſſexio uſui, quodque ſalva in Reginam fide exaudiri poſſet; demum oraſſe ut Comiti adeſſet quum Reginam invaderet, conſiliumque ſuſceptum explicaſſe. Quod quum Nevillus ut periculoſum, difficile & ſceleratum improbaſſet, & irridens, ex iis eſſe diceret, *quæ non laudantur niſi peracta*: Cuffum periculum & difficultatem extenuaſſe; innuiſſe, Urbem Londinum & Senatorum plures Eſſexio devotos eſſe & ad nutum adfuturos, illudque Lucani uſurpaſſe: *Arma tenenti omnia dat qui juſta negat*. Nec Cuffus hæc inficiatus eſt. Procurator Regius hinc ſyllogiſtice argumentatur; ille tam acute & dialectice reſpondet, ut Cecilius Sophiſtam ſubtilem eſſe dixerit, & Anderſonus in Communium Placitorum tribunali Juſtitiarius ſupremus ſubiratus u-

trumque

trumque ſtolidos ſyllogiſmos contexere inclamaverit, legem Majeſtatis Edwardo III. regnante latam acriter perurgens. Ut ſemel dicam: Cuffus ad hæc duo tanquam defenſionis capita ſe recipit. Quod, inquit, Majeſtatis læſæ acceſſor, quia in Eſſexianis fui ædibus die rebellionis, eadem ratione & leo in cavea accerſatur Majeſtatis. Toto eo die afflictiſſimam Comitis fortunam deplanxi, nec quicquam aliud omnino egi. Suaſi quantum poteram ut Reginæ miſericordiam ſupplex imploraret. Conſultatio vero in ædibus Drurianis non magis crimen læſæ Majeſtatis cenſenda, quum in effectum non prodierit, quam embryon, fœtus perfectus. Juriſperiti contra docuerunt, nullam manendi in illis ædibus neceſſitatem illi impoſitam fuiſſe; ſuas partes ſingulis in illa actione deſcriptas, aliis ad ædes propugnandas, è quorum ille numero, aliis ad Urbem occupandam, qui mutuas operas traderent; & in læſæ Majeſtatis crimine omnes participes ex æquo teneri. Conſultationem in ædibus Drurianis per ſe crimen eſſe læſæ Majeſtatis, quoniam in Majeſtatis perniciem conſultatum, & in actum proruperat. Denique è juris-prudentia reſponderunt: Si plures in Principem conjurent, & deſtinata diverſa ratione exſequantur; unum tamen idemque omnium crimen judicatur ex communi omnium conjurantium malitia. Hæc prudentum reſponſa, atque Eſſexii, Nevilli, & Danverſii confeſſiones, Cuffi cauſſam jugularunt. 1601.

Mericus accuſatur, quod miſſis litteris fratrem ſuum Salisburium, [1] Gwinum, & alios expertæ audaciæ viros, ad partes pellexiſſet; ædes Eſſexianas defendendas ſuſcepiſſet; eaſdem contra Reginæ copias communiſſet, & propugnaſſet; exoletam Tragœdiam de tragica abdicatione Regis Richardi Secundi in publico theatro coram [2] conjurationis participibus data pecunia agi curaſſet. Gillius Mericus.

1. Groinum *Edd. priores.* 2. Conjuratis data pecunia *Edd. pr.*

1601. Quod ab eo factum interpretati ſunt Juriſconſulti, quaſi illud pridie in ſcena agi ſpectarent, quod poſtridie in Elizabetha abdicanda agendum. Liberque paullo ante eodem argumento ab Haywardo erudito viro editus, & Eſſexio dicatus, eandem judicii aleam ſubiit, quaſi in documentum & incitamentum Reginam ſolio deturbandam ſcriptus; infelici auctoris fato, qui diuturno carcere luit intempeſtivam editionem, & hæc verbula in Præfatione ad Eſſexium, *Tu magnus ſpe, major futuri temporis exſpectatione*. Mericus obfirmato ſilentio hæc audivit, nec aliud dixit, quam, *Eſſexius me extulit, idemque evertit*.

Damnatorum petitiones. A Duodecim-viris ſinguli læſæ Majeſtatis rei ſunt peracti. Sententia funeſta prolata, Bluntus & Danverſius orarunt, ut nobiliorum ſupplicio afficerentur, id eſt, capite truncarentur. Et ſane nobile utrique genus erat: huic mater filia & una heredum Nevilli Baronis Latimeri ex Henrici Comitis Wigorniæ filia; avia, Baronis Mordanti filia; proavia è ſtirpe Courteniaca: ille è Bluntis de *Kiderminſter* natus, qui ex eadem familia qua Barones Montjoii. Daviſius oravit, licet non perinde genere nobilis eſſet, idem ſupplicium ſubiret; ſin minus, ne membratim diſſecaretur, ſed Chriſtiano ritu exanime corpus inhumaretur.

Cuffi ſupplicium. Martii XIII. ad Tiburnam trahuntur Mericus & Cuffus. Hic ad patibulum in hanc ſententiam, ut ſummatim perſtringam, locutus eſt: *Huc adductus* [1] *ſum, ut naturæ debitum ſolvam, & delicta in Deum, Principem, & Patriam luam. Firmiſſime credo, ut delictorum meorum multitudinem intuendo infinitam numinis juſtitiam perſpicio; ita ex* [2] *inflicti ſupplicii gravitate me infinitam numinis miſericordiam experturum. Humanæ ſortis*

1. *Deeſt* ſum *in Ed. Lond.* 2. Inflicta ſupplicii magnitudine *Edd. priores.*

exemplia

exempla hîc ſpectamur. Mors, quæ nobis ſubeunda, terribilis eſt, (vitæ enim dulcis illecebra etiam optimos mulcet,) & ſane ignominioſa eſt. Atqui illa tamen etiam optimis, imo & Dei Sanctis, communis eſt, quibuſcum in Chriſto reſurgendi ſpes mihi certa. Nec quis hinc opinetur, me meis meritis præfidere; faceſſant illa: In pretioſo Servatoris ſanguine ſpem totam defigo. Perſuaſiſſimum mihi eſt, quicunque in hac vita plectitur, eodemque momento cœleſte ſolatium interne perſentiſcit, Deum ut patrem non ut Judicem in hunc animadvertere. Ad ſupplicii cauſſam ut accedam: Nemo non novit quam turbulentus fuerit tumultus ſub magno illo Comite parum conſiderato die VIII. *Februarii. Deum, Angelos & conſcientiam teſtor, me ejuſdem conſcium non fuiſſe, ſed toto die intra parietes concluſum ploraſſe & planxiſſe. Quod ad machinationem ſpectat, illa duplex.* Hîc interruptus, & monitus, ne diſtinguendo veritati illuderet, [1] nec ficulnea folia ad crimen tegendum adſueret: *Fateor*, inquit, *ſummum eſſe ſcelus, imo Majeſtatis crimen, ſi ſubditus de gradu dejectis viam ad Regiam Majeſtatem vi & armis aperiret; Ego neminem ad arma contra Reginam incitavi. Quod nobili illi viro Henrico Nevillo periculum conflavi, dolenter ingemiſco, utque ignoſcat, vehementer obſecro. Quod dixi, ex viginti quatuor Senatoribus Londini viginti & unum Eſſexio devotos fuiſſe, hoc de ipſorum in Eſſexium propenſiſſimo animo, non quod arma pro eo ſumerent, intellexi.* Iterum interruptus, ad preces ſe convertit vehementiſſimas, fidemque in Deum devotiſſime profeſſus, & veniam à Deo & à Principe efflagitans, vitam laqueo finivit. Vir exquiſitiſſima doctrina, ingenioque acerrimo, ſed turbido & tortuoſo.

Hunc eodem mortis genere ſecutus eſt Gillius Mericus, animo omnino imperterrito; & qui quaſi vitæ pertæſus

Et Gillii Merici.

1. Et *pro* nec *in Edd. priorib.*

tæſus

1601. tæſus Cuffum ſemel atque iterum interpellavit, monuitque, ut moriturus intempeſtivam ſapientiam omitteret. Montjoium ut rei ignarum excuſavit, nobileſque adſtantes oravit, ut apud Reginam intercederent, ne in plures ex jure ageretur qui imprudentes ad criminis ſocietatem acceſſerant.

Supplicium de Danverſio ſumptum. Perendie in colle ad Arcem Londinenſem Carolus Danverſius & Chriſtophorus Bluntus capite obtruncantur. Danverſius, etſi x. millia librarum ad vitam vel in perpetuo carcere redimendam obtuliſſet, ſedatiſſimo animo & vultu mortem oppetiit vere Chriſtiane, quum veniam à Deo, à Principe (cui omnia feliciſſima precabatur) & à Greio præſente petiiſſet, cui ſe inimiciſſimum fuiſſe profeſſus, non ex aliqua Greii in ipſum injuria, ſed ex intimo erga Southamptonium amore, quocum Greius indictas inimicitias exercuerat.

Et de Blunto. Bluntus, quum pegma aſcendiſſet, circumfuſam multitudinem in hanc ſententiam alloquitur: *Etſi tempus potius poſtulet, ut, ceteris rebus omnibus poſthabitis, divinam miſericordiam pro peccatis implorem, nihilominus, quum Eſſexium ad ſcelus inſtigaſſe inſimuler, & animam ſalvam velim, veritatem dicam. Ante triennium Eſſexii animum infenſiorem & ambitione incenſum primum perſpexi. In Hibernia, dum ad Rhebanum caſtrum vulneratus decumberem, & poſtea Dubliniæ, mihi ſignificavit, ſibi deliberatum eſſe, lectiſſimas cohortes ex Hibernia ad Milfordum in Auſtrali Wallia portum tranſmittere, eundem occupare, majorem militum manum contrahere, & Londinum progredi. Ego re penitus conſiderata diſſuaſi, ut periculi plenum & multo ſanguine conſtiturum. Suaſi ſane ut cum ſelectiſſimorum numero Regiam occuparet, & æquas ſibi conditiones extorqueret. Quamvis verum ſit, quod nunquam inter conſultandum animum induximus Reginæ vim inferre; neſcio tamen ſi for-*

ſi fortuna cœptis noſtris non defuiſſet, an res ſine Reginæ 1601.
cæde & ſanguine tranſigi potuerit. Poſtquam ille ſui juris factus eſſet, in Eſſexianis ædibus de iiſdem conſiliis denuo mecum agitare cœpit: at nihil certo ſtatuit. Poſtea me rure accerſivit, haud multos dies ante hanc rebellionem. Cetera explicate confeſſus ſum coram honoratiſſimo Admirallo, & digniſſimo Secretario; quibus ut meo nomine ſalutem impertias, te Raleighe rogo, & à te veniam expoſco. Jam oculis ad cœlum ſublatis, inquit, *Regiam Majeſtatem Deus tueatur & conſervet; cogitationibus meis ſceleratiſſimis, vitæ intemperanter actæ, tu Deus pro infinita miſericordia ignoſcas. Me Catholicum mori, conteſtemini velim, ita tamen ut in Chriſti morte & meritis ſpem totam unice collocem; ſimulque pro me comprecemini.* Deinde Greio & Comptono adſtantibus valedicit, ſubmiſſaque voce precatus, carnifici collum animoſe ſubjicit.

Ita Eſſexii, Cuffi, Merici, Danverſii & Blunti ſupplicio, rebellio conſopita, tranquillitas Reipub. reſtituta, & reliquorum mentes ſanatæ, mulcta ditioribus inflicta, quam pauculi ſolverunt, ceteris vita donata, & crimina clementiſſime remiſſa. Southamptonius & Smithus Vice-Comes Londinenſis in carcere detenti. Huic tamen falſo ex paucorum delationibus & Eſſexii credulitate inſimulato & graviter exagitato vel Principis clementia vel innocentia tandem fuit præſidio, & cautione interpoſita liberatus.

Die VIII. Julii Henricus Nevillus coram nonnullis Conſiliariis Regiis & Judicibus in ædibus Eboracenſibus ſiſtitur, & arguitur, conſultationibus in ædibus Drurianis interfuiſſe, conſilia ibi propoſita non aperuiſſe, & arcana Legationis ſuæ Gallicæ Eſſexio [1] communicaſſe. Fatetur ſe Diaria Legationis Gallicæ Eſſexio roganti

Hen. Nevillus carceri adjudicatur.

1. Impertiiſſe *Edd. priores.*

1601. [1] monſtraſſe, uni ſolummodo conſultationi interfuiſſe, conſilia propoſita quaſi ægri inſomnia contempſiſſe, nec Eſſexium tantoſque viros deſerere auſum eſſe, dum delatoris nomen fugeret, atque ſperaret, eos conſilia tam inconſiderata nec dum fixa mutaturos, aut ſe poſſe ſatis mature & ſine ſuſpicione aperire quum in Galliam rediiſſet. Ille tamen omnium ſuffragiis graviter reprehenſus, quaſi graviore pœna dignus, carceri adjudicatur.

J. Daniel impoſtor punitur.

Ad hanc cauſſam etiam ſpectat ſententia his diebus in Camera Stellata pronunciata, ideoque minime reticenda. Eſſexium de litteris adulteratis conqueſtum fuiſſe, ſupra dixi. Hac de re diligenter inquiſitum, & deprehenſa inſignis impoſtura. Comitiſſa ejus uxor, marito & ſibi in hac turbida tempeſtate timens, litterulas amatorias, quas ab illo acceperat, in capſulam conjectas fidei Rihoviæ mulierculæ Belgicæ commiſit. Illa domi ſuæ occultavit. J. Daniel Rihoviæ maritus forte fortuna in eas incidit, perlegit; &, quum in iis aliquid ineſſe obſervaſſet quod periculum Comiti crearet & Reginam irritaret, ab artifice in chirographis ementiendis aſſimilari curavit. Deinde pavidæ mulieri jam puerperæ denunciavit, ſe in inimicorum mariti manus mox traditurum, niſi tria millia librarum [2] in præſentia numeraret. Illa, ut periculum vitaret, mille centum ſeptuaginta ſtatim numeravit, nec tamen autographa ſed ectypa pro tanta pecunia ab impoſtore accepit, qui magna etiam pecunia pro autographis Eſſexii adverſarios emungere cogitarat. Hac de impoſtura ille in perpetuum carcerem damnatus, tribus librarum millibus, quarum duo Eſſexiæ cederent, mulctatus, & auribus in colliſtrigio affixis ſpectaculo expoſitus cum hoc programmate: *Falſarius & impoſtor improbus.*

Scoticis Legatis reſpondetur.

Paullo ante Scotici Legati, Comes Martius & Kinloſſus, quos ſerius adveniſſe diximus, Reginam acceſſerunt:

1. Impertiiſſe *Edd. priores.* 2. In præſentiarum *Edd. Belg.*

runt: de rebellione iſta mature anticipata gratulati, ex- 1601.
poſtularunt de Valentino Tho. impunito, Guil. Evero, & Aſhfeldo, Anglis doloſe è Scotia ſubductis; & portionem quarundam terrarum in Anglia Regi aſſignari rogarunt. His reſponſum eſt: Gratulationem illam longe eſſe gratiſſimam. Reginamque ex animo optare ut nulla ejuſmodi rebellio in Scotia accidat; ſin acciderit, eadem perinde felicitate intra unius diei ſpatium exſtingueretur. Valentino ideo parcitum eſſe, ne cicatrix obducta refricetur, quum calumnia, quamvis injuſtiſſima, ſimul ac audita, apud pravos fidem inveniat. Everum ex contumaci negatione & contra veritatem proteſtatione mali animi ſuſpicionem ſibi attraxiſſe, Aſhfeldum turbidi ingenii hominem, qui ſubdole licentiam proficiſcendi in Scotiam Præfecto Limitis illudens impetraverat, ab eodem, ut errorem corrigeret, è Scotia ſubdole fuiſſe retractum. Turbidos alterius Principis ſubditos fovere nihil aliud eſſe quam ſuos ad res turbandas edocere. De terrarum aſſignatione ſatis ſuperque antea reſponſum fuiſſe. Pecuniam vero annuam bis mille librarum acceſſione adaugendam, dum Rex mutuam amicitiam ſincere colat, nec ad illorum arbitrium ſe fingat qui malo publico privatum quæſtum aucupantur.

Triremes instructæ.

Sub hoc tempus, quum triremes Hiſpanicæ, quæ Scluſæ egerunt, oræ maritimæ Cantii, ſed inprimis Hollandiæ & Zelandiæ, terrori eſſent, Regina triremes etiam inſtruxit, multos è carcere liberatos remigio mancipavit; & Londinenſes pecuniam in eam rem alacriter contulerunt. Sed nulli uſui. Verum ne triremes iſtæ terrori eſſent, Ordines Provinciarum confœderatarum in rem ſuam attenti, exercitum in Flandriam tranſportare iterum ſtatuerunt, ad occupanda propugnacula circa Oſtendam, ut liberius regionem circumvicinam prædando perſultarent, pecuniam inde corraderent, & maritimam Flandriam in

Ordines Flandriam ſubjicere cogitant.

1601. ſuam poteſtatem redigerent, ne quod eſſet triremibus receptaculum. Eodem tempore, ut conſilium occultarent, & hoſtem diverterent, viſum illis eſt Mauritium in Geldriam ad Berkam Rhenanam obſidendam mittere. Hæc per Fr. *Verum* Reginam docuerunt, poſtularuntque, ut permitteret IIII M. militum in Anglia ipſorum impenſis conſcribi & tranſmitti. Illa aſſenſit. Priuſquam autem *Verus* ex Anglia rediret, Mauritius Berkam verſus ſigna moverat, & Albertus Archidux Oſtendam obſidione incinxerat; ut jam Ordines novam deliberationem de Oſtenda potius defendenda quam propugnaculis occupandis inſtituerent: & protinus *Verum* titulo *Generalis copiarum intra & extra Oſtendam*, cum ampla auctoritate, conſtituerunt, XX. Anglorum vexillationes à Berka [1] accerſiverunt; ex quibus tamen Mauritius, obſidione jam incepta, & hoſtem exſpectans, niſi VIII. ſub Horatii *Veri* ductu miſit, & invitus quidem. Cum his Fr. *Verus* (fide accepta, quod ceteræ ſubſequerentur, & commeatus abunde ſuppeditaretur) ad Oſtendam è regione veteris oppidi loco hoſtium tormentis expoſito (portum enim hoſtes occluſerant) menſe Julio noctu appulit. Et mox Edwardus Cecilius magno auſu & majore cum fortitudinis laude in primo fere militiæ tirocinio cohortes & commeatum intulit.

Archidux Albertus prævertit.

Verus Oſtendæ præficitur.

Oſtenda hæc, quæ patrum memoria nihil aliud erat quam paucula piſcatorum in littore aperto tuguriola, tumultibus Belgicis exorientibus, ab Ordinibus, primum palis, & poſtea mari ſe in portum percommodum inſinuante, vallo & operibus firmata fuit; Angliqve præſidiarii impoſiti, qui primum ſub Joanne *Conwayio*, dein ſub Edw. Norriſio, Flandriam ita incurſarunt, ut ad eos cohibendos Parmenſis obſidere fruſtra cœperit, Mottæus inſidiis tentaverit, ſed cum clade repulſus, & Albertus ſeptendecim propugnaculis incinxerit. Quorum præſidiarii

Oſtenda deſcripta.

1. Accerſerunt *Ed. Lond.*

diarii quum non minus graves eſſent Flandris quam hoſtes; & portus triremibus Hiſpanicis excipiendis atque Zelandorum & Anglorum navigationibus impediendis opportunus videretur; jam deliberatum erat Hiſpanis, quoquo modo expugnare: Ordinibus contra, omni ope & opera propugnare. Nec alia, [1] majori utrinque apparatu, majoribus animis, majoribus ſtratagematibus, majori clade, oppugnatio & propugnatio diutius noſtro ſeculo continuata. Sed obſidionis Diaria quæ exſtant, retexere nolo. Satis mihi paucula hæc adnotare. *Verus* quinto obſidionis menſe, quum videret, numeros crebris eruptionibus, hoſtium ejaculationibus, & peſtilentia acciſos, partem veteris oppidi [2] undis abſorptam, annonam quodammodo exhauſtam, & ventis adverſantibus ſpem nullam ſuppetiarum, quas ſubinde fruſtrà imploraverat; hoſtemque jamjam undique aggreſſurum intelligeret: colloquium de deditione cum Archiduce poſtulavit. qui, obſidibus utrinque datis, Delegatos hoc nomine miſit: *Verus* autem, moras nectendo, eos ſpe deditionis ſubdole lactavit, donec auxiliares cohortes ſubmitterentur; ſtatimque re infecta remiſit, excuſatione ex militari Axiomate petita: *Hoſtes dolis deludere, non ſolum juſtum, ſed ſuave & fructuoſum.* Atque facete mordax ſubſannando rogavit, ut ignoſcerent, ſi urgente neceſſitate hoc denuo peccaret; quandoquidem integro honore aliter facere non poterat, quum jam auxiliares, & quæ bello uſui, accepiſſet. Archidux hinc irritatus, exprobravit, quaſi *Verus* doloſe magis quam fortiter vincere ſciret. Et decimo quarto poſt die, octodecim majoribus machinis in propugnacula antemuralia toto die intonuit. Veſperi mari refuſo ad vetus oppidum invadendum bis mille veteranos invitos equitibus à tergo prementibus im-

1601.

Colloquium de deditione.

Illud iſti-tum.

Oppidum graviter oppugnatum.

1. *Deſunt* majori utrinque &c. ſtratagematibus *in Edd. priorib.*
2. Vadis *Edd. priores.*

1601. pulit. Sed *Verus*, qui cum Horatio fratre & lectiſſima ſuorum manu ubique aderat, ter fortiter repulit. Qui Orientalem partem adorturi, quum ſerius cœpiſſent, æſtu adlabente, tempeſtive, nec tamen ſine damno, ſe receperunt. Qui ad *Helmontem* & Erinaceum propugnacula & Anglorum vallum deſtinati, ea, militibus ad alia loca defendenda evocatis, occuparunt & ſtatim deſeruerunt. Bis mille ad Occiduum æſtuarium (Gulletam vocant) miſſi *Semilunulam* derelictam ceperunt; qua mox expulſi, & complures, dum confuſe fugerent, ne undis intercluderentur, perierunt. Novem majora tormenta, juxta occiduam portam librata, non ſingulos globos ſed concatenatos, glandiumque plumbearum & ferramentorum tempeſtatem, continenter effulminantia, ita obruerunt oppugnantes Occiduum propugnaculum & Arenarium tumulum, ut miſeranda clade confertiſſime caderent, & in medio inſultu mari accedente & emiſſariis apertis ita perterriti, ut armis, ſcalis, & pontibus penſilibus abjectis, ſe vel præſidiariis erumpentibus mactandos, vel undis hauriendos præberent. Archidux hac ſuorum ſtrage nihil deterritus, obſidioni pertinaciter incubuit, licet ſpe pertenui potiundi; quum nec prohibere poſſet, quo minus commeatus, & nova militum ſupplementa, indies inveherentur; nec ſuffoſſionibus erat locus, tot propugnaculis undique circumpoſitis. *Verus* autem, quum quaſſata novis operibus refirmaſſet, evocatus ab Ordinibus, qui ſingulis quinque menſibus novos Præfectos & recentes milites ſubmittendos cenſuerunt; locum Frederico Dorpio reliquit, qui, uti & ſucceſſores, non tam contra furentes hoſtium quam undarum inſultus, fortiſſime & operoſiſſime tres totos annos & centum plus minus dies propugnarunt. Feliciſſime cum militari hominum natione actum fuiſſet, ſi Oceanus immiſſus funditus hauſiſſet. Bellicoſiſſimis enim ex Belgio, Hiſpania, Anglia,

Strenue defenſum.

glia, Gallia, Scotia, & Italia viris, dum de ſterili arena pugnaciſſime decertarunt, quaſi commune erat ſepulchrum, æternumque virtutis monumentum. Sed hæc ad Belgicam ſpectant hiſtoriam. Anglicæ tamen hiſtoriæ intereſt, ut Angli, qui ibi fortiter occubuerunt, & ſtrenue militarunt, propriam apud poſteros habeant memoriam. Ex his nominatiſſimi: Veri fratres, Edw. Cecilius, Joannes Oglæus. Ex illis: Carolus Fairfaxus ex ordine Equeſtri, Laurentius Duttonus, Dracus, Coronelli; Carpenterus Tribunus major, Holcroftus, Galfredus Duttonus, Grevillus, Wilfordus, Humfredus, Dracus, Broughtonus, Herbertus, Froſtus, Madeſonus, Gerardus, Butlerus, Rogerſius, Deniſius, Conigravius, ordinum ductores. Nec tacendus Joannes *Carew* ab Antonio Cornubienſis adoleſcentulus, qui inter erumpendum brachium majoris tormenti impetu avulſum & longius projectum, ſociis condolentibus, infracto animo ſine omni doloris ſenſu in oppidum altera manu retulit, & Chirurgo monſtrans, Ecce, inquit, brachium, quod hodie univerſo corpori inter prandendum inſervivit. Hæc obſidio Galliarum Regem ad Caletum, unde breviſſimus in Angliam trajectus, attraxit, ut limitibus Regni ſui è vicinia proſpiceret. Quod ut Regina audiverat, miſit Th. Edmundium, qui inviſeret, & ſaluti gratularetur. Ille, ut humanitatem agnoſceret, Bironium Franciæ Mareſcallum, cum Arvernio, Aumontio, & pluribus nobilibus, in Angliam tranſmiſit: quos illa ad Baſingum ruſticans ea humanitate excepit, proſecuta eſt, & dimiſit, ut [1] comitatem prudentia & eloquentia conditam prædicarent. Quod quidam Gallici ſcriptores [2] prodiderint, eam cranium Eſſexii inter plura damnatorum, in intimo Larario, vel (ut alii ſcribunt) [3] polo affixum, Bironio & Gallis oſtentaſſe, ridicule vanum eſt. Illud enim una cum corpore conſepultum.

1601.

Angli ibi occiſi.

Bironius Mareſcallus in Angliam venit.

1. Comitate *Edd. Belg.* 2. Prodiderunt *Edd. priores.* 3. Palo *Edd. pr.*

Hoc

1601. Hoc certum eſt, [1] illam inter colloquia Eſſexium, de ingratitudine, temerariis conſiliis, & contumaci in culpis deprecandis dedignatione, aſperius criminatam eſſe, & optaſſe, ut Rex Chriſtianiſſimus mitem ſeveritatem potius quam diſſolutam clementiam adhiberet, & capita perfidis nova molientibus & publicam tranquillitatem turbantibus tempeſtive amputaret. Quæ Bironium nequiora contra Regem ſuum jam machinantem deterrere poterant, ſi mens non læva: ſed fati ingruentis vis ita occæcavit, ut poſt aliquot menſes idem, quod Eſſexius, ſupplicium ſubierit.

Parlamentum habetur. Regina, rure reverſa, Ordinum Regni Conventum Weſtmonaſterii habet; in quo ſalutares leges, de egenis, infirmis, mutilatis militibus & nautis ſublevandis, de fraudulentis teſtamentorum curatoribus, pannariorum fraudibus, prædationibus in limitibus verſus Scotiam, inter alia ſancitæ ſunt. Sed quum graviſſimæ querimoniæ in

Monopolia coërcita. inferiori conſeſſu de Monopoliis inſtitutæ eſſent, (certarum enim mercium venundandarum jus poteſtatemque Regiis Diplomatibus quidam ſibi impetraverant ſpecioſo boni publici prætextu, ſed magno certe Reipub. malo,) Regina, ut præverteret, promulgato Edicto Diplomata illa partim irrita declaravit, partim legibus examinanda reliquit. Quod adeo gratum fuit inferiori conſeſſui, ut LXXX. ex eo ſelecti eam accederent, gratiaſque omnium nomine per Oratorem humillime agerent. Quos lætanter exceptos illa in hanc ſententiam affatur: *Præcipuam*

Reginæ de iiſdem oratio. *quandam laudem gratiamque vobis debeo, ob propenſiſſimam veſtram in me benevolentiam, non opinione tacita ſed perſpicua declaratione expreſſam, qua me ex ignoratione, non voluntate, errantem revocaſtis. Hæc mihi, cui nihil civium ſalute & amore antiquius eſt, in infamiam*

1. Illum *pro* illam, *& mox infra* criminatum *pro* criminatam, *in Ed. Lond.*

immerito

immerito vertiſſent, niſi per vos ejuſmodi Harpyiæ & hirudines innotuiſſent. Merito autem & manu [1] *potius mutilari malim, quam hujuſmodi Monopoliorum privilegiis, quæ civibus ſint fraudi, vel mentem vel manum apponere. Regiæ Majeſtatis fulgor non ita mihi oculos perſtrinxit ut licentia plus quam juſtitia apud me valeat. Regii nominis gloria Principes regnandi imperitos fallere poſſit perinde ac pillulæ inauratæ ægrotantes; Ego autem ex eorum Principum numero non ſum. Novi enim, Rempub. in rem eorum qui commiſſi ſunt, non eorum quibus commiſſa eſt, gerendam eſſe, & pro altero Tribunali rationem tandem reddendam. Beatiſſimam me exiſtimo, quod divino numine aſſiſtente hactenus univerſam rempub. ita tutata ſim, quodque hujuſmodi habeam ſubditos, quibus, ut magis conſulam, vel regnum, imo vitam, lubens relinquerem. Obteſtor ut, quæ alii falſa ſuggerendo deliquerunt, in me non transferantur; rectæ conſcientiæ teſtimonium abſoluta ſit mihi excuſatio. Vos minime latet, Principum adminiſtros ſuis ipſorum rebus plus nimio ſubinde attendere, apud Principes vera reticeri, nec poſſe per ſe omnia pervidere quibus maximorum negotiorum majus agmen quaſi nexibus indies extenditur.* 1601.

Sub hujus anni principium obiit Henricus Herbertus Penbrochiæ Comes, Guilielmi filius, in Periſcelidis Ordinem anno M.D.LXXIV. adſcitus, & Conſilii in Walliæ Limitibus Præſes, poſt Henrici Sidneii ſoceri mortem. Ex cujus filia Maria, muſis amica & amœnioribus ſtudiis devotiſſima, progenuit Guil. in paterno honore ſucceſſorem, * Philip. & Annam flore ætatis morte præreptam. Animam etiam Deo reddidit Henric. Baro Norriſius de *Ricot*, ab Henrico VIII. poſt ſupplicium de patre ſumptum in integrum reſtitutus, ſtrictioribus quibuſdam legibus de hereditate aviæ, quæ altera ex heredibus Vice-Comitis

Obitus Henrici Comitis Penbrochiæ.

* *Qui nunc Comes Montgomerici.*

Baronis Norris.

1. *Deeſt* potius in *Edd. priorib.*

Lovelli;

1601. Lovelli; ſed plenius ab Elizabetha regina, quæ poſt legationem Gallicam, magna cum prudentiæ laude perfunctam, ad Baronis honorem evocavit. Ex Margarita uxore, altera heredum Joannis Baronis *Williams de Tama*, (qui Henrico VIII. regnante Curiæ Augmentationum Theſaurarius, & Mariæ Reginæ Conſiliarius percharus,) bellicoſam prolem ſuſcepit: Guilielmum primogenitum, Berwici Mareſcallum, in Hibernia defunctum; cui natus * Fr. aviti honoris ſucceſſor: Joannem jam ſæpius memoratum: Tho. Momoniæ Præſidem, & aliquantiſper Hiberniæ Juſtitiarium, ex levi vulnere neglecto ſublatum: Henricum eodem fato eodem fere tempore ibidem exſtinctum: Maximil. bello Britannico occiſum: & Edwardum, Oſtendæ Præfectum, qui ſolus parentibus ſuperſtes.

* *Qui nunc Comes Berchenæ & Vicecomes Tamæ.*

Et Baronis Willoughbæi.

Paucisque poſtea diebus emigravit Peregrinus Bertius Baro Willoughbeius de *Eresby*, Berwici Præfectus, qui in Belgio & Gallia omnia ducis munia cum laude obierat. Succeſſit Robertus filius ex Maria Edwardi Comitis Oxoniæ ſorore natus. [1] Iiſdemque diebus obiit Lud. Baro Mordantius, H. filio relicto ad Hibernica jam ſucceſſore.

Edictum de pecunia in Hiberniam non exportanda.

Ad Hibernica jam deflectendum. His diebus edicto prohibitum erat (quod Henricus VII. lege caverat) ne quis Anglicam pecuniam in Hiberniam transferret; quandoquidem magnam partem rebelles ſibi attraherent ad bellicum apparatum comparandum, vel mercatores inde in exteras regiones diſtraherent magno Angliæ detrimento. Serio itaque nunc agitur de mutatione monetæ Hibernicæ aliquantum æris admiſcendo: quandoquidem Hibernicum bellum in ſingulos annos ſupra CLX.M. librarum ſterlingarum exhauriret. Hinc alii cenſuerunt, belli expenſas poſſe imminui; omnem probam monetam ex Hibernia in Angliam excambio derivari: ita rebelles, proba moneta deficiente, omni commercio cum exteris

De moneta Hibernica agitur.

1. *Desunt* iiſdemque *&c.* jam ſucceſſore *in Edd. priorib.*

excludi,

excludi, & neceſſario debilitari. Alii contra diſſeruerunt, hanc mutationem ad Principis infamiam & ſubditorum damnum fore; probam Hiberniæ pecuniam non poſſe ſine Principis impendio inde derivari: compendia ex hac, ſi in Anglia nova pecunia cudatur, tranſvectionis impendiis (rationibus ſubductis) non [1] poſſe reſpondere: nedum ſi in Hibernia cudatur, ubi officina monetaria magnis impenſis inſtituenda, & monetarii majoribus ſtipendiis conducendi: nec commercia rebellium cum exteris poſſe impediri, dum novæ pecuniæ inſit argentum quod mercatores facile ſeparare norunt, quorum nihil intereſt, ſive unum nummum ſive tres ejuſdem valoris accipiant; periculum etiam, ne milites tumultuarentur, [2] quum hinc ſtipendium minueretur. Verum ut pecunia ad tempus mutaretur, poſtea ad ſummum valorem revocanda, Buckhurſtus Theſaurarius, in re pecuniaria ſolertiſſimus, ex neceſſitate, (ea enim temporis lex eſt,) quam urgebat, à Regina ægre extorſit, quæ,hoc grave ſuæ famæ, grave exercitui fore, ſubinde dixit. Sine motu tamen & tumultu exercitus egit, rara Principis felicitate, quæ auctoritatem cum amore conjunctam apud ſuos retinuit. Exercitui certe ceſſit in damnum; neſcio an Principi in bonum: Rationalibus proculdubio in lucrum; quorum avaritia, latentium lucrorum ſedula indagatrix, excogitaſſe videatur.

1601.

Mutatur ſine ſtrepitu.

Prorex, ſimul ac hoc deliberatum accepit, ne qua ſeditio per otium inter milites exoriretur, vere appetente copias convocat; & priuſquam omnes convenerant, ad *Mogbery* tendit; ubi dura militia milites exercet; viam impeditiſſimam, ſuccidendo ſilvas, perviam facit; & munimentum erigit. E Lecalia *Mac-Geniſos*, qui uſurparunt, expellit, & omnia rebellium caſtra ad Armacham uſque in poteſtatem redigit, quam etiam præſidio firmat: & eo

Prorex in rebelles movet.

1. Deeſt poſſe *in Edd. priorib.* 2. Nam *pro* quum *in Edd. priorib.*

1601. uſque hàc æſtate proceditſ, ut Tir-Oenium ab *Aqua Nigra* ſive Black-water, ubi multa arte caſtrametatus erat, ſubmoverit.

In Tir-Conellia interim mortuo, Joanne *O-Dogherii* Prorex filium ejus heredem declaravit, eo quod pater Anglico jure terras teneret, atque [1] Hugo *Boy* & Phelimo Reaugh (quorum erat alumnus) curantibus hereditatem tradidit. Hoc O-Nealus *Garve* indigniſſime tulit, & protinus involavit in juvenis hereditatem, ex imaginario jure, quaſi, quicquid terrarum & gentium ſit in Tir-Conellia, ad ſe ſpectaret: atque iniquiſſime audivit, Proregem contra ſentire, etſi ille utramque partem ex æquo audire ſtatueret. Henricus tamen Docwraius O-Nealum *Garve* promiſſis demulcet, in Anglorum partes pellicit; atque, ne otia agitaret, *Mac-Swine Fanagh* famoſum rebellem aggreſſus, opimam prædam abegit, ſupplici & obſequium juranti reſtituit, obſideſque accepit, quos ille à fide iterum [2] reſilientes ſuſpendit, agriſque vaſtatis eo adegit ut obſidibus denuo datis jam inde fidem coluerit. Deinde *Sleugh-Art* regiunculam Tir-Oeniæ nemoroſam & ſubuvidam xv. milliaribus extentam Nealo *Garve* ducente pervaſtavit, Caſtrum Derium cepit, Newtonam etiam & *Ainogh* præſidiis firmavit. Jam Prorex ad *Aquam Nigram* iterum progreſſus, eum accerſiit; quumque à neceſſariis deſtitutus, &, rebellibus omnes vias undique obſtruentibus, accedere non poſſet, increpando monuit, ut hanc negligentiam præclaro aliquo auſu reſarciret, quod tempore captato commodum præſtitit. Edoctus enim à Nealo *Garve*, viros militares è Tir-Conellia contra Proregem eſſe evocatos, & Monaſterium Donegalliæ proxime Ballaſhanonam à pauculis religioſis habitari, eo illum cum ccccc. Anglis miſit, qui loco facile ſunt potiti. O-Donellus, Prorege redeunte, omnibus

Et Henr. Docwraius altera parte.

Qui Donegalliam capit.

1. *An* Hugoni? 2. Reſiliente *Edd. priores.*

cum

cum copiis ad Donegalliam contendit, furialibus in Anglorum exitium facibus armatus, totos xxx. dies, ululatibus ſublatis, quaſi parta victoria, obſidet acerrime; quum Monaſterium fortuito igne noctu deflagraret, Angli tamen fortiſſime obſidionem pertulerunt. 1601.

Dum hæc feliciter his in partibus geruntur, ecce ad Proregem multi ſcripſerunt, & fama certa pertulit, quod antea rumore increbreſcente audierat, Hiſpanos in Momoniam vela facere; ut jam neceſſario ab incepto deſiſtendum, & Hibernia non tam ab interna rebellione quam ab externo hoſte defendenda. Ne tamen parta amitterent, præſidiis in Ultonia firmatis, in Momoniam cum una & altera equitum ala, Peditum ductoribus ſubſequi juſſis, continuis itineribus advolat. Eo etiam furtivis Tir-Oenius, & poſtea Odonellus, obſidione Donegalliæ ſoluta, feſtinanter properant. Nec mora: Docwraius terreſtri itinere præſidiariis ibidem ſubvenit; duo ſigna in *Aſherow* collocat ſub Edwardo Digges, à quo brevi Ballaſhanona tantopere expetita occupatur. Et ipſe perfidiam Hibernicorum, qui Newtoniam & Caſtrum Derrium prodiderant, ulciſcitur.

Proregem promoventem rumores revocant.

Ballaſhanona occupatur.

Bello jam in Momoniam tranſlato, eo etiam me revocat & rerum & temporis ſeries. Tir-Oenius rebelleſque Momonienſes, per emiſſarios ſuos, Matthæum Oviedum Hiſpanum, Archiepiſcopum Dublinenſem à Papa deſignatum, Epiſcopum Clonfortenſem, Epiſcopum Killaloenſem, & Archerum è Jeſuitarum Societate, orando, obſecrando, obteſtando, ab Hiſpano tandem impetrarant, ut ſubſidium rebellibus in Momoniam mitteretur ſub Joan. *D'Aquila*, ſpe certa, univerſam Momoniam mox defecturam, & titularem Deſmoniæ Comitem Florentiumque *Mac-Carty* auxilium magnum adjuncturos: Interea Georgius Carew Præſes, ut hoc præverteret, titularem iſtum Comitem in aviis latitantem, & à ſuis deſertum,

Hiſpani Hiberniam cogitant.

Præſes Momoniæ Deſmonium titularem intercipit.

1601. ſertum, jampridem in cavea deprehenſum protinus judicio ſtitit, quandoquidem, ſi indemnatus obiret, bona (niſi auctoritate Parlamentaria) fiſco de jure cedere non poterant. Ille læſæ Majeſtatis damnatus, proteſtatus eſt, ſe ex ſtudio Romanæ Religionis reſtaurandæ, & aviti patrimonii recuperandi arma ſumpſiſſe; irritatum injuriis advenarum ex Anglia, novis [1] in ſingulis terræ *Carrucatus* exactionibus, atque Anglicis Duodecimvirorum judiciis; & ſuſtentatum ſpe auxiliarium ex Hiſpania, quos jam adventare certo noverat, ex relatione Archiepiſcopi qui in Hiſpaniam menſe Februario miſſus, & ex fide Florentii *Mac-Carty*. Deprehendit etiam Præſes, conſultatum fuiſſe inter Tir-Oenium, Archiepiſcopum illum, & alios, in qua parte Hiberniæ Hiſpani commodiſſime appellerent; &, Momoniam longe commodiſſimam eſſe, omnes conſenſiſſe: quo tamen in portu, variaſſe. Erant, qui judicarunt, Limiricum primum occupandum, utique Connachtiæ & Lageniæ finitimum, nec valde ab Ultonia remotum, ideoque ad vires conjungendas ſitu percommodo, & ab Anglia adeo remoto, ut nullus timor ab Anglica claſſe videretur. *Donatum* tamen *Mac-Cormac* aſſeruiſſe, Florentium *Mac-Carty* ex matura deliberatione Corcagium prætuliſſe, quod portus ſit opportunior, urbs infirmior, ideoque expugnatu facilior; & ex eo Hiſpani imminerent *Barrio*, *Rochio*, *Cormaco* & *Mac-Dermot*, & *Mac-Carty Reogh*, qui in fide permanſerunt; eoſque vel in partes adigerent, vel fortunas diriperent. Hinc Præſes nihil conſultius exiſtimavit, quam quovis modo Florentium intercipere; etſi protectionis litteras & veniale reſcriptum pro vita jam prius conceſſerat: eumque poſt multas tergiverſationes interceptum, quod contra Protectionis formulam creditori vim intulerat, in

Conſultationem, ubi Hiſpani appellerent, deprehendit.

1. *An* in ſingulos terræ Carrucatus, *vel potius* in ſingulas terræ Carrucatas?

Angliam

Angliam una cum titulari illo Comite tranſmiſit. Jam 1601.
certior factus, Hiſpanos adventuros, quod nec Proregi nec Conſiliariis in Anglia perſuadere poterat, commeatum undique in Corcagium ſubvehendum curat; conventum Provinciæ ibi agit: & nonnullos turbatores, quos ſuſpectos habuit, ne nocerent, apprehendit; aliis obſides imperat; ac tam provide rebus proſpicit, ut commeatu & ceteris ad obſidionem in plures menſes ſuſtinendam abundaret. Novum enim bis mille militum ſupplementum opportune ex Anglia advenit.

Contra eos parat.

Præſes medio Septembri, certiſſime edoctus, Hiſpanos vela dediſſe, hoc Proregi quamprimum ſignificat, qui ſtatim ac ad [1] Kilkenniam pervenit, Præſidem accerſit. Ecce dum ille in itinere feſtinat, is nunciis, Hiſpanicam claſſem in conſpectu eſſe, revocatus, Carolum Wilmottum Corcagio præfecit, & protinus ad Proregem pergit. In conſilium mox itur, An Prorex, qui pauculos in comitatu habuit, & ne ſatellites quidem, rediret, an Kilkenniæ ſubſiſteret donec copiæ contraherentur? Alii redeundum cenſuerunt, nec eſſe pro dignitate Proregis, cum tantillo comitatu progredi. Contra præſes contendit, non poſſe redire aut ſubſiſtere ſine ignaviæ ſuſpicione & periculo defectionis per univerſam provinciam: ubi de Regni ſalute agitur, inania tranſmittenda: progrediendum itaque, & Proregis auctoritatem defecturis opponendam: qui in officio permanſuri, ſi Proregem felicitate clarum præſentem viderint; defecturi, ſi redierit. Erant qui Clomelliam uſque in Provinciæ limite & non ulterius Proregi progrediendum judicarunt priuſquam copiæ advenirent. Verum quum Præſes ducentos equites ad [2] ſtipandum obtuliſſet, & docuiſſet,

Proregem accerſit.

Conſultatio an Prorex ſine copiis Momoniam intraret?

1. Kilkemia, *& mox infra* Kilkemiæ, *in Edd. priorib.* 2. Stipendum *Ed. Lond. Sed* ſtipendium *calamo corrigitur in exemplari dictæ Editionis quod mihi mutuo dedit cl. Rawlinſonus.*

Corca-

1601. Corcagium ab omnibus ad bellum neceſſariis abunde eſſe instructum, eo una alacris perrexit.

Hiſpani in Hiberniam appellunt.

Interim claſſis Hiſpanica, quæ vento laxante Corcagii portum tenere non poterat; oſtium portus Kinſaliæ ſubintrat die XXIII. Septembris, militeſque exponit. Statim Richardus Percius, qui oppido cum centum quinquaginta militibus præerat, impar reſiſtendo, cum ſuis ſe Corcagium ex juſſu recipit. Hiſpani, triginta quinque vexillis explicatis, portis apertis, ab incolis gratanter excipiuntur, ſummo Magiſtratu cum bacillo præeunte, & tanquam metatore hoſpitia deſignante. Præſes omnia pecora & jumenta citra fluvium *Averley* abigi jubet; Flowerum cum CCCC. expeditis peditibus ad vaſtitatem agris vicinis inferendam emittit; quodque ex re viſum, cives & oppidanos plurimos in militum numeros conſcribit, [1] non quod uſui eſſe poterant, ſed ut tanquam obſides haberet, ne domi deſides, præ ſtudio Romanæ Religionis & innato in Hiſpanos amore ex ejuſdem originis opinione, de defectione & oppidorum deditione cogitarent.

Cauſſam adventus publicant.

Joannes *D' Aquila*, qui Hiſpanis præerat, titulo *Magiſtri Generalis, & Ducis Regis Catholici in Dei bello pro fide tenenda in Hibernia*, ſcriptis editis populo perſuadere conatur, *Elizabetham Reginam Pontificum Romanorum ſententiis regno eſſe abdicatam, ſubditos à fidelitatis juramento abſolutos, Hiſpanos adveniſſe ut Hiberniam à faucibus Diaboli* (hæc ipſius verba) *liberarent.* Et quamplurimos pravos ſpecioſo hoc obtentu in ſuas partes allicit. Prorex, contractis undique, quas poterat, copiis, ad obſidionem ſe accingit. Caſtris metatis, nihil prius habuit, quam *Rincurran* caſtellum ad portum haud procul ab oppido, in quo CL. [2] Hiſpani, in poteſtatem redigere; tum quod ad Anglicam claſſem tutandam, tum

Obſidentur. Caſtro Rincurran expelluntur.

1. Quod non uſui *Elz. Sen.* 2. Hiſpani relicti, in pot. *Edd. pr.*

ad

ad Hoſtilem, ſi rediret, infeſtandam, opportunum vide- 1601.
retur. Quod Præſes, qui *Locum-tenens Generalis exercitus* deſignatus, gravibus machinis admotis, Hiſpanis terra marique auxiliaturis repulſis, ad abſolutam deditionem brevi adigit.

Jam Richardus Leveſonus Subthalaſſiarcha ex Anglia cum una & altera nave Regia ad aditum prohibendum miſſus, portum intercludit, & Angli terra marique in oppidum effulminare & arctius obſidione incingere cœperunt. Quæ tamen ſtatim remiſſior, quod hinc Leveſonus cum claſſiariis contra duo millia Hiſpanorum, qui ad *Berehaven*, *Baltimore* & *Caſtlehaven* expoſiti, ſolviſſet, quorum vi naves depreſſit; [1] ſed magno cum periculo, dum prætoria, qua vehebatur, trecentis majorum tormentorum ictibus à terra ab Hiſpanis diverberata, remulcando ægre è portu vento adverſante eluctaretur. Incredibile eſt quanta cum alacritate univerſa Carberia, Deſmonia, & Kerria, ad hos Hiſpanos defecerint, & O-Driſcoli, & O-Swilevant Bear ſua caſtra in manus tradiderint. Eodem tempore Præſes è caſtris miſſus erat cum aliquot turmis ad prævertendum *Odonellum*, ne cum novo iſto Hiſpanorum ſupplemento ſe conjungeret. Verum ſolo ubique gelu conſtricto, ille per avia [2] ne conſpectus quidem noctu expedito itinere ad Hiſpanos evaſit. Pauciſque diebus interpoſitis, ipſe *Tir-Oenius*, cum *O-Rorco*, Reimundo *Burko*, *Mac-Mahono*, Randallo *Mac-Surleyo*, Tirello Barone de *Kerry*, & [3] rebellium lectiſſimis, propius acceſſit, quibus quum recentes Hiſpanos Alphonſus O-*Campo* adjunxiſſet, VI M. pedit. & D. equites numerabant; certiſſima ſpe victoriæ inflati, quod numero erant ſuperiores, recentes ab omni apparatu inſtructiores; con-

Eorum naves deprimuntur.

Tir-Oenius in Momoniam venit.

1. *Deſunt omnia uſque ad*, Eodem tempore *&c. in Edd. priorib.* 2. Ille per avia noctu ad Hiſpanos evaſit *Edd. priores.* 3. Rebellibus *Edd. priores.*

tra

1601. tra Angli [1] hibernæ obſidionis incommodis laſſati commeatu excluſi, & equi labore inediaque confecti. [2] In his difficultatibus Prorex ad Ordinum ductores refert quid agendum. Nonnullis conſultiſſimum viſum obſidionem ſolvere, in Corcagium ſe recipere, nec unius prœlii fortunæ regnum univerſum committere. Prorex contra perſiſtendum, à perenni conteſtataque majorum virtute non degenerandum dicere, nec optatiorem opportunitatem viris fortibus obvenire potuiſſe, quam nunc in ſinum ſit delata, ut vel cum gloria mortem appetant, vel cum honore hoſtes devincant. Obſidionem igitur quantis poterat viribus urget, ſimulque novis operibus caſtra communit. Die XXI. Decembris in colle mille plus minus paſſus à caſtris *Tir-Oenius* cum copiis ſe oſtendit, & ibi caſtrametatus, poſtero die [3] itidem ſe eodem in loco oſtendit. Nocte ſubſequente, & Hiſpani oppido erumpunt, & Hibernici in oppidum ſe immittere conantur: verum & hi & illi [4] repelluntur. Angli majora tormenta in oppidum diſplodunt, quaſi de Tir-Oenio jam proximo minime ſolliciti. Eodem die litteræ *D' Aquilæ* ad *Tir-Oenium* intercipiuntur, quibus obſecrat, ut Hiſpani nuper advecti in oppidum immitterentur, & utrimque Anglorum caſtra aggrederentur. Nocte luna exoritura, Prorex Henr. Poerio mandat, ut octo ſigna veteranorum educeret, & ad Occiduam caſtrorum partem aciem inſtrueret. Henricus Greamus, qui ea nocte equitibus excubatoribus præfuit, ſummo mane ſignificat Proregi, rebelles certo moturos, quod eorum igniarios fomites accenſos magno numero collucere videbat. Hinc ad arma conclamatum per caſtra, & quacunque aditus in oppi-

Obſidionem urgent.

Rebelles auxilia in oppidum immittere cogitant.

Angli impedire.

---

1. Hiberna obſidione laſſati, *Edd. priores.* 2. In his difficultatibus Prorex obſidionem quantis poterat viribus urget, *&c. tantummodo in Edd. priorib.* 3. Iterum ſe oſtendit *Edd. priores.* 4. Repelluntur. Die XXIII. litteræ D'Aquilæ *&c. Edd. priores.*

dum

dum patuit, cohortes diſpoſitæ. Prorex cum præſide & Rich. Wingfeldo Mareſcallo verſus excubatores tendit, ſimulque conſilio Olivari Lambardi locum deligit, ubi rebelles prœlio exciperet; quo perductæ fuerunt vexillationes Henrici Folliotti, & Olivari *S. John*, cum ſexcentis claſſiariis, ſub ductu Richardi Leveſoni. Tir-Oenius, cui animo deſtinatum erat Hiſpanos recentes & DCCC. Hibernicos (ut poſtea innotuit) per tenebras in Kinſaliam inducere; quum jam, die illuceſcente, & Mareſcallum, & Henricum Danverſium cum copiis Equeſtribus, Poeriumque cum veteranorum vexillationibus, ad collis radicem conſpiceret; ſpe excuſſus ſubſiſtit, & mox receptui per utricularios canit. 1601. Rebelles recipiunt.

Quamprimum de hoc receptu ſatis confuſo Prorex certior factus, jubet inſequi: & ipſe ante principia ſe confert, ut eorum receſſum obſervaret, [1] & pro re nata conſilia caperet; ſed tam ſpiſſa caligo cum violento nimbo terris incubuit, ut conſpectum aliquantiſper eriperet. Serenato mox cœlo quum obſervaret eos tribus agminibus magnis & equitibus à tergo poſitis trepide recedere, ſtatuit aggredi, Præſide cum III. equit. alis in caſtra remiſſo, ad Hiſpanorum ex oppido irruptionem, ſi quam facerent, [2] cohibendam. Prorex vero tanta feſtinatione recedentes ſubſequitur ut gradum ſiſtere cogeret, in margine uliginoſi & voraginoſi loci, & ad quem niſi vado nullus acceſſus: ſed equitibus, qui vadum ſervabant, virtute Mareſcalli & Comitis *Clan-Richardi*, profligatis, Angli in equeſtres hoſtium turmas impetum animoſe fecerunt; quumque Guil. Godolphinus, qui Proregis alam duxit, Henricus Danverſius, Minſhanus, Taffus, Flemingus, & Joannes Barckleius caſtrorum Præfectus, ſe conjunxiſſent, tanta alacritate iterarunt, ut equites Angli inſequuntur. Pugnatur 24. Decembris, quo die terra tremuit Londini.

1. *Deſunt* & pro *&c.* caperet *in Edd. priorib.* 2. Prohibendam *Edd. priores.*

1601. rebellium fugam capeſſerent. Nec fugientes perſequi viſum eſt, ſed collectis viribus in mediam hoſtium aciem jam trepidantem involant [1] & perrumpunt. Tirellus cum ſuis & Hiſpani interim firmo pede ſuo loco perſtiterunt, contra quos poſtremam ſuam aciem Prorex promovet, utque non ſolum Ducis munera imperando ſed etiam militis dimicando expleret, cum tribus Olivari *St. John* vexillationibus, quas Roeus duxit, in illos irruit, ordineſque ita perfringit, ut confuſius ſe ad Hibernicos receperint, à quibus ſtatim ſunt cædi relicti, & ab equeſtri Proregis turma, Guilielmo Godolphino ductore, magna cum clade obtriti. Protinus Tir-Oenius, *O-Donellus*, & reliqui, undique in fugam effuſi, projectis armis ſibi conſulunt; Alphonſus *O-Campo* captus, cum tribus Hiſpanorum ductoribus, & ſex * ſigniferis; cæſi mille & ducenti, ſigna novem capta, quorum ſex Hiſpanica. Ex Anglis pauculi deſiderati, multi vulnerati, & inter eos Henricus Danverſius, Guilielmus Godolphinus, & Croftus. Tantulo impendio tanta ſtetit victoria.

Rebelles fugiunt.

* *Alferez.*

Prorex, quum receptui cecinisset, gratiis divino numini inter conferta cadavera relatis, Comitem *Clan-Richardi* Equeſtri dignitate ob operam fortiſſime navatam donat, victorque fauſtis acclamationibus in caſtra redit, quæ ab omni periculo ſarta tecta invenit. Hiſpani enim in oppido quum omnia undique præſidiis munita conſpicerent, irruptiones omnes ſibi damnoſas antea experti, anxia exſpectatione ſolliciti ſe domi continuerant: & adfuit, ut ſæpe alias, fortuna Anglis. Ventus enim ab ea cœli ſtatione ſpirabat, ut bombardarum diſploſiones, dum pugnaretur, non audirentur in oppido.

Commoda ex hac victoria.

Victoria hæc magna & multiplex: qua Hibernia nutans, & jamjam defectura, retenta: Hiſpani ex Hibernia ſubmoti; Archirebellis Tir-Oenius in Ultoniæ latibula

1. Atque *pro* & *in Edd. priorib.*

rejectus;

rejectus; *O-Donellus* in Hiſpaniam fugatus; ceteri ſeditioſi in varias partes diſſipati; Regia Auctoritas reſtituta; perditorum inſolentia compreſſa; proborum animi, qui modo fracti & afflicti, confirmati; poſteaque alta pax ubique per Inſulam ſolide fundata. 1601.

Poſtridie Prorex imperat Joſiæ Bodleio vallorum Præfecto, qui in operibus & etiam in prœlio ſtrenue ſe geſſerat, ut moles inchoata perficeretur, & aggeres propius admoverentur. In quibus quum ſex dies inſumpti, *D'Aquila*, litteris per tympaniſtam ad Proregem miſſis, petiit, ut nobilis aliquis fide dignus in oppidum mitteretur quocum colloquium inſtitueret. Ad hoc eligitur Guilielmus Godolphinus, vir dignitate equeſtri. Cui *D'Aquila* ſignificat, ſe Proregem, etſi acerrimum hoſtem, tamen honorandum comperiſſe; Hibernicos eſſe invalidos, incultos, &, quod male metuit, perfidos: ſe ſubmiſſum fuiſſe à Rege Catholico in duorum Comitum ſubſidium. Jam vero dubitare an ejuſmodi Comites in rerum natura exſiſtant, quum una belli tempeſtas alterum in Hiſpaniam, alterum in Septentriones ita difflaverit, ut plane diſparuerint. Velle itaque de pace agere, quæ Anglis ſit uſui, & Hiſpanis non fraudi, licet ad obſidionem perferendam nihil ſibi deeſſet, & auxilia ad negotium faceſſendum indies exſpectaret. Ut rem paucis complectar, poſt ſermones ultro citroque habitos convenit inter Hiſpanos & Anglos, utrinque obſidionis pertæſos, ut Hiſpani Kinſaliam, caſtra & munimenta ad *Baltimore*, *Berehaven*, & *Caſtlehaven*, Proregi dederent; cum vita, bonis, & ſignis explicatis, abſcederent; Angli naves, quibus uno & altero commeatu in Hiſpaniam navigarent, juſto pretio præberent; *D'Aquila* poſtremus diſcederet; arma in Reginam Angliæ non ferrent priuſquam in Hiſpania fuerint expoſiti. Si ad quem Angliæ portum in reditu appulerint, comiter exciperentur. Si in quas naves An-

Hiſpani colloquium petunt.

Articuli deditionis.

1601. glicas inciderint, non infeſtarentur. Dum in Hibernia ventos exſpectarent, neceſſaria ad victum numerata pecunia ſuppeditarentur, injuria nulla inferretur; & de navibus, quibus reducentur, tribus pro arbitrio Proregis obſidibus ſecuritas præſtaretur.

M. DC. II.

Hiſpani redituri Caſtella Anglis tradunt.

HIS conditionibus ſecundo Januarii in ſcripta relatis, & jurejurando utrinque confirmatis, Hiſpani idoneam nacti tempeſtatem, numeris plurimum acciſis, ex Hibernia ſolverunt; Hibernicis indignanter frementibus quod omnia caſtra & propugnacula in fidem accepta Anglis ex pacto in manus tradiderint. Quum vero *Dumboium* tradituri: *O-Suillivant Bear*, qui illud eis in fidem commiſerat, ex improviſo invaſit, operibus firmavit, Hiſpanoſque ſupplicibus litteris revocavit. Verum Præſes, ne ex tam commodo portu & receptaculo bellum reſuſcitaretur, eo navigiis acceleravit (terreſtre enim iter erat difficillimum) Tirellum, qui, cum mercenariis exſcenſionem impediturus, eluſit, caſtrumque cruenta obſidione expugnatum ſolo æquavit, ſimulque Hiſpanis, qui jam redituri exſpectabantur, ſpem in Hiberniam redeundi opportune præcluſit.

Præter Dumboium.

Quod à Præſide expugnatum.

Nihilominus Eugenius *O-Hegan*, Epiſcopus Roſſenſis à Pontifice Romano deſignatus, allata pecunia & nova ſpe auxiliorum ex Hiſpania propoſita, animos ſuſpenſos his partibus ita confirmavit, ut in rebellione perſiſterent. Wilmottus autem in *Kirria*, cui præfuit, & Rogerus Gawinuſque Harveii fratres in *Carberia*, caſtris captis, prædis abactis, multiſque cæſis, plurimos in ordinem coëgerunt. Ipſe præſes Cormacum *Mac-Dermot*, Muskeriæ Dynaſtam clientelis præpotentem, rerum novarum inſimulatum, ex improviſo intercepit, cuſtodiæque tradidit, è qua tamen brevi evaſit. Sed quum terri-

Rebelles in ordinem redacti.

torium

torium ſuum devaſtatum, Caſtra ab Anglis occupata, (Wilmottus enim, quo tempore evaſit, *Muckron* præcipuam ejus ſedem, dum fortuito igne deflagraret, expugnarat,) filium in Anglia [1] & uxorem in Corcagio incarceratos, & ſe in arcto ſalutis exitiique confinio, videret, ſupplex veniam imploravit, & fidejuſſoribus datis impetravit. Tirellum, qui in Muskeriam cum mercenariis prædonibus venerat, Samuel Bagnallus profligavit, caſtris exuit, & in Deſmoniæ montes fugavit. Wilmottus etiam Equitem Kirriæ, & alios famoſos rebelles ita afflixit, ut ad ejus fidem cum ejulatibus confugerint. Tirellus, Barone Barrio & Wilmotto perſequentibus, occultis per avia itineribus in Lageniam ſe ſubduxit. Mox Guilielmus à Burgo & *O-Suillivant Bear* multis difficultatibus perterriti, *Bearam* & Bantream vacuam Anglis perſultandam reliquerunt. Ex altera parte Taffus militum ductor à Præſide emiſſus Eugenium *Mac-Carty* & Donatum *Keagh* in *Carberia* exagitavit, Eugenio O-Hegano Epiſcopo, qui inter medios rebelles cum Breviario altera manu & gladio altera pugnavit, interfecto.

1602.

Aut Momonia expulſi.

O-Hagan Epiſcopus occiſus.

Quamvis ex Hibernia Hiſpani jam eſſent emoti, Regina nihilominus, in ſuorum ſalutem excubans, claſſem octo navium regiarum cum aliquot minoribus, ſub imperio Richardi Leveſoni & Guilielmi Monſoni, ad Hiſpaniæ oram protinus mittit, ut Hiſpanos diſtineret, quo minus Hiberniam denuo cogitarent. Oram ſolvit Leveſonus die XIX. Martii, ſecutuſque eum Monſonus, quum aliquot dies Belgarum naves, quæ ſe conjungerent, fruſtra exſpectaſſet: Interim Leveſonus in claſſem XXXVIII. Hiſpanicarum navium, quæ argentum ex America devexit, incidit; & cum pauculis quas ſecum habuit, irrito ſucceſſu adortus eſt.

Expeditio in Hiſpaniæ oram.

Poſtquam Monſonus cum reliqua claſſe acceſſiſſet, commercia toto Luſitaniæ littore plures dies intercluſerunt. Tan-

1. *Deeſt & in Edd. priorib.*

1602. Tandem certo acceperunt, ingentem Onerariam, (*Caraquam* vocant,) M.DC. vaſorum capacem, opulentis mercibus onuſtam, ex Orientali India ad Seſimbriam juxta Barbarum Promontorium in Luſitania appuliſſe: ibi XI. triremes in ſtatione eſſe, è quibus VIII. erant Hiſpanicæ Frederico Spinulæ in bellum Belgicum aſſignatæ, & tres Luſitanicæ. Seſimbria Urbecula in interiori ſtationis ſinu, tota è ſaxo conſtructa, & Caſtello XII. machinis majoribus inſtructo munitur. Sub Caſtello ſubſtitit *Caraqua*; Triremes ad Occiduam partem ſtationis ſub rupis prominentia; proris, in quibus ſingulis quinque tormenta majora librata, obverſis; adeo ut extrema diſcrimina à Caſtello, Caraqua quæ inſtar Caſtelli, & Triremibus impendere adorientibus viderentur. Adoriri tamen ſtatuit Leviſonus ex communi omnium claſſiariorum ſententia, & *Caraquam* ſuccendere, ſi capere non poſſent.

Seſimbriæ in portu Triremes & Caraqua oppugnantur.

Poſtridie itaque ut convenerat, leni aura afflante, ille in nave Prætoria ſignum extulit ad medium malum, & Monſonus in Proprætoria pro more claſſico ad malum anteriorem & ſtationem. Mox cum quinque Regiis navibus ingreſſi jactis anchoris Triremibus ſe objecerunt, & tanta violentia tormentis majoribus in eas effulminarunt, ut poſt horas ſeptem Marchio *S. Crucis* cum Triremibus Luſitanicis, quibus præerat, ſe ſubduxerit.

Triremes fugatæ.

Quum autem Spinula non ſubſequeretur, rediit; ſed vim non ferentes, ſingulæ mox ſibi fuga conſuluerunt. Duæ captæ & incenſæ; in quibus magna vis erat pulveris tormentarii in Belgium devehenda: reliquæ dilaceratæ, remigibus maximam partem occiſis, ægre ad Tagi oſtium appulerunt. Jam Monſonus *Caraquam* illam ingentem adorturus erat ut ſuccenderet; inhibuit Leveſonus, Præfectoque *Caraquæ* per Sewallum claſſiarium veteranum ſignificavit, Triremes, in quibus ſpem poſuerat, profligatas eſſe, duas ex iiſdem captas: ſe jam ſtatione potiri:

Una & altera capta.

Ad Colloquium perventum.

Caſtellum

Caſtellum non poſſe viribus Anglorum obſiſtere, nedum 1602.
Caraquam. Itaque, ſi miſericordiam oblatam recuſarent, ſeveritatem omnes ad unum experirentur. *Caraquæ* Præfectus poſtulavit ut nobilis aliquis mitteretur quocum plenius ageret. Miſſus eſt Monſonus, cui hæ conditiones propoſitæ, ut ſinguli in *Caraqua* (in eam CCC. nobiles ad propugnandam convenerant) cum armis incolumes ſtatim dimitterentur, ut vexillum non deponeretur, ut navis ipſa & machinæ Regi, merces vero omnes Anglis cederent. Aſſenſit Monſonus, ut intra triduum omnes dimitterentur; ut vexillum Hiſpanicum in conſpectu Anglorum explicaretur, niſi ad puppim, aut navis & machinæ Hiſpano cederent, audire noluit.

Poſt multa convenit, ut Luſitani intra biduum igniariis exſtinctis dimitterentur, vexillum deponeretur, navis integra cum machinis & mercibus ſine dolo malo dederetur, interim à Caſtello in Anglos non effulminaretur. Dimiſſi ex Caraqua ſunt omnes eadem nocte, præter Præfectum & pauculos alios qui bene mane in terram expoſiti. Eodem die, *Caraqua* è ſtatione deducta, Angli ventis faventibus uſi, opimam prædam (ad decies centena millia aureorum æſtimatione Luſitanorum) domum retulerunt, nec plures quam V. claſſiarii deſiderati. *Deditio facta.*

Monſonus ad Hiſpaniæ littora cum aliquot navibus remiſſus ad mediam hiemem, egit ne quid in Hiberniam tentaretur. Dum ille in altum provectus Hiſpaniam verſus vela facit, Fredericus Spinula cum ſex Triremibus, quæ ad Seſimbriam incolumes evaſerunt, Gallica littora legendo ad Fretum Britannicum pervenit, die XXIII. Septembris, ut cum iiſdem aliquem Flandriæ portum ingrederetur. Eum præſtolabatur Robertus Manſellus, cum una & altera nave Regia, & quatuor navibus Hollandicis hinc inde diſperſis. Triremes duas ex Hollandicis primum conſpectas adoriri ſtatuerunt; verum altera è Regiis *Triremes Flandriam petunt.*

1602. è Regiis haud procul conſpecta remos verterunt, ut diem fallerent, & noctis beneficio portu optato potirentur. Ab hora octava matutina ad Solis occaſum Manſellus cum ſuis & binis Hollandicis inſecutus eſt. Nocte adventante, Triremes curſum ad Angliæ littus flectentes (adeo prope acceſſerunt, ut è captivis remigibus quidam, compedibus excuſſis, exſilientes ad littus enatarent) imprudenteſque perrexerunt ad locum ubi altera navis Regia & aliæ Hollandicæ ſuperius ad anchoras ſteterunt. Hinc Manſellus certus quod Triremes in eas inciderent, ut ſecurius curſum tenerent, vela vertit, eo conſilio ut ſe inter Triremes & Flandriæ littora interponeret. Inciderunt illæ in navem Regiam cui nomen *Reſponſum*; Præfectus Broadgatus, qui è tormentorum fragore, jam antea procul exaudito, ſe ad pugnam accinxerat, in eas triginta & octo pilas emiſit, itidemque Hollandicæ poſtea in eas effulminarunt.

In Regias naves incidunt.

Illæ, ne tormento quidem emiſſo, remorum celeritate evaſerunt, & nocte jam intempeſta palantes, una ex iis incidit in Manſellum, in quam ille omnia tormenta diſploſit, malum disjecit, miſerando clamore audito, propius acceſſit, & miſericordiam per interpretem obtulit. Verum aliis quinque Triremibus ſuccurrentibus ille navis latere obverſo inter eas tormenta exoneravit. Quam ſtragem ediderit, etſi nox eſſet ſubluſtris, dici non poterat, nec poſtea tormenti fragor auditus, donec Hollandica navis in Triremem *Luceram* ſive *Phoſphorum* dictam impegit, gubernaculoque deterſo ita ſauciavit ut paullo poſt cum omnibus fere epibatis aquis hauriretur. Altera Hollandica in Padillam Triremem fortuito adacta eam obtrivit & ipſa fere dirupta: altera è Triremibus ex nautarum negligentia, dum ad Caletum acceleraret, periit: duæ in Neoportum ſe receperunt. Ipſe Spinula in Prætoria cum magna vi opum in Dunkircam evaſit, qui

Pugnatur.

Triremes profligatæ.

has

has tres Triremes reſtauratas in Scluſam deduxit, & anno 1602.
inſequente navali contra Hollandos prœlio majoris tormenti pila [1] vulneratus occubuit.

Profectionem Epiſcopi Londinenſis, Chriſtophori Perkinſi, & J. Swali LL. Doctorum, quos Embdam anno M.DC. Regina legaverat, ut cum Daniæ delegatis tractarent, fruſtra ceſſiſſe diximus. Nunc denuo iiſdem de rebus Bremam miſſi ſunt à Regina, Radulphus Baro Everus, Joannes Herbertus Secretarius Secundarius, Daniel Dunus Legum Doctor à ſupplicum libellis, & Stephanus Leiſieurus Aſſiſtens adjunctus: A Dano, Mauderopius Persbergius, Arnoldus Whitfeldius Regni Cancellarius, & Jonas Chariſius Legum Doctor. Angli conqueſti ſunt: liberam in Moſcoviam per Septentrionalem Oceanum navigationem atque piſcationem ad littora & inſulas ejuſdem negari, atque vectigalia multiplicia in Freto *Oreſundo*, idque tantum pro tranſitu, exigi. Poſtularunt, ut fœdera inter Henricum Septimum Angliæ & Joannem Regem Daniæ anno M.CCCC.XC. & inter Henricum Octavum & Chriſtiernum anno M.D.XXIII. recognoſcerentur, & his temporibus accommodarentur; multiplex illa ac incerta novorum vectigalium exactio tolleretur, aut minueretur, & certa in tabulis cum certa confiſcationis ratione præſcriberetur; naves in Freto non juſto diutius detinerentur, querelæ privatorum componerentur, & bellicus apparatus in Hiſpaniam non ſubveheretur. Hinc inter eos diſceptatum eſt: An Principibus contra antiqua fœdera vectigalia pro arbitrio augere liceat? An hoc non ſit contra æquitatem, etiamſi uſitatum, quum conſuetudo veritati & æquitati famulari debeat? An, quæ graviſſimo conſilio conſtituta & aliquandiu utrinque tolerata, ſine juris Regii injuria abrogari poſſint? An vectigalia Danis atque exteris Maria regnante ab Anglis pro mer-

Tractatus cum Danis de mercatoriis.

Anglorum querelæ.

Eorum poſtulata.

De his diſceptatio.

1. Vulneratus cum fortitudinis laude occubuit. *Edd. priores.*

1602. cibus evectis & invectis impoſita non ſint æquiora quam quæ à Dano ſolummodo pro tranſitu, qui pro impenſis in navigantium ſecuritatem Nobile Roſatum ex nave, unicum nummum ex centeſimo, & *Laſticum* exigit? An vectigalia pro tranſitu exigenda, quæ alibi nisi pro mercium expoſitione & venditione non ſolvuntur? An liberum non ſit Anglis, in Oceano Septentrionali & in ejus Inſulis & littoribus piſcari, & per eundem in Moſcoviam circumnavigare, quum mare ſit liberum omnibus, Principes non habeant ejuſmodi in mare *Dominium* ut navigantibus ejuſdem uſum non minus quam aëris prohibeant, juxta illud Antonini Imperatoris: *Ego quidem totius terræ Dominus, Lex autem maris. ſecundum itaque legem Rhodiam judicate.* An non ſit igitur contra jus gentium, ejuſmodi Dominium in mari uſurpare, quum Principes non habeant juriſdictionem niſi in mari territoriis ſuis propius adjacente, idque ut navigationes ſint tutæ à piratis & hoſtibus, & Reges Angliæ navigationem & piſcationem in Mari Hibernico inter Angliam & Hiberniam nunquam prohibuerint, etſi littorum utrinque Domini exſiſtant, non minus quam Danus Norwegiæ & Iſlandiæ, qui non alio nomine hoc jus ſibi vendicat? Sin pro tranſitu ab Anglis vectigalia exigenda, Reginam itidem poſſe à Danis ad Dominia, Regna, & inſulas ſuas adnavigantibus non minora exigere. Hinc propoſuerunt Dani: quandoquidem Regis pater circumnavigationem illam, etſi admodum damnoſam, in Reginæ gratiam permiſerit, ut mercatores Angli eandem ducentis in ſingulos annos Roſatis ad Reginæ vitam redimerent; ut bona utrimque intercepta ex æquo & bono reſtituerentur: graviter de Piratis Anglis quiritantes & obteſtantes, quamvis piratica inſolentia bello flagrante comprimi non poſſet, ſupplicii tamen aſperitate coërceretur, alioquin ad injurias & damna reſarcienda *Arreſtationes* permittendas:

daſ: quia Regum inprimis interſit ne ſubditi quid detrimenti capiant. De ſubvectione bellici apparatus in Hiſpaniam non querendum, quum tam exigua copia à Danis ſubvehatur, ut Hiſpanus facile careat, nec inde vires adaugere poſſit. 1602.

Poſtquam duos jam menſes ſcriptis utrinque exhibitis de hiſce diſceptarant, Dani Anglis præter exſpectationem denunciarunt, ſe nullam habere poteſtatem recognoſcendi, vel reformandi fœdera, nec tollendi, nec minuendi vectigalia; nec concedendi piſcationem in Mari Iſlandico & Nowagico, ſine ſpeciali Regis licentia certiſque aliquot conditionibus. Simulque, quod magnam movit admirationem, inhibuerant ſub pœna qua ceteræ piſcationes jam antea prohibitæ, ne Angli ad Inſulas *Feroe* piſcarentur. Angli contra de nullitate ac invaliditate hujus inhibitionis & alterius cujuſcunque declarationis contra fœdera factæ diſertis verbis proteſtati ſunt. Quumque aliter convenire non poſſent quam ut acta & tranſacta ad Principes utrinque referrentur; & Dani promiſiſſent, ſe diligenter apud Regem pro tabularum vectigalium publicatione interceſſuros, ex quibus menſurarum, numerationis & ponderum certitudo conſtaret; nec mutationis ullum arbitrium præter præſcriptum in tabulis penes vectigalium præfectos manſurum; utque in caſu confiſcationis eæ tantum merces in commiſſum caderent & fiſco adjudicarentur quæ celatæ & non deſignatæ fuerint: Anglis Danorum promiſſis acquieſcentibus, res tota in aliud tempus, ſalvis ſemper Reginæ Angliæ ejuſque ſubditorum Regnique juribus, ſuſpenſa atque prorogata eſt. Fit receſſus.

Dum de hiſce rebus inter Principes diſceptatur, acrem concertationem Pontificii Eccleſiaſtici in Anglia inter ſe inſtituerunt. Hinc enim Jeſuitæ, inde Sacerdotes Seculares, ſtrictis calamis, virulentis linguis, & contu- Certamen inter Jeſuitas & Sacerdotes Seculares.

1602. melioſis libellis, concurrerunt. Hi iniquiſſime ferentes, Blackwellum Collegii Trinitatis Oxoniæ quondam alumnum, qui totus erat ad Garneti Jeſuitarum per Angliam Generalis nutum, ipſis Archipresbyterum eſſe impoſitum, illius auctoritatem detrectarunt. Ille eos igitur *Facultatibus*, quas vocant, primum ſpoliavit, mox ad Rom. Pontificem provocantes libello Schiſmaticos & Hæreticos declarari curavit. Hanc maculam abſterſerunt, idque cenſura Academiæ Pariſienſis ſuffragante. Aliis etiam ſuper alios libris divulgatis Reginam magnis laudibus celebrarunt, quod à Regni auſpiciis leniter & miſeranter cum Pontificiis egiſſet. Primum enim demonſtrarunt, primis undecim regni annis ne unum de conſcientia ſive Religione in quæſtionem vitæ fuiſſe vocatum; nec quidem toto decennio poſt Bullam Pii Quinti in illam promulgatam & Pontificiorum rebellionem plures quam XII. Sacerdotes morte affectos, & ex iis aliquot perduellionis manifeſtos, uſque ad annum M.D.LXXX. quo Jeſuitæ in Angliam ſurrepſerunt. Deinde pluribus docuerunt, iſtorum ſceleratas in Rempublicam molitiones omnia conturbaſſe, Catholicam Religionem admodum labefactaſſe, & ſeveras leges in Catholicos elicuiſſe. Decennio tamen ſubſequente ſupplicium niſi de L. Sacerdotibus fuiſſe ſumptum, &, quæ fuit ejus miſericordia, LV. in quos ex jure agi poterat, fuiſſe relegatos. Ab eo tempore Seminaria in Hiſpania, curante Perſonio Jeſuita Anglo, Anglis fuiſſe poſita; ex iis Sacerdotes barbatulos & turbulentos ſingulis annis in Angliam fuiſſe ſubmiſſos: iſtum concitaſſe Hiſpanum ad Angliam & Hiberniam denuo invadendam; ejus filiæ regnum Angliæ libro evulgato aſſeruiſſe; ad idem aſſerendum juramentum à ſtudioſis in Seminariis exegiſſe; Holtum ex eadem Societate ſubornaſſe Heskettum ad rebellionem conflandam, atque Cullinum, Yorcum, & Williams, ad Reginam ferro tollendam; & Walpolum

Jeſuitam

Jeſuitam Squiero ad idem nefarium facinus veneno patrandum ſuaſiſſe. Adeo ut illa, quæ vim conſcientiæ afferendam nunquam cenſuit, non potuerit non ſeveritatem in id genus hominum neceſſario adhibere, niſi ſuam Regnique ſalutem & ſecuritatem prodere vellet. Perſonium, quem *Cowbuckum* vocarunt, ut ſpurium è fæce populi, hominem ſeditioſiſſimo ingenio, ſycophantam, æquivocatorem, & regnorum licitatorem, ſugillarunt. Famoſos itaque Jeſuitarum contra Reginam libellos falſitatis & auctores divinæ humanæque Majeſtatis læſæ damnarunt; ſolide argumentati, fidem & Religionem veram non armis cruentis, ſed ſpiritu lenitatis & manſuetudinis propagandam. Poſtremo, Pontificios Anglos obteſtati ſunt, ne liberos in Jeſuitarum Seminariis educandos tranſmitterent, qui proditionis virus teneris animis cum primis rudimentis infundere aſſolent. 1602.

Vide Quodlibetica Watſoni, &c.

Inter media hæc certamina, ſive ſerio ſive dolo malo ſuſcepta, quæ Londinenſis Epiſcopus ſubdole aluit, Conſiliarii deprehenderunt, & Jeſuitas & Sacerdotes illos pleroſque omnes in hoc occulte conſpirare, ut ſubditos ab obſequio erga Reginam ſubtraherent, & populum ad Religionem Romanam etiam armis promovendam excitarent. Regina itaque Edicto imperavit Jeſuitas & Sacerdotes ſeculares iis adhærentes è Regno [1] protinus excedere; reliquos, qui [2] moderatiores videbantur, intra duos menſes (niſi interim obſequium in Principem profiterentur:) nec hos aut alios ejuſdem profeſſionis redire, niſi ſupplicia legibus propoſita ſubire maluerint. Et proculdubio Deo duce hoc prodiit Edictum ad meditatum ſcelus avertendum. Etenim inter hæc Thomas Winterus, ut ipſe poſtea confeſſus eſt, & Teſmundus Jeſuita, in Hiſpaniam ab illorum nonnullis emiſſi, perni-

Qui relegantur.

1. *Deeſt* protinus *in Edd. priorib.* 2. Mediatores *pro* moderatiores *in Edd. priorib.*

1602. cioſa conſilia, ad Elizabetham exſcindendam, atque ad Jacobum Scotorum Regem à juſtiſſimo jure ſuccedendi in Regno Angliæ excludendum, clandeſtino agitarunt. Nec hi ſoli in Anglia, ſed etiam in Belgio ſeditioſi milites contra Archiducem, & in Gallia nonnulli contra Regem, res turbide moverunt, quaſi tempeſtas quodam ſidere in Principes commota videretur. In Gallia autem Bironius, qui nefaria conſilia in patriam ſuſceperat, & Majeſtatem aculeatis verbis violaſſet, capite obtruncatur. Bironii vero neſcio quæ confeſſio multos involvit, & inter alios Ducem Bullionæum adeo perculit, ut coram Rege ſe ſiſtere juſſus non paruerit, ſed Regis indignationem & adverſariorum in Aula potentiam pertimeſcens in Germaniam ſeceſſerit. Hinc gravem contra eum accuſationem apud Elizabetham Rex inſtituit, quaſi ſuum cum uxore Maria Florentina matrimonium illicitum, Pontificis diſpenſationem invalidam, & inde filiolum illegitimum habuerit; Condæum ad ſucceſſionem in Regno deſtinarit, in primarios Catholicæ Religionis [1] profeſſores exitium ſpirarit, Unitas Provincias auctionantibus Hiſpanis prodere conjurarit; Senatus Pariſienſis judicium detrectarit, provocando ad Caſtrenſem Cameram, quæ nullam habuit in ejuſmodi cauſſis juriſdictionem; atque contra accuſatores exceperit, quod in læſæ Majeſtatis crimine minime licet. Hæc nihil aliud eſſe, quam tergiverſari, omne judicium detrectare, & Regiam auctoritatem ſibi arrogare.

Perniciosa in Principes conſilia.

Bironius obtruncatur.

Gallus Bullionæum accuſat.

Quid igitur hac in re faciendum, Elizabetham conſulit. Illa per ſuum in Gallia Legatum renunciat, ſe triſtiſſimam hæc audire: quod tamen rem tantam ſibi impertiit, inſtar maximi habere honoris. Moderationem ejus collaudat, qui in tantorum periculorum ſuggeſtionibus amicorum conſiliis potius quam animi affectibus

Elizabetham de eo conſulit.

1. *Deeſt* profeſſores *in Edd. priorib.*

auſcultat.

auſcultat. Ad conſilium, quod exquirit, reſpondet: Si 1602.
probationes perinde eſſent liquidæ ac objecta ſint odioſa, ex jure in illum agendum: verum donec de his liquido conſtiterit, conſilium dare, periculoſum fore, ne vel in Deum peccaretur ſi innocentia opprimeretur, vel Rex offenderetur ſi ſuam ſalutem negligi ſuſpicaretur. Conſultiſſimum itaque ſibi videri, in re tam ancipite ſilere. Regem tamen ſummopere obteſtatur, ut ſuum ipſius judicium & conſcientiam in conſilium adhiberet, & accurate examinaret accuſationes & confeſſiones, an à viris fide dignis, incorruptis, & minime ſuſpectis; quum nullius innocentia à calumniantium malitia ſit tuta. Nudas aſſertiones exiles eſſe probationes ad juſti Judicis conſcientiam informandam contra hominem ſpectatæ virtutis. Crimina objecta, donec plenius probarentur, videri in tanto homine tam incredibilia, quam ſint in ſua natura exſecranda. Quis enim credat, illum, Dei timore à teneris imbutum, fide in patriam & Principem tot annos maximis in periculis intemerata, ejuſmodi ſcelera in Principem optime meritum vel cogitaſſe, aut conſilia conſociaſſe cum hominibus re & ſpe perditis, quibuſcum nulla morum, Religionis aut factionis unquam interceſſit conformitas, & à quibus nihil niſi perfidiam exſpectare poterat? Verendum, ne hæ ſuggeſtiones in Hiſpanica procudantur officina, ad Gallos funeſto bello denuo inter ſe committendos. Hæc Rex iniquis auribus audivit, & protinùs in hæc verba prorupit: *Regina præclarius de Bullionæo, quam meritus eſt, exiſtimat. Ille inter archi-tectos erat Eſſexianæ in eam & Conſiliarios conjurationis. Nec diſſimulavit quidem, quum objicerem; ſed ſubridens ſine reſponſo eluſit.* Crimina objecta veriſſima eſſe, aſſeverantius affirmavit. Beneficia in eum congeſta ſigillatim percenſuit, in familiam ſcilicet adſciviſſe, opulentas nuptias cum herede familiæ Bullioniæ procuraſſe, in

Illa reſpondet.

Ille replicat.

1602. in poſſeſſionem Sedani miſiſſe, inter nobiles interioris admiſſionis cooptaſſe; ad Mareſcalli & Ducis honores evexiſſe. Statuiſſe modo; miſericordiæ portam aperire, ſi culpam deprecatus eſſet, dedignanti autem deprecari, & ex malæ mentis conſcientia aufugienti non eſſe cur denuo aperiat. Addidit, ſe ſimili in cauſſa pro Eſſexio apud Reginam per litteras interceſſiſſe; Verum; deprehenſa criminum gravitate, deſtitiſſe. Retulit Legatus, Reginam hoc potiſſimum nomine præclare de Duce exiſtimaſſe, quod fidem & fortitudinem Patriæ & Principi in omnem partem hactenus probaverit; inprimis dolituram, ſi objecta (ut in Eſſexiana cauſſa) vera deprehenderentur; imo ex animo eum deteſtaturam. Admonitionem hanc non aliunde proficiſci quam ex animo de Regis non minus ac ſuæ ipſius ſalute & ſecuritate ſollicito.

Aliorum hac de re opiniones. Ceterum, ſi qua fides Gallicis ſcriptoribus & ſagacioribus Anglis, Bironius, Bullionæus, & alii, qui ſibi perſuaſerant, ſe Regem ad Regium culmen ſua fide & fortitudine cum maximis periculis provexiſſe; quum viderent, eum conjuratos nuper in ejus exitium indulgentius habere, & iſtis, quaſi viris optime meritis, ingenioque conſtanti, & offenſam officiis compenſaturis, fidem præ ceteris habere, honores decernere, &, quas rebus turbatis occuparant, Præfecturas integras relinquere; indigniſſime tulerunt, quaſi fidem ipſorum ſuſpectam haberet, ac inde aliiſque cauſſis ſe ſuggerentibus, tanquam præclarius meriti, conjurare cœperunt ſuas Præfecturas ſibi & poſteris hereditarias facere, &, quando, quæ vellent extorquere, non poterant, ipſis hoſtibus eſſe atrociores. Ex horum enim numero erant quos non puduit Regem virulentius apud Elizabetham litteris ſugillare, non ſolum ut ingratum, ſed etiam animo imbelliorem, quaſi hoſtes non militari virtute debellaſſet, ſed promiſſis & pretio ſibi conciliaſſet. Illa tamen Gallicæ ſalutis & laudis

dis amantiſſima, crebras & præcipites Gallorum ſeceſſiones miſerata, eum ut unicum Gallicæ Monarchiæ pereuntis conſervatorem & inſtauratorem celebrare nunquam deſtitit. Hæc obiter intertexui, ut deliberata Reginæ in Regem admonendo prudentia, conſtans in veterem amicum ejuſdem Religionis cultorem benevolentia, & conſilium fidelitatis in utrumque pleniſſimum poſteris innoteſcant. Quo quidem tempore etiam illa Genevam, reformatæ Religionis plantarium, vi aperta & artibus à Sabaudo tentatam, ſublevavit magna pecunia à præſulibus & populo per univerſam Angliam contributa. 1602. *Geneva ſublevata.*

Obdormivit in Domino hoc anno, menſe Februario, ætate admodum devexa, Alexander Nowellus, Sacræ Theologiæ Doctor, & Eccleſiæ S. Pauli Londini Decanus; qui ſub Maria in Germania ob veritatem Evangelicam exſulavit, quam redux concionibus & eruditis ſcriptis diligentiſſime aſſeruit: Collegium Ænei Naſi Oxoniæ, ubi educatus, annuis ducentarum [1] librarum reditibus ad tredecim ſtudioſos alendos adauxit; & toto vitæ decurſu inſigni ſanctimoniæ exemplo præluxit. Succeſſit Joannes Overallus, Sacræ Theologiæ in Academia Cantabrigienſi Profeſſor undiquaque doctiſſimus, Fulcone Grevillo ſummo doctorum Mæcenate apud Reginam commendante. *Alexand. Nowelli mors.*

Nunc Hibernia me revocat, ut, quæ ibidem hoc anno geſta, commemorentur. Poſtquam ex Hibernia Hiſpani expulſi, Tir-Oenius fuga meticuloſa in Ultoniæ latebras quantis poterat itineribus per avia ſe proripuerat, plurimis deſideratis, quos fluvii hibernis aquis incitati hauſerant. Nec jam inde non modo ſine cura quieſcere, ſed ne ſperare quidem ſine metu poterat, dum ex mala & oppreſſa conſcientia [2] digna timeret, ſingulis diffideret, adeo ut indies novas latebras eligeret, ſtatimque relinqueret. Prorex, ut laſſatum militem reficeret, in hibernis *Tir-Oenius ſibi & ſuis diffidit.* *Prorex eum perſequitur.*

1. *Vide Præfationem noſtram.* 2. Digne *Edd. priores.*

1602. locat: compoſitis in Momonia rebus, Dubliniam revertitur: gravioreque anni tempore circumacto, lento itinere, quo terrorem latius ſpargeret, infeſto exercitu in Ultoniam regreditur, ut, quod prius ſtatuerat, rebelles munimentis & præſidiis circumpoſitis quaſi indagine undique incingeret. Exercitum ultra *Aquam Nigram* per trabes connexas (𝔉𝔩𝔬𝔞𝔱𝔢𝔰 vocant) traducit, & vado prius ignoto infra vetus munimentum reperto, ibi propugnaculum ponit, quod è ſuo prænomine *Charlemont* dixit. Tir-Oenius hinc territus ædibus ſuis ad Dungannon ignem ſubjecit. Prorex ultra [1] Dungannon movet, & quamprimum Henricus Docwraius à *Logh-Foil* cum ſuis acceſſiſſet, in omnes partes milites dimittuntur, ſegetes exſcinduntur, vici & domicilia undique incenduntur, prædæ paſſim aguntur; Munimenta in [2] *Logh-Carew*, [3] *Logh-Reah*, & *Moherlecow*, ubi Joannes Barkleius ex Equeſtri ordine vir fortiſſimus glande trajicitur, Proregi deduntur; qui Præſidium ad *Logh-Eaugh* ſive *Logh-Sidney* ſtatuit, quod ab honorario ipſius titulo Montjoy nominavit; Arthurumque Chicheſterum virum ordinis Equeſtris (qui virtute meruit ut Proregi ſuccederet) præficit. Henricum Docwraium ad Diriam remittit; qui *O-Cahanum* in gratiam recepit, poſtquam magnam territorii ſui partem Reginæ ceſſiſſet, ut reliquam per Litteras Patentes teneret. *Omyam* deinde Proregis juſſu miſerabili ſtrage diſcurrit, Cormaci *Mac-Baronis* armenta non ſine periculis abigit. Deinde Prorex eum reaccerſit; Caſtelloque *Agar* capto, poſt aliquot dies domum remittit, & cum eo Henricum Folliotum, quem [4] primum Ballaſhanonæ præficit, poteſtate ſub eo vicaria, & ſtatim præter omnium exſpectationem abſoluta; Anglis demirantibus,

Exſtruit Charlemont.

Et Fort Montjoy.

Docwraius rebelles exagitat.

Negligitur tamen.

---

1. *Deeſt* Dungannon *in Edd. priorib.* 2. Logh-Crew *Edd. Belg.* 3. Logh-Reaph *Elz. Sen.* Logh-Reagh *Elz. Jun.* 4. Primum poteſtate ſub *&c.* abſoluta, Ballaſhanonæ præficit, Anglis demirantibus, *&c. Edd. priores.*

eum

eum eſſe poſthabitum qui ſua opera Ballaſhanonam recu- 1602.
perarat. Eodemque tempore, Hibernis quaſi obſtupeſcentibus, Rodericum *O-Donellum* famoſiſſimum Rebellem in tutelam recipit, Nealo *Garve* hactenus Anglis fideli neglecto. Qui adeo indigne tulit, ut in ſuum exitium præceps *O-Donelli* titulum ſibi aſſumpſerit, in popellum tyrannidem exercuerit, atque in ſuum, non Reginæ obſequuium, jurare adegerit.

Anno jam exeunte Arthurus Chicheſterus & Hen. Docwraius ſtatuerunt Tir-Oenium in nemoroſis convallibus deliteſcentem hinc inde aggredi; ſed omnes acceſſus erant uligine adeo impediti, iter tam opacum præ arborum denſitate, cœlum tam atrox, & ſpeculatores tam perfidi, ut cœpto neceſſario deſtiterint. Ceterum, ut ſemel dicam, præſidiarii à Prorege undique diſpoſiti magna rei militaris ſcientiâ, & majoribus animis rebelles crebris inſultibus, & tranſverſis hinc inde expeditionibus ita exagitarunt, ut, quum ſe undique circumſideri, omnia indies arctiora, & ipſis inter ſaltuum & ſilvarum anguſtias ritu ferarum deliteſcendum, [1] viderent, quam plures fidem cum fortuna mutarint, ſeque ſecreto Proregi certatim ſubmittere cœperint; muſſitantes, Tir-Oenium privatis malis excidium gentis expoſuiſſe; bellum hoc fuiſſe illi uni neceſſarium, ipſis funeſtiſſimum. Et hos dedititios Prorex indulgentius habuit, illis, qui fideliter Reginæ adhæſerant, contra promiſſa neglectis. Sed forte an ille judicavit, expedire Reipub. ſauciæ requieſcere, ne vulnera curatione recrudeſcerent. Nec latuit Tir-Oenium, ſuorum fidem & ſimul ſuas vires ex adverſis rebus concidiſſe. Malorumque pertæſus, ſtatuit prævenire, ex ſpe vitæ validiſſimos animos labefactante. Demiſſiſſimis itaque litteris ad Reginam & Proregem ſubinde datis ſupplicem ſe abjecit, culpam precibus & lacrimis depre-

Plures rebelles ſe ſubmittunt.

Tir-Oenius culpam deprecatur.

1. Viderint *Ed. Lond.*

1602. catus, eaque pœnitentia ſigna ex graviſſima in Deum & Principem offenſa præ ſe tulit, ut illa Proregi auctoritatem conceſſerit eum in miſericordiam & gratiam recipiendi, ſi modo, qua profitebatur ſubmiſſi animi humilitate, ſupplex coram ipſo imploraret.

M. DC. III.

STATIM ac ille hæc intellexiſſet, imploravit ſedulo & aſſidue per Arthurum *Mac-Baron* fratrem ſuum & alios: ſæpiuſque rejectus, tandem [1] pollicitus ſe abſolute vitam & fortunas Principis arbitrio ſubmiſſurum. Prorex, qui de dubia Reginæ jam grandævæ valetudine ab intimis clam audierat, permiſit ut Mellifontem accederet. quo illico cum uno & altero ille advolavit. Admiſſus in Conclave, (ubi Prorex magna militarium virorum multitudine circumfuſus in ſolio ſedit,) in ipſo limine ſquallore ſordidus, & dejecto vultu, in genua procubuit. Quum aliquantiſper procubuiſſet, innuit Prorex ut propius accederet. Surrexit, & pauculis progreſſus paſſibus, iterum in genua provolutus ſe ſupplicem proſternit, & inquit, *Peccatum in Deum, culpam in benigniſſimam Principem, Dominam meam, agnoſcendo deprecor, ad regiam clementiam tanquam ſacram anchoram confugio, ut de vita & fortunis meis pro arbitrio ſtatuat. Cujus quondam beneficentiam, & modo potentiam, ſenſi, nunc ut lenitatem experiar, & æternum ſim Regiæ clementiæ exemplar, quam demiſſiſſime obſecro. Nec mihi vel ætas adeo eſt affecta, vel corpus effœtum, vel animus infractus, quin forti & fideli opera rebellionem hanc expiare potuero.* In orationis progreſſu, quum, iniquius ſecum actum eſſe ex invidia quorundam, conqueri [2] cœperat: Prorex interrumpit, excuſationem nullam tanto crimini prætexendam: & paucula alia, ſed multa cum auctoritate, fatus, quæ viro

Se abſolute ſubmittit.

1. Pollicitus eſt, ſe *Edd. Belg.* 2. Cœperit *Ed. Lond.*

militari

militem pro facundia; ſecedere imperavit, poſtridieque ſecum Dubliniam adduxit, inde in Angliam ad Reginam adducturus, ut pro arbitrio de illo ſtatueret. 1603.

Ita Tir-Oenii rebellio, ex privatis ſimultatibus ambitione intermixtis cœpta; contemptu & parſimonia ex Anglia fota; prætextu Romanæ Religionis reſtaurandæ, ſpe effrenatæ licentiæ & impunitatis, per univerſam Hiberniam diffuſa; levi nonnullorum credulitate, & aliorum, qui auctoritate valebant, occulto favore, uno & altero eventu proſpero, Hiſpanico ſtipendio, Hiſpano milite, & Papalibus indulgentiis, confirmata; pravis Anglorum æmulationibus, bipartito imperio, veteranorum avaritia, ſubdolis Tir-Oenii artibus, ſimulatis induciis atque ſubmiſſionibus, protectionibus maleficorum pecunia emptis, impeditiſſima locorum difficultate, deſperato hominum genere, magis pernicitate quam armis tuto, protracta: octavo poſtquam eruperat anno, Reginæ auſpiciis, ductu Proregis Baronis Montjoii (quem poſtea Rex Jacobus Comitis Divoniæ titulo honoravit) feliciſſime confecta eſt. Rebellio Hibernica confecta.

Regina, quæ hactenus valetudine integra, ex vini abſtinentia & temperatiſſima victus ratione, quam nobiliſſimam eſſe medicinæ partem dictitavit, annum agens climactericum, ſcilicet, ſeptuageſimum, & valetudinis & ſenectutis nonnulla imbecillitate tentari cœperat; quam inclementia cœli auxerat, quum extremo Januario, die ventis & pluvia fœdiſſimo, Weſtmonaſterio Richmondiam ſecederet, ut otio belliſſimo ſenectutis ſubſidio frueretur, & Deo vacaret. Quo die, quaſi aliud agens, (neſcio an mortem meditans & præſaga futuri,) Admirallo, quem ſemper chariſſimum habuit, dixit, *Thronus meus fuit thronus Regum, nec alius quam heres mihi proximus ſuccedere debet.* Nec ſane antea magis precibus & ſacris aſſiduam fuiſſe obſervarunt Aulici; qui etiam referunt, tunc juſſiſſe annulum illum, quo Regno Regina male ſe habet.

inaugu-

1603. inauguratione quaſi connubio conjuncta fuerat, & jam inde nunquam exuerat, è digito exſcindi, quum ita carni increviſſet ut detrahi non poſſet. Quod in triſte omen arreptum, quaſi connubium illud cum Regno per annulum contractum diſſolvendum portenderit. Principio morbi faucium amygdalæ intumuerunt, & cito detumuerunt. inde orexis ſenſim elanguit. ſimul triſtitiæ ſe totam tradidit, & præcipuo quodam doloris ſenſu angi videbatur: ſive ex vi morbi, ſive ex Eſſexii deſiderio, (quod Eſſexii admiratores crediderunt,) ſive quod poſt tot belli impendia Tir-Oenio rebelli ignoſcere perſuaſa fuerit, ſive quod à ſuſurronibus & à Gallo inaudierat, plures è nobilitate occultis litteris & nunciis gratiam apud Scotorum Regem colligere, hunc ut orientem Solem adorare, illam quaſi jamjam occaſuram negligere; quod (ut muliebris ſexus & ſenectus ſuſpicax eſt) facile credidit. nec falſo quidem. Nonnulli enim è proceribus aulicis, ut mulierculas taceam, qui minime debuerunt, ingrate deſciſcendo quodammodo deſeruerunt; dum illa non ſe, ſed illi opinionem mutarent; vel quod extrema jam ætate viderint, vel diuturni imperii tæderet, (diuturna enim quantumvis bona, ſunt tædio,) vel credula novitatis aviditate meliora ſperarent, præſentia deſpicerent, præteritaque beneficia, quorum memoria ingratis eſt oneri, obliviſcerentur, temporibus obtrectantes, forſan myſterio aulico, ut gratiam apud ſucceſſorem inirent, dum falſo crederent, deceſſoris vituperium ſucceſſoribus acroama eſſe jucundiſſimum: adeoque propalam, ut alii aliis invicem hoc nomine obtrectaverint; & alii de ſucceſſore accerſendo, dum ambiguæ adhuc eſſet valetudinis, propoſuerint, ut animo transfugæ viderentur licet domi manſerint. Hinc pro miſera derelicta ſe habuit, & ægritudo indignans hujuſmodi voces extorſit: *Collum mihi obligarunt, Non habeo cui confidam, Rerum mearum*

mearum facta eſt converſio. Ut iſti ad hanc ægritudinem augendam ſuggeſſerunt, quaſi ejus auctoritas ſenſim apud plebem labaret; quum plebs, cui ſemper ineſt querula in imperantes malignitas, nihil magis quiritaretur, quam, quorundam potentiam, ſi non ſupra, juxta Principem nimio plus invaluiſſe, atque aliorum manus eſſe feſtinantes & avaras (ut aſſolet) ſub ſene Principe. 1603.

Quum autem rumor increbuiſſet, morbum ingraveſcere, illamque omnem opem medicam, ut antea ſemper vegeta ætate, nunc maxime aſpernari: incredibile eſt, quanta & quam expedita celeritate, Zeloti, Pontificii, & ex quovis hominum genere [1] ambitioſuli adulatores, & alii, ſinguli in ſuam ſpem præcipites, in Scotiam nocte dieque terra marique convolarint, Regem orientem adoraturi, ejuſque gratiam aucupaturi. Cujus juri in ſucceſſione illa, licet pro prudentia minus aperte, ſemper tamen ex æquitate vere & ex animo favit; uti etiam omnes omnium ordinum homines, qui in illum heredem indubitatum ſumma cum tranquillitate & ſecuritate animos oculoſque conjecerant: etſi de nuptiis Arbellæ ex ejus patruo natæ rumores falſi diſperſi; & Legatus Gallicus res movere ſtuderet, ne duo diviſa Britanniæ Regna, Angliæ & Scotiæ, in unum coaleſcerent. Menſe Martio ineunte torpor quidam cum moroſitate ſenectuti familiari eam invadere cœpit, adeo ut tacita ſederet, cibo abſtineret, & meditationibus tota defixa, alloquii impatiens, niſi cum Archiepiſcopo Cantuarienſi; quocum una frequenter & devotiſſime oravit, donec ſermo ſenſim deficeret; & poſtea orantem lubentiſſime audivit. Quo tempore, Admirallo Conſiliariis ceteris memorante, quod illa Weſtmonaſterio diſcedens ſibi obiter de ſucceſſore ſe dixerat; viſum eſt, ut ipſe cum Sigilli Cuſtode & Secretario adiret, eadem in animum revocaret, atque ad-

1. Ambitioſuli, adulatores, *cum commate poſt* ambitioſuli, *Ed. Lond.*

veniſſe

1603. veniſſe reliquorum Conſiliariorum nomine ſignificaret, ut de Succeſſore ſententiam intelligerent. Illa anhelans reſpondit: *Dixi Thronum meum fuiſſe thronum Regum; nolim ut vilis mihi ſuccedat.* Secretario, quid velit per illa verba, rogante: *Rex*, inquit, *mihi ſuccedat, volo; & quis, niſi qui cognatus proximus, Rex Scotorum?* Monita deinde ab Archiepiſcopo ut Deum cogitaret: *Hoc*, inquit, *ago, nec ab eo mens divagatur.* Quumque lingua orare non poſſet, oculis manibuſque piam cordis ad Deum elevationem direxit, & in hoc oravit, quod indoluerit, ſe orare non potuiſſe; quod ex ſignis aperte colligere erat. Die vero Martii XXIIII. Vigilia Annunciationis B. Virginis, illa (quæ Nativitatis ejuſdem Vigiliâ in lucem edita) è corporis cuſtodiis in æternam patriam evocata, placidiſſime euthanaſia illa quam Auguſtus optavit, emigravit; anno Regni XLIIII. ætatis ſeptuageſimo; ad quem nullus Rex Angliæ antea pertigerat. Triſtiſſimum deſiderium, quod Anglis reliquit, lenivit ſpes optima de Regis Jacobi ſucceſſoris virtutibus concepta; qui poſt pauculas horas fauſtiſſimis omnium acclamatiobus Rex declaratus. Gloriam nulla unquam obruet oblivio. Vivit enim vivetque in animis hominum apud omnium ſeculorum poſteritatem memoria feliciſſima. Quippe quæ (ut non aliis quam ſucceſſoris verbis utar) *prudentia & felicitate imperandi omnes* [1] *jam inde uſque ab Auguſto Principes* (abſit verbo invidia) *ſuperavit.* [2] Concinitque Anna Ateſtina, Guiſiorum & Nemoroſorum parens, quæ dixit, eam fuiſſe glorioſiſſimam & omnium quæ unquam ſceptra geſtarint feliciſſimam.

In Proœmio Dori Baſilici.

1. *Deeſt* jam *in Edd. pr.* 2. *Deſunt hæc ultima verba in Edd. prioribus.*

NOTÆ.

NOTÆ.

PAG. 6. l. 25. *Caute medicantis operatio.*] *Cauta medicantis operatio* Edd. Belg.

P. 13. l. 3. *Tradita*:] *Traditæ* Edd. Belg. Ibid. l. antepen. *Et Elizabetham Regis ſororem in uxorem ducendo*] F. *& Elizabetha Regis ſorore in uxorem ducenda.*

P. 18. l. 12. *PP.*] *Pont.* Edd. Belg. Ibid. l. 23. *Abſolutio*] *Abſolutione* Elz. Sen. perperam.

P. 21. l. 3. *Non oblita ſe mortis*] *Non oblita ſc. mortis* Elz. Sen. male.

P. 23. l. 16. *Cœperint*] *Cœperant* Elz. Sen.

P. 28. l. 29. *Habuit, quod potentiſſimum*] Ita cum exteris legimus, licet τὸ *quod* re vera deſit in ipſo Camdeni Codice.

P. 29. l. 14. *Eſſent inopes.*] *Erant inopes* Camdeni Codex. non adeo recte. Ib. l. penult. *Comprobaverat,*] Malim *comprobaverant.*

P. 32. l. 6. *Joanni Greio de Pyrgo,*] Ita cum ipſo Camdeno, non, ut Belgæ, *Joanni de Pyrgo.*

P. 34. l. penult. *Reſtituendam.*] F. *reſtituenda.*

P. 36. l. 14. *Debent*] Sic ipſe Codex Camdenianus, non, ut in Edd. tranſmarinis, *deberent.*

P. 39. l. 20. *Vindicant,*] Malim *vendicant.* Scio tamen *vindico* placere Cellario. quippe qui in utraque ſignificatione uſurpari in Priſciano (apud Putſchium, col. 1208. l. XVIII.) videat. Potuit etiam Diomedem (l. I. col. 361. ibid.) allegare. uti etiam Nonium Marcellum apud Gothofredum, p. 719.

P. 41. l. 15. *Caletum facile in Hiſpani manus deveniret,* &c.] Ita cum ipſo Camdeno edidimus. At in Edd. tranſmarinis, *Caletum facile in Hiſpani manus deventurum, qui quantivis pretii emeret; & uxores caris maritis nihil non concedere; alterum,*&c.

P. 42. l. 28. *Aut innovatum fuerit itidem* &c.] *Aut innovatum fuerit, itidem contra Reginam Angliæ fuerit, poſſeſſione* &c. in ipſo Camdeni Cod. ſed minus recte.

P. 44. l. 19. *Regnum è majoribus*] F. *regnum à majoribus.*

P. 47. l. 7. *Dorſettæ,*] Rectius, *Dorſettiæ.* Ib. l. 22. *xiiii. omnes*] Ita cum ipſo Camdeni Codice, non, ut Edd. tranſmarinæ, xiii. *omnes.* Ib. l. 23. *Landavenſem ob ſedis*] Sic cum Edd. tranſmarinis, non, ut in ipſo Camdeni Cod. *Landavenſem ſedis*, omiſſo *ob.*

P. 52. l. 5. *Superavit, & quid effecit*] *Superarit & quid effecerit* Edd. Belg. Ib. l. 30. *Nihil aliud eſſet,*] *Nihil aliud eſſe*, Edd. Belg.

P. 64. l. 6. *Eodemque ipſo*] *Eodem ipſo* Edd. Belg.

P. 69. l. 11. *Innititur*] *Inniteretur* Edd. Belg.

P. 72. l. 2. *Cenſuit*] *Cenſui* Edd. Belg.

P. 73. l. 11. *Et univerſam*] Ita cum Edd. tranſmarinis, licet τὸ *&* deſit in ipſo Camdeni Codice.

P. 74. l. 3. *Idemque*] Ita quidem in ipſo Camdeni Codice. Nec aliter Elz. Sen. At, ni fallor, vel *itemque*, vel, ut Elz. Jun. *eundemque,* reponendum.

P. 75. l. 20. *Regni incommodo*] Ita cum Belgis lego, quamvis *Regni commodo* ſit in ipſo Camdeni Cod. Ib. l. penult. *Alios Teſtonos*] Sic etiam & hîc lego cum Belgis, licet in ipſo Camdeni Cod. ſit, *alios Teſtonum.*

P. 76. l. 1. *Inferatur,*] Ita in ipſo Camdeni Cod. non, ut Belgæ, *Inferretur.* Ib. l. 17. *A Normannica victoria*] Ita lego cum Belgis, licet in ipſo Camdeni Cod. ſit, *à Normannicæ victoria*; niſi forſitan *invaſionis* ſubaudiendum eſſe cenſeas.

P. 79. l. 16. *Tulit,*] Sic cum ipſo Camdeni Cod. non, ut Belgæ, *tulerit.* Ib. l. 17. *Impedit.*] Ita & hîc cum ipſo Camdeni Cod. non, ut Belgæ, *impediat.*

P. 85. l. 6. *Profligata erat*] *Profligata eſſet* Edd. Belg.

P. 94. l. 19. *Peregrino Berty Baroni Wil.*] *Peregrino Baroni Berty Wil.* Edd. Belg.

P. 95. l. 3. *Provolutus,*] *Prævolutus* Elz. Sen.

P. 97. Not. ult. marg. *Quid ille reſpondet.*] *Quid ille reſpondeat* Edd. Belg.

P. 99. l. 9. *Anglos*] *Angli* Elz. Sen.

P. 101. l. 33. *Urbe Londino*] *Urbe Londini* Edd. Belg.

P. 105. l. 4. *S. Leodegario*] *S. Laodegario* Edd. Belg.

P. 108. l. 6. *Hæc ut acria & utrinque*] *Hæc ut acria utrinque*, omiſſo *&*, Edd. Belg.

P. 110. l. 22. *Ut de his rebus conſuleret;*] Sic cum Belgis lego; licet in ipſo Camdeni Codice ſit, *ut de his rebus conſulendi.*

P. 112.

P. 112. l. 1[illegible]. *Hoc Elizabethæ ſubolet,*] *Hoc Elizabetha ſubolet* Edd. Belg.

P. 116. l. 32. *Nonnulli enim Scotiæ*] *Nonnihil enim Scotiæ* Edd. Belg.

P. 117. l. 9. *Conniventer*] *Convenienter* Edd. Belg.

P. 119. l. 17. *Læſerat, & maritum*] *Læſerat maritum*, omiſſo *&*, Edd. Belg.

P. 12[illegible]. l. 27. *Cogitarunt*] *Cogitarant* Edd. Belg.

P. 130. l. 19. *Advenerint*] *Advenerunt* Edd. Belg.

P. 131. l. 1. *Coram Rege, cui*] *Coram, cui,* omiſſo *Rege,* Edd. Belg.

P. 134. l. 10. *Artifex in Regis*] *Artifex & Regis* Elz. Sen.

P. 136. l. 27. *Proteſtati ſunt*]. *Proteſtati ſint* Edd. Belg. Ib. l. 31. *Obvelandam*] *Oblevandam* Elz. Sen.

P. 137. l. 29. *Ne in malum cedat*] Ita cum Elzeviriis, licet *τὸ ne* deſit in ipſo Camdeni Codice.

P. 143. l. 2. *Quid vos Angli*] *Quantum vos Angli* Edd. Belg.

P. 148. l. 3. *Spectantur*] *Spectentur* Edd. Belg.

P. 150. l. 31. *Georgius Bameſius*.] Ita & Edd. Belg. Nec calamo correxit Camdenus; in cujus tamen Indice (uti etiam in Indicibus Belg.) *Georgius Barneſius* legitur. Et recte.

P. 156. l. 4. *Juvenis*] *Juveni* Edd. Belg. Ib. l. 19. *Effecit*] *Efficit* Edd. priores.

P. 157. l. ult. *Locutum*] Ita in ipſo Camdeni Cod. *Locutus* Edd. aliæ.

P. 162. l. 31. *Omnes ut jure belli*] *Omnes jure belli* Edd. Belg. abſque *ut*.

P. 164. l. 15. *Contra ipſam audiri*] *Contra ipſam audire* Edd. Belg.

P. 166. l. 5. *Dediſſe,*] *Deliſſe* in Edd. prima. Nec correxit Camdenus. *Detuliſſe* conjecerim. Nam *auctoritate delata* habemus p. 164. l. 26. At *dediſſe* in Edd. Belg.

P. 171. l. 8. *Quandoquidem illa prior*] *Quandoquidem prior* Edd. Belg.

P. 179. l. 13. *Ubi tandem ultimo*] *Ubi poſtea ultimo* Edd. Belg. Ib. l. 17. *Invenerint*] *Invenirent* Edd. Belg.

P. 180. l. 3. *Fide, & prava ip. inter ſe, quam Germanorum*] *Fide, quam prava ip. inter ſe, & Germanorum* Edd. Belg.

P. 181. l. 25. *Principis Chriſtiani,*] *Principis Chriſtianæ* Edd. Belg.

P. 183. l. 5. *Comitem autem Lenoxiæ avum*] *Comitem autem Lenoxium avum* Edd. Belg.

P. 186. l. 21. *Et Dux Arundelio*] *Et Duci Arundelio* Edd. Belg.

P. 187. l. penult. *Traderent,*] *Traderet* Edd. Belg.

P. 190. l. antepenult. *Conſcriptis*] Malim, *conſcriptæ*.

P. 191. l. 6. *Reginæ ſit ſecuritati*] *Reginæ ſuæ ſecuritati,* Edd. Belg.

P. 192. not. marg. *Cur venit*] *Cur venerit* Edd. Belg. Ib. l. 20. *Dubitatur*] *Dubitabatur* Edd. Belg.

P. 193. l. 22. *Prærogativæ*] *Prærogativa* Edd. Belg. Ib. l. 27. *Senſerunt,*] Sic cum Edd. Belg. Antea *ſenſerint*.

P. 204. l. 20. *Somnium eſſe*] Sic cum Edd. Belg. licet *eſſe* deſideretur in Cod. Camdeniano. Ib. l. 24. *Regem puerulum*] *Ob Regem puerulum* Edd. Belg.

P. 205. l. 21. *Regina ſuo milite illatas injurias ſit perſecutura, nec quempiam immerentem damno affectura.*] Sic cum Edd. Belg. quamvis in ipſo Cod. Camdeniano ſit, *Reginam ſuo milite illatas injurias perſequuturam, nec quempiam immerentem damno affecturam.*

P. 206. l. 28. *Coldinghamam*] Ita in omnibus Edd. in quarum tamen Indicibus *Coldinghamus*. Nec quid mutavit Camdenus. Ideo nec ipſe.

P. 209. l. 11. *Anglæ,*] Ita & Elz. Sen. non, ut Elz. Jun. *Angliæ*.

P. 210. l. 6. *Et Londinenſi Epiſcopo,*] Τὸ *&* omittunt Edd. Belg.

P. 213. l. 3. *Ejuſque præcipuam*] *Ejuſdem præcipuam* Edd. Belg. Ib. l. 20. *Epiſcopos Eccleſiarum, Rectores,* &c.] An, *Epiſcopos, Eccleſiarum Rectores,* &c.?

P. 214. l. 24. *Et item proceres,*] *Et iterum proceres,* Edd. Belg.

P. 216. not. marg. ſecunda, *Liberatur*] *Liberatus* Edd. Belg.

P. 219. l. 1. *Prudentia*] Non *providentia,* ut in Edd. Belg.

P. 228. l. 6. *Student,*] *Studerent* Edd. Belg. Ib. l. 31. *Habet*] *Habeat* Edd. Belg.

P. 231. l. 10. *Quicum Regina mater*] Sic ipſe Codex Camdenianus. *Qui cum matre* Edd. Belg.

P. 234. l. 14. *Appulerit,*] *Appulerat* Edd. Belg. Ib. l. antep. *Et aliquanto*] Deeſt *&* in Edd. Belg. Ib. l. penult. *Viri Ordinis Eq.*] *Vir Ordinis Eq.* Edd. Belg.

P. 238. l. 9. *Nulli,*] Sic cum Edd. tranſm. licet *nullus* ipſe habeat Camdenus.

P. 241. l. 12. *Coronæ, & ejuſdem*] *Coronæ ad ejuſdem* Edd. Belg.

P. 247.

P. 247. l. 12. *Judicio ſiſtendum*] *Judici ſiſtendum* Edd. Belg. Ib. l. 23. *Dimittet*] *Dimittit* Edd. Belg.

P. 249. l. 21. *Conſulueris,*] *Conſulueras* Edd. Belg.

P. 251. l. 25. *Confirmata*] *Confirmavit* Edd. Belg.

P. 254. l. 16. *Vicecomitem Hertfordiæ*] Ita etiam Camdeni Codex. Sed legend. *Vicecomitem Herefordiæ*. Vide p. 245.

P. 256. l. 5. *Pontificiæ religionis addictos*] Malim, *Pontificiæ religioni addictos*.

P. 258. l. penult. *Propoſuit conſideranda,*] *Propoſuitque conſideranda* Ed. Lond. Sed Belgas malui ſequi hîc loci.

P. 259. l. 22. *Divulgaverit*] *Divulgaverat* Edd. Belg. Ib. l. ult. *Illos*] *Ipſos* Edd. Belg.

P. 261. l. 18. *Quam*] Hanc vocem abeſſe malim.

P. 262. marg. *Faveat*] *Favet* Ed. Lond. Ib. l. 31. *Spoliarint*, &c.] *Spoliarant*, & mox *exuerat*, deinde *ejecerant*, & *incarcerarant* in Edd. Belg.

P. 264. l. 16. *Inſigni quadam*] *Quadam* omittunt Edd. Belg.

P. 266. l. 24. *Princeps invaſus*] An, *Principi invaſo*?

P. 268. l. 3. *Arbrothius*] *Arubrothius* Edd. Belg.

P. 269. l. penult. *Petrus*] *Petreus* Edd. Belg.

P. 270. l. antepen. *Cœperant.*] *Cœperunt* Edd. Belg.

P. 279. l. 21. *Perduxerit.*] *Perduxerat* Elz. Sen.

P. 280. l. 16. *Omnis enim regius*] *Omnis regius*, omiſſo *enim*, Edd. Belg.

P. 283. l. 8. *Quum occultus illius tabellio*] *Quum illius tabellio*, omiſſo *occultus*, Edd. Belg. Ib. l. 11. *Atſlous*] *Arſlous* Elz. Sen.

P. 284. l. 3. *Redigi poſſe ſperaret.*] Sic cum Belgis, licet *poſſe* omittat ipſe Camdenus.

P. 285. l. 3. *Ceſſerit,*] *Ceſſerat* Edd. Belg.

P. 286. l. 3. *Cellam,*] Sic cum Edd. Belg. licet *cella* habeat ipſe Camdenus.

P. 291. l. 15. *Adoleſceret,*] *Adoleſcerent*, Edd. Belg. Ib. l. 21. *Efflagitaverit,*] *Efflagitaverat*, Edd. Belg.

P. 300. l. 19. *Tindaliæ & Rhedeſdaliæ*] *Tindaliæ Rhedeſdaliæ*, omiſſo *&*, Edd. Belg.

P. 303. l. 28. *Gallos*] *Gallos* iſtud, vel ſaltem *Gallos* mox ſequens redundare cenſeo. Et tamen retinet ipſe Codex Camdenianus.

P. 306. marg. *Via in Cathaiam & Occidentalem* habent Edd. Belg. pro *via in Cathaiam per Occidentalem*.

P. 307.

P. 307. l. 11. *Navigavit,*] *Navigat* Edd. Belg.

P. 308. l. 15. *Adactus fuerit,*] *Adactus fuerat* Edd. Belg.

P. 310. not. marg. ult. *Actionibus* pro *exactionibus* habent Edd. Belg.

P. 311. l. 20. *Firmatis*] *Armatis* Edd. Belg.

P. 315. not. marg. *Hiſpanus inique audivit.*] Sic cum Belgis, quamvis in ipſo Cod. Camdeniano ſit, *Hiſpanus haud inique audivit.*

P. 320. l. 26. *Chiliarchæ*] Non *Chiliarchiæ* cum Edd. Belg.

P. 323. l. 23. *Duodennis*] *Duodecennis* Edd. Belg.

P. 326. l. 14. *Viderat,*] Sic cum Edd. Belg. licet in Cod. Camd. ſit *videret*. Ib. l. antepen. *Caterlaugiæ,*] *Caterlangiæ* Edd. Belg.

P. 329. l. 15. *Effervit,*] *Efferbuit* Edd. Belg.

P. 331. l. 25. *Harrancs*] Ita calamo ſuo Camdenus. Neque aliter Elzevirii Seniores. At Juniores *Harranes,* quo modo & reſcribitur in Cod. Rawlinſoniano.

P. 334. l. 26. *Abnuerint,*] *Abnuerent,* Edd. Belg.

P. 341. l. 6. *Famæ*] Non *familiæ,* ut Elz. Sen. Ibid. l. 25. *Kildariæ, & Jacobo*] Τὸ *&* omittunt Elzevirii Sen.

P. 350. l. 9. *Scripto edito* (*poſtquam* &c.] *Scripto edito, quo* (*poſtquam* &c. in Ed. Lond. Nec mutavit Camdenus. At nos cum Belgis correximus.

P. 351. l. 7. *Documentales,*] *Dominicales* Edd. Belg. Ib. in marg. *In eos edictum*] Non *in eos dictum,* ut Elz. Sen.

P. 354. l. 17. *Inter crebra*] *Intra crebra* Edd. Belg.

P. 355. l. penult. *E nautis quos aquatum miſerat, unus & alter* &c.] *E nautis quoſdam aquatum miſerat; quorum unus & alter* &c. Edd. Belg.

P. 356. l. 1. *Qui noſtros Hiſpanos*] *Qui noſtris, Hiſpanos* Edd. Belg.

P. 360. l. 25. *Natura,*] *Naturæ* Edd. Belg.

P. 361. l. 9. *Tercentos*] *Trecentos* Edd. Belg.

P. 365. l. 11. *Compoſitò*] *Compoſita* Elz. Jun.

P. 366. l. ult. *Poterit*] *Poſſit* Edd. Belg.

P. 367. l. 13. *Habuit*] *Habuerit* Edd. Belg. Ibid. l. 25. *Poterat*] *Potuerit* Edd. Belg.

P. 369. l. 4. *Northornam,*] *Northonam,* Edd. Belg.

P. 374. l. 15. *Profitetur*] *Profiteatur* Edd. Belg. Ib. l. 31. *E lætiſſima*] *A lætiſſima* Edd. Belg.

P. 375.

P. 375. l. 19. *Provexerit,*] Ita cum Belg. quantumvis *provexit* habeat ipſe Camdenus.

P. 376. not. ſecunda marg. *Prætulit*] *Prætulerit* Edd. Belg.

P. 378. l. 9. *Libellum illum nihil*] Tò *illum* omittunt Edd. Belg.

P. 379. l. 9. *Futuras plerique præſagierunt.*] Tò *plerique* omitt. Edd. Belg.

P. 380. l. 13. *Briſtoi*] *Briſloi* Edd. Belg.

P. 384. l. 2. *Efferatam,*] *Efformata* Edd. Belg.

P. 385. l. penult. *Amoverunt,*] *Admoverunt* Edd. Belg.

P. 386. l. 1. *Exſultantem*] An, *exſulantem*?

P. 388. l. ult. *Velis*] *Vis* Elz. Jun.

P. 389. l. 6. *Tuo rog.*] *Tuto rog.* Elz. Sen.

P. 390. l. 14. *Gnaviter*] *Graviter* Elz. Jun. Ib. l. 21. *Filii bono, forſitan*] *Filii, bono forſitan* Elz. Jun.

P. 391. l. 27. *Miſellis*] *Miſellæ* Edd. Belg.

P. 393. l. 2. *Concipiunt*] *Concipiant* Elz. Jun.

P. 394. l. 28. *Si captivam*] Sic cum Belg. edidimus, quantumvis in Ed. Lond. ſit *ſe captivam.*

P. 395. l. 13. *Quis*] *Qui* Edd. Belg.

P. 397. l. 13. *Quod ſi alias*] *Si quid aliter* Edd. Belg. Ib. l. 28. *Oblitterarentur,*] *Obliterentur*, Ed. Lond. Nec mutavit Camd.

P. 398. not. marg. ſecunda, *Lenoxio famam*] Sic Ed. Lond. Nec immutavit Camdenus. *Lenoxius famam* Elz. Sen. *Lenoxii famam* Elz. Jun. Ib. l. 31. *Juſtiſſimam*] *Juſtiſſimum* Edd. Belg.

P. 399. not. marg. prima, *Sueco à Moſco*] Tò *à* omittunt Edd. Belg. Ib. not. marg. ult. *Machlis animal.*] *Machlin animal* Edd. Belg.

P. 402. l. 2. *Ejuſmodi*] *Hujuſmodi* Edd. Belg.

P. 403. l. 3. *Doceat,*] *Docet* Edd. Belg.

P. 407. l. 15. *Convincit,*] *Convicit*, Edd. Belg. Ib. l. 24. *Et obſcure*] Tò *&* omittunt Edd. Belg.

P. 426. l. 29. *Adverſantur.*] *Adverſarentur* Edd. Belg.

P. 429. l. 7. *Præſtent*] *Præſtarent* Edd. Belg. Ib. l. 11. *Effecerunt*] *Effecerint* Edd. Belg. Ib. l. 27. *Detulerit.*] *Detulerat* Edd. Belg.

P. 430. l. 21. *Fatebatur.*] Sic cum Belg. quantumvis in ipſo Cod. Camdeniano ſit *fatetur.*

P. 435. l. 30. *Faveant,*] *Faverant* Edd. Belg. Sed, ut nos, Camdenus. Et certe ſi mutandum, *faviſſent* potius legendum.

P. 438. l. 8. *Admittatur.*] *Admittitur* Edd. Belg.

P. 440. l. 20. *Regi*] *Regni* Edd. Belg.

P. 442. l. 24. *Violata, immanes*] *Violata, & immanes* Ed. Lond.

P. 443. l. 15. *Summam*] *Summum* Ed. Lond.

P. 447. l. penult. *Ad iſthmum inter ſtationem portus interiorem*] *Ad ſtationem inter iſthmum portus interiorem* Edd. Belg.

P. 448. l. 6. *Duxerit*] *Duxerat* Edd. Belg.

P. 450. l. 4. *In virentes*] *Inter virentes* Ed. Lond.

P. 451. l. 16. *Fuerit*] *Fuerat* Edd. Belg. Ib. l. 19. *Tertio filio*] *Tertio* omittunt Edd. Belg.

P. 471. l. 17. *Et perduellionis*] Deeſt *&* in Edd. Belg.

P. 474. l. 6. *Rhemenſi*] *Rheminenſi* Edd. Belg.

P. 477. l. 27. *Eo etiam fatuæ*] *Eo tamen fatuæ* Edd. Belg.

P. 481. l. 31. *Urbſque* &c. *teſtatur,*] *Urbeſque* &c. *teſtantur,* Edd. Belg.

P. 482. l. 25. *Conclavis*] *Concluſis* pro *conclavis* in Edd. Belg.

P. 490. l. 3. *Et me tot*] Deeſt *me* in Ed. Lond. Nec adjecit Camdenus in noſtro exemplari.

P. 493. l. 18. *Habet,*] *Habeat* Edd. Belg.

P. 494. l. 2. *Innocentiam*] *Innocentem* Elz. Sen.

P. 498. l. 22. *Moliuntur,*] *Moliantur* Edd. Belg. Ib. l. 24. *Si ipſa*] *Se ipſa* Elz. Sen.

P. 501. l. 7. *Fernhurſtiæ*] *Fernhurſtio* Edd. Belg. Et tamen Genere feminino in Indice utuntur Elz. Sen. Ib. l. 31. *Et ad Baronem Pagettum, & Bernardinum*] *Et Baronem Pagettum, Bernardinum* Edd. Belg.

P. 502. l. 1. *Quod*] *Ut* pro *quod* in Elz. Sen. Ib. l. 11. *Devocatur*] *Devocetur* Elz. Sen. Ib. l. 13. *Trahunt*] *Trahant* Elz. Sen.

P. 503. l. 10. *Vidit*] *Viderit* Elz. Sen. Ib. l. 12. *Gero,*] *Geram* Elz. Sen. Ib. l. 27. *Intertexuntur,*] *Intexuntur,* Edd. Belg.

P. 504. l. 3. *Hujuſmodi*] *Ejuſmodi* Edd. Belg.

P. 505. l. 5. *Salutarent*] *Salutarunt* Elz. Sen.

P. 506. l. 31. *Specificata,*] An, *Specificatæ?*

P. 507. l. 1. & 10. *Infra*] *Intra* Edd. Belg.

P. 508. l. 24. *Exſtant*] *Extent* Edd. Belg.

P. 510. l. 5. *Teneretur,*] *Teneatur* Edd. Belg.

P. 512. l. 18. *Alia quæpiam*] *Aliqua quæpiam* Edd. Belg.

P. 513. l. 30. *Acceperim,*] *Acceperam* Edd. Belg.

P. 517. l. ult. *Sequatur*] *Sequantur* Edd. Belg.

P. 523. l. 7. *Parcendam*] *Parcendum* Edd. Belg.

P. 524. l. 5. *Dependet*] *Dependere* Edd. Belg. Ib. l. 8. *Deveniret,*] *Devenerit,* Edd. Belg.

P. 525.

P. 525. l. 25. ET VITA] Τὸ ET omittunt Edd. Belg.

P. 526. l. 3. Sint] *Eſſe* Elz. Sen.

P. 528. not. marg. prima, *Rejicit.*] *Rejecit* Elz. Sen. Ib. l. 26. *Quiquum*] Τὸ *qui* omittunt Edd. Belg. in quibus & commate mox poſt *memoravit* diſtinguitur. Ib. l. 31. *Lædere*] *Ludere* Edd. Belg.

P. 529. l. 27. *Tam*] *Tum* Edd. Belg.

P. 534. l. 31. *Significarit,*] *Significaret* Elz. Sen.

P. 535. l. 1. *Ad cingulum*] *Ante cingulum* Edd. Belg.

P. 536. l. 10. *In antiqua,*] *In* omittunt Edd. Belg.

P. 539. l. 18. *Permiſerit,*] *Permiſerat* Edd. priores.

P. 547. not. prima marg. *Scoticæ*] *Scotiæ* Edd. Belg.

P. 548. l. 27. *Profeſſioni*] *Profeſſione* Elz. Sen.

P. 551. not. marg. ſecunda, *Præſtitit.*] *Præſtiterit* Edd. Belg. Ib. l. 14. *Movit*] *Monuit* Edd. Belg. Ib. l. 24. *Deſtiterint*] *Deſtiterunt* Edd. Belg.

P. 554. l. 9. *Nationi,*] *Nationis,* Edd. Belg.

P. 562. l. 19. *Illis*] *Illius* Elz. Sen.

P. 563. l. 19. *Quæ*] *Qua* Ed. prima. Ib. l. 27. *Proponitur;*] *Proponeretur* Edd. Belg.

P. 566. l. 28. *Impenderet,*] *Impenderint,* Ed. prima.

P. 568. l. 3. *Optaverit,*] *Optaret,* Edd. Belg.

P. 569. l. 4. *Ut Belgæ*] Deeſt *ut* in Edd. Belg.

P. 573. l. 26. *Implicata & fracta,*] An *implicato & fracto*?

P. 577. not. ſec. marg. *Parmenſis accerſitur.*] Deſunt hæc verba in Edd. Belg.

P. 581. not. marg. ſecunda, *Aſſignarunt.*] *Aſſignarint* Edd. Belg. Ib. not. marg. tertia, *Tulit.*] *Tulerit* Edd. Belg.

P. 582. not. marg. tertia, *E Scotia*] *E Scotis* Elz. Sen.

P. 583. l. 24. *In Angliæ & Hiberniæ*] F. *in Anglia & Hibernia.*

P. 592. l. 15. *Scapre*] *Scabre* forſitan malit non nemo.

P. 611. l. 8. *Hibernæ*] *Hiberniæ* Elz. Sen.

P. 622. l penult. *Norfolciæ*] F. *Norfolcii.*

P. 635. l. 5. *Deus Cœleſtis Omnipotens, Jehova,*] *Deus Cœleſtis, Omnipotens Jehova,* Ed. Lond.

P. 647. l. 4. *E vivis exceſſit,*] Perotti Teſtamenti ultimi exemplar authenticum (ut fertur) è Codice MS. excerpſi mecum communicato ab amico egregio Joanne Murraio Londinenſi, hæc in verba :

A trew Coppie of Sir John Perrott Knight his teſtament, written with his owne hand the third of May, 1592.

The trew and laſt teſtament of me Sir John Perrott Knight, mayde in the ſaide day and yeare, in the name and feare of God, touchinge my Religion and Loyalty to the Queenes Majeſtie and my Countrye upon my ſalvation and damnation, as of other thinges as neare as my memorye will ſerve me. To be ſeene of all the trew profeſſors of the Goſpell.

God taike me unto the and brynge my ſoule out of this pryſon that it may give thankes unto the Lorde.

Seinge thow (O Lord) haiſt fownd Iniquitye [1] even thyne Angells, and that the heavens are not cleare in thi ſight much more is man abhominable and fylthy; which drynketh Iniquitye like water.

It is the Lorde of heaven that ruleth and directeth all thynges by his Providence, unto whom I crye for mercy and forgivenes of all my ſynnes, knowinge that his mercy is above all his workes, yea and as greate as hymſelf. Come therfore Lorde Jeſus holy and trewe in all thi doinges and ſhorten our dayes. Unto which great God I aske forgivenes for all my ſinnes which are infinite. Truſtinge onely to be ſaved by [2] paſſion, deathe and bloudſheddinge of my ſavioure Jeſus Chryſte, and not by any my wourkes. For I confeſs I ame an unprofitable ſervant comittinge my ſoule to the handes of the Omnipotente God of Heaven.

I doe forgive all men and deſire to be forgiven of all men, leavinge all revenginges for the greate wronges I have ſuſteined to God's Juſtice and Judgement.

I doe hereby in the feare of the Lorde of heaven, and upon my ſalvation and damnation trewly teſtefie to all trew profeſſors of the Goſpell, that I have not heard any Maſs ſithence the despite beginnge of my ſoveraygne the Quenes moſt happie raygne. But I have ever ſithence the begininge of K. Ed. the 6. his raigne abhorred the Popes Idoll of the Maſs: it beinge a moſt wicked illuſion to deceave men, invented by Popes, who in my Conſcience are that Anty-Chryſt which the Scripture dothe ſo much ſpeake a-

1. *Sic.* 2. *Sic.*

gainſt.

gainſt. Which Idolotrous traditions of the Maſs is contrarye to that moſt holye and reverent Sacrament of the Supper of the Lord inſtituted by our Lord and Sav: Jeſus Chryſt at his laſt Supper to be receaved of the faithfull in bothe kyndes: by receavinge of which holye Sacrament as he ordaned the ſame we receave the ſame to our ſalvation as a moſt certane ſinge or badge that we confeſs Chriſt to be the Sav: of mankynde, and that by his deathe onely man is reſtored to the favoure of God, which we had loſt by the faull of Adam, by which Redemption we are made heires of heaven, with and by Chryſt.

And nowe I make my complainte to God and all good men, that I have bene moſt falſelie accuſed through the mallice and envye of ſome wicked and evill diſpoſed perſons ſchollers of Machevill, that I have bene a Trator to my Soveraigne Q. and Countrye, but I do deny the meritt and the benifitt of the bloudſheddinge of my Saviour Jeſus Chriſt, which I would not doe to gett the hole world, if ever I doe knowe that I have committed any treaſon aganſt my Queene or Country, or that I was at any tyme in any Confedracy with the Kinge of Spayne or with any of his miniſters directely, or indirectely, in any poynte of Treaſon, or ever receaved meſſage from him or ſent him any this XXXVtie Yeares laſt paſt; or ever was in any [1] Conferacye with the Duke of Parma, the Vicount Baltynglas, Sir William Stanley or with Sir Bryan [2] Crorke for any poynte of treaſon aganſt my Soveraigne Quene or Country, or wrote letter, or ſent to them or any of them, or receaved letter or meſſage from theim or any of theim for any poynt of Treaſon, or ever heard from the Duke of Parma, or Vicounte Baltinglas, in all my leife. But the letters which weare had from Dennys Croughan directed to the Spaniſh Kinge, and Sir William Stanley are forged and devyſed by Sir D. Croughan and his Partners. And I doe taike the God of heaven to witneſs, that I never had any Conference with Sir Dennys for his imployment to Spaygne, to Sir W. Stanley or Sir Bryan [2] Carorke, neather was he imployed therin as he moſt falſelye alledgeth. Neather did I truſt Sir Ds. but as a ſpye as I did other in Ireland, to underſtand the diſpoſitions of the people in Irel: for the furtherance of her Majeſties ſervice.

the Seminarye P. and after myniſter.

1. *Sic.* 2. *L.* Ororke, *ut infra.*

Neather did I ever give or delyver him any money that was myne owne, but the monye that he had was ¹ ſpyall money or dyet money allowed by warrant being her Ma=jeſties money, as by Sir Henry Wallop's accounts will ap=peare, except he might have ſome parte of the almes money I gave the Pryſoners. Nether did I ever ² caſſe him to him to have meate from my table, nor appoynted him wyne when he liſted out of my Seller.

All which before wrytten is trew as the Lord ſhall ſave my ſoule.

I do further declare upon my ſalvation, or damnation that althoughe I did imploye Jaſper Thunder as a ſpye to Portugall (as I did others) yet I did never ſend by him meſſage to the Duke of Medina, the Marques Sancta la Cruſe, or to any Spanyard or Portingall. But he was uſed to doe his beſt to brynge home certayne Iriſhe men. And if he played any falſe parte that was without my pry=vitie. And the intelligence I had from hym I did imparte the ſame: And he told me he had delivered other intelli=gence to Mr. Secretarye Walſingham.

Garl: came not to juſtefie any wordes aganſt Sir John, nother will he (at this day) affirme them abſolutlye.

I doe alſo denye my God of heaven if ever I ſpake to John Garland any ſuch traterous wordes as weare reade at my Areignement as matter ſaid to be parte of the ſaid Garlandes examynation. For as G: was but a fooliſhe light fellowe, ſoe I never eſteeme of him or uſe him but for carryadge of Packetts, when I had noe other convenient meſſenger, or to looke to my horſe=boyes or ſuch baſe matters. I take the Lorde of Lordes to wit=neſs, that I have alwayes thought her Matie. to be the lawfull and indubitable Quene of theſe her imperiall King=domes of England, France, and Ireland. And I denye my God if I woulde not have adventured my life aganſt any man livinge that would ³ had ſaid the contrarye. Neather did I ever ſend the ſaid Garland to Ororke to ſtirr him to committ any unlawfull acte, neather did I ever truſt or favoure Ororke but in ſhewe onely to keepe him in quiett, as I did the like with the Northeren Lordes for the keep=inge of the realme in peace, accordinge to the warrante which I had receaved here=hence.

I doe likewyſe teſtifie upon my faithe, That the Lo:

1. *Sic.* 2. *Sic.* 3. *Sic.*

Chauncelor

Chauncelor of Ireland and [1] Phillip: Willmus doe falſelie belye me in their declarations towchinge any materiall poynte that concernethe her Matie. which thei alledged that I ſhould ſpeake of her Hnes. And what is ſpoken therin by them is of mallice, thei bothe beinge knowne to be men that will ſpeake much untruthe, and the one was myne enimy, and the other was to ſpie upon me.

And I taike God to witnes that I never had purpoſe to favoure Dcor. Creaughe, or ever ſawe him to my knowledge, or ever heard from him, but was deſirous to taike him. Neather did I ever wryte warrante to Richard Hardinge with any purpoſe of favoure to [2] Crenegh, but if he had the warrante he ſpoke of, it was at the white knightes ſuite for his good and not for Creaugh.

Rich: Harding did and doth affirme that Sir John had noe purpoſe to favore Creaughe.

Neather did I ever favore Fryars or ſuch kynde of vermine. But I have ſuppreſſed more Monaſteryes and Fryers while I governed that land of Ireland then was done by all the Governoures before in XXXtie. Yeares. Neather ever did I favoure Papiſt for Papiſtries ſaike, but I did Juſtice to them upon Complainte, as I did to others accordinge to the Comaundement which I receaved from her Matie.

And I taike the Lord of heaven to wittnes that I never receaved ryme at the handes of Captayne Woodhouſe written aganſt her Matie. as he moſt falſlie alledgeth, but upon wordes which he delivered toke order for the Rymers fourthecominge, which was done by thadviſe of ſome of her Maieſties Counſell. And I have given money to Rymers to ſett fourth her Maieſties moſt wourthie praſe as by Mr. Treaſurer's of the warres accomptes will appeare.

And whereas I was charged by one I knowe not to have an Agent in Lewbicke or ſuch other like place beyonde the ſeaes, which was to deale betweene the Duke of Parma and me, and named to be Nichol. Colman, I doe deny my God if ever any parſon dealt betwene the Duke and me for any cauſe. But I had about eight yeares paſt one Nichol. a Barbar, who beinge ſicke departed from me, but I never heard from him, nor knowe not what became of

One Walton was the falſe witnes. He avowed that Colman ſhould tell him he was imployed by Sir Jo: to the Prince of Parma, but Colman lyveth nowe in Lewbicke, and denyeth that he ſaid or knewe any ſuch thinge. Teſte Marke Bateman Trumpeter, who ſerveth the L. Chamberl. now.

1. *Sic.* 2. *Sic.*

him

him ſince he departed from me or knowe wher he dwelleth if he be lyvinge. Neather did I ever knowe any of the Jeſuites or Seminary Preiſtes, or ever heard of their names before one of the witneſſes named them at the tyme of my arraignement. And theſe 2. witneſſes are ſuer knightes of the Poſt hyred aganſt me. Aganſt whome with all the other falſe witneſſes procured, falſelie to depoſe, to my overthrowe, I crye out to God that he revenge my cauſe upon them and their procurors.

Towchinge my dread Soveraingne Queen, whom the L. of heaven bleſs and defend from all evills, and ſend her highnes many happie yeares, with contynuall victorye over all her enymyes. And wher I have bene of late ſuſpected of my fidelity to her Highnes, I take the highe God to witnes uppon my ſalvation or damnation that I have ever ſerved her Highnes with a moſt loyall harte, and have alwayes ſince I ſaw her Majeſtie firſt honored and moſt dewtyfully loved her Highnes, and was the better when I ſawe her, or could doe her Highnes any acceptable ſervice, and would ever ſince her moſt happie raigne have died in her ſervice aganſt all men that would have ſought to have offended her Highnes or any parte of her dominions. But alas and woe is me that ſuch falſe witneſs ſhould be procured aganſt me in a tyme that the Goſpell is preached, and my moſt Bleſſed Queene not beleve this my moſt voluntarye confeſſion to be trewe. Neather have I upon my ſalv. or damnac. committed any the treaſons wherof I was fownd guiltye at Weſtminſter the xxviith. of Aprill or therabouts.

